
TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS



TRACTATUS

DE

LOCIS THEOLOGICIS

AUCTORE

FR. JOACHIM JOSEPH BERTHIER ORD. PRÆD.

S. THEOL. LECT.

" Fidei defensio..... doctrinam desiderat non vulgarem, neque mediocrem, sed exquisitam et variam; quæ non modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples " (LEO PP. XIII, Encycl. *Etsi Nos*, 15 febr. 1882).



AUGUSTÆ TAURINORUM, 1888
TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALIS
EQ. PETRUS MARIETTI

NEO-EBORACI, CINCINNATI ET S. LOUIS MO
Apud BENZIGER FRATRES Bibliopolas.

APPROBATIONES

—

« De Locis Theologicis, auctore R. P. Fr. Joachim Berthier, sacræ Theologiæ Lectore, Ord. Præd. » opus ex licentia R^{mi} P. Fr. Josephi Mariæ Larroca, Magistri generalis ejusdem Ordinis, prælaudato auctori concessa, ad examen revocans perlegi, nihilque in eo orthodoxæ fidei contrarium aut bonis moribus et sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplinis repugnans reperi; quin potius tam multiplicis eruditionis segete hoc opus refertum cognovi, ut apud æquos et benevolos rerum æstimatores, pro divinæ Theologiæ studiosis, tum tironibus cum etiam magistris, non exiguæ utilitatis illud haberi posse confido: quod proinde prælo dignum dico.

Fr. Raymundus Massini, Ord. Præd.
Studiorum Regens.

Fæsulis, ex Conventu S. Dominici,
die 10 maji, in festo S. Antonini, 1885.

Opus R. P. Fr. Joachim Berthier, cui titulus « De Locis Theologicis, » perlegi, idque prælo dignum prorsus existimavi.

Fr. M. Th. Coconnier FF. PP.

Tholosæ, die 31 maji 1887.

PRÆFATIO

Duplici imprimis ratione Locorum Theologicorum studio incumbendum omnino est.

Primo enim nullus est inter Theologos cui nescire liceat unde haurienda sint doctrinæ suæ argumenta, et quænam istorum vis dicenda sit; imo nullus ex Christianis est qui penitus ignorare eadem supponatur, siquidem

Qui misere credit, creditur esse miser.

Deinde quia cum adversariis nostris hodie de ipsismet fidei fundamentis res agitatur, hinc in istis defensandis cuique decertandum pro viribus est.

Inquiret tamen nonnullus cur iterum de istis scribatur argumentis, quum a multis, iisdemque doctissimis viris scriptum jamdiu sit, quales fuerunt (ut de uno Prædicatorum Ordine sermo fiat) Canus [1], disciplinæ hujus auctor, Razzi [2], Gravina [3], Gotti [4], Rabaudy [5], Penzi [6], etc.

Respondeo duplicem rursus dari rationem cur de eodem

[1] *De Locis Theologicis.*

[2] *De Locis Theologicis prælectiones.*

[3] *Præscriptiones*, et in aliis operibus.

[4] In principio suæ *Theologiæ scholastico-dogmaticæ*, et alibi.

[5] *Exercitationes Theologicæ.*

[6] *Theologiæ Rudimenta.*

argumento Tractatum nostrum paucis abhinc annis in scholis nostris, apud Fæsulas explanatum, typis mandemus.

Una quidem est quia de Locis Theologicis sæpe sæpius actum est qua in congerie informi coadunatis, ita ut vel numeri vel ordinis nexus vix specie habeatur: unde in serie logica disponere nos studuimus, non vitatis, quas nonnullus nimias forte dicet, rerum divisionibus atque subdivisionibus.

Altera est quia veteri Locorum tractationi nova addenda fuerunt documenta, pro disciplinarum hodierno *profectu et* incremento. Hæc et nos addere pro rei necessitate curavimus. Neque mens ulla nobis fuit omnia tradendi, sed hic utiliora tantum.

Utrum res juxta votum cesserit judicent alii pro sua scientia et æquitate.

De dicendi ratione nostra nihil notatum volumus nisi placuisse imprimis humilem ac simplicem orationem, rati illud præ oculis habendum præsertim esse, scilicet verbis ex rebus exprimendis suam accedere potiorem *dignitatem, ubi illa* res altiores absque offuscatione expresserint.

Cæterum et nos monemus lectorem epigrammate illo:

Qui legis ista, tuam reprehendo, si mea laudas
Omnia, stultitiam: si nihil, invidiam [1].

Quidquid id fuerit, sit pro merito saltem voluntas, atque Sanctæ Sedis correctioni integra nostri submissio.

Fr. Joachim Joseph Berthier.

[1] Owen, *Epigr.* 2.

DE LOCIS THEOLOGICIS

PROLEGOMENA

1. Priusquam tractationem nostram aggrediamur, nonnulla de theologiæ ejusdemque locorum natura et partitione præmittenda omnino videntur, nisi ab ipsarum rerum limine cæcutire ac fastidire velimus.

Theologia, vi spectata nominis, qua scilicet e vocabulis græcis Θεός - λόγος appellata, idem est ac sermo, ratio seu ratiocinatio *de Deo* [1].

Omnis autem de re aliqua institutio ejusdem naturam, potentias cæteraque omnia quæ eidem attribuuntur, perscrutetur oportet: secus enim manca prorsus dicenda erit. Theologia igitur de Deo, ejusdemque potentia et operibus non immerito tractat.

2. At vero, quum " in his quæ de Deo confitemur duplex sit veritatis modus: quædam namque vera sunt de Deo quæ omnem facultatem humanæ rationis excedunt, ut Deum esse trinum et unum; quædam vero ad quæ etiam naturalis ratio pertingere potest, ut Deum esse, Deum esse unum, et alia hujusmodi, quæ etiam philosophi demonstrative probaverunt, ducti naturalis *rationis lumine* [2], " hinc duplex theologia: ista scil. *naturalis*, illa vero *supernaturalis;* quibus et tertia addi non immerito potest, nempe *media* quæ quasi inter utramque illam intercedit.

Theologia quidem naturalis apud omnes, etiam barbaros, aliquatenus viguit, siquidem apud omnes aliqua admissa fuit re-

[1] Cf. Aug. *De Civit. Dei,* lib. I, cap. I. [2] I. *Cont. Gent.*, cap. III.

ligio [1]. Apud Græcos autem et Romanos triplex iterum exstitit theologia hujusmodi, teste, post Varronem, divo Thoma, in Ep. ad Romanos: " Videtur Apostolus, inquit, triplicem theologiam tangere gentilium. Primo quidem civilem, quæ observabatur a Pontificibus, in adoratione idolorum in templo, et quantum ad hoc dicit: " Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei. „ Secundo, theologiam fabularem, quam poetæ trahebant in theatris; et quantum ad hoc dicit: " Qui commutaverunt veritatem Dei " in mendacium. „ Tertio, theologiam naturalem, quam observaverunt Philosophi in mundo, partes mundi colentes; et quantum ad hoc dicit: " Et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam " Creatori [2]. „ Apud nos autem theologia naturalis passim vocatur illa Metaphysicæ pars, quæ de Deo, unius rationis lumine duce, disserit.

Theologia supernaturalis est cognitio earum de Deo veritatum, quæ sola Dei revelatione nobis innotescere possunt, sive in via, sive in patria. Huic tamquam formæ referuntur aliæ.

Theologiam mediam seu mixtam dicimus quæ partim ex supernaturali, partim ex naturali principio pendet, qualis erit ista conclusio, scilicet Christum sortitum esse duos intellectus, duas voluntates, atque eisdem connaturales operationes. Quæ conclusio habetur imprimis ex principio theologiæ supernaturalis, scil. in Christo duas fuisse, et perfectas quidem naturas; deinde ex principio naturali, idest perfectæ naturæ proprias competere operationes. Cujusmodi theologia quam sæpissime apud scholasticos habetur.

Huic proxime accedit aliud in re theologica argumentorum genus, quod ex principiis naturalibus solum procedit, sed tamen theologici ordinis, cui tamquam fini ordinatur, limites et dominium attingit, tamquam confirmatio et explanatio; vel tamquam minus principale relate ad principalius [3].

Ex dictis liquet theologiam variis egregiisque cumulari dotibus: imprimis esse scientiam simul et sapientiam, cum sit cognitio per causas easdemque altissimas.

3. Omissis quæ de scientiæ theologicæ necessitate habet sanctus Thomas [4], jam de theologiæ causis nonnihil dicendum

[1] Cf. Rom. I, 20, 21.
[2] Lect. VII, in fine. Cf. Aug. *De Civit. Dei.* Lib. VI, cap. V.
[3] I. q. 1, a. 5, ad 2m
[4] I. q. 1. a. 1; *Cont. Gent.* Lib. I, cap. VI.

nobis occurrit, et quidem primo de causa *efficienti* seu a qua theologia producta est.

Causa efficiens duplex: alia scil. *prima*, alia *secunda*.

Causa efficiens prima theologiæ Deus ipse dicendus est, non quidem quia homini rationem indidit, sed quia ipsam theologiam, tum supernaturalem tum naturalem reipsa primus edidit.

Quod sane de theologia supernaturali ex se prorsus patet [1].

De theologia autem naturali idem constat quam certissime. Etsi enim homo invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicere possit ac revera conspiciat [2], attamen quia Adamus cum perfectione congrua creatus fuit, utpote qui humani generis principium non in gignendo tantum, sed etiam in instruendo futurus esset, hinc Deus primis parentibus nostris " cor dedit excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam Spiritus, et sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis [3]. "

Hoc adde quod Deus sæculorum cursu revelationem supernaturalem sensim complevit vel rursus innovavit; theologiam naturalem iterum confirmavit, reparavit, auxit. Deus itaque prima causa efficiens theologiæ revera dicendus est.

Causa autem secunda efficiens homo ipse erit, et hoc quidem tum *de jure*, tum *de facto*. De jure scil. quia ut ratione præditus, non solum potest ac debet naturalem theologiam perscrutari, causam primam rerum indagando ac cognoscendo; sed etiam supernaturalem theologiam accipere, pro posse intelligere, explanare ac defendere, demum theologiam mediam ex illa utraque educere.

Quæ omnia duplici modo præstabit, secundum quod nempe vel in via vel in patria extiterit.

In via constitutus homo duplici theologia ornari potest: *acquisita* scil. et *infusa*.

Theologia acquisita proprio labore paratur atque studio. Quæ *positiva* dicitur cum conclusiones probat quasi ex jure divino positivo, non disputando nec discurrendo nisi fusiori atque oratorio sermone; vel *scholastica*, seu quæ de principiis theologicis, juxta dialectices regulas, strictiori stylo disputat, vi ra-

[1] S. Th. 1. q. 94, a. 3. [2] Rom. II, 20.
[3] Eccli. XVII, 5, 6. — Cf. S. Th. 1, q. 94, a. 3.

tionis et argumentationis veritatem demonstrando ac defendendo, etsi tamen non minus quam positiva Verbo Dei inhæreat [1].

Infusa vero dicitur theologia quæ non studio quidem, sed Dei infusione comparatur et habetur: qualis fuit Apostolorum theologia, qui, accepto Spiritu sancto, cœperunt loqui magnalia Dei, unde apud antiquos *theologi* quasi per antonomasiam audierunt [2].

Cave tamen ne theologiam infusam cum prophetiæ dono confundas, quum illa habitus permanens, ista autem impressio transiens omnino sit [3]; neque eamdem dicas virtutem intellectualem, quod vetat iterum Angelicus [4], quia nempe non perficit intellectus operationem secundum modum intellectui connaturalem.

In patria demum habetur theologia *beata*, seu quæ vi luminis gloriæ comparabitur, siquidem " videmus nunc per speculum et in ænigmate: tunc autem facie ad faciem [5]. "

De jure igitur homo dicendus est causa efficiens secunda theologiæ: absolute quidem quoad theologiam naturalem; hypothetice, i. e. supposita revelatione quoad supernaturalem. Hinc omnes sui compotes Deum cognoscere seu theologia aliqua pollere posse dicuntur.

Sed et de facto res ita se habuit. Sive enim illi qui revelatione caruerunt, sive illi qui eamdem acceperunt, omnes theologiam prætenderunt aliquam: illi quidem admixtis erroribus et ignorantiis; isti vero cum veritate intemerata et integra, mox eamdem demonstrantes, mox conclusiones educentes easque ordinantes [6].

Hæc de causa theologiæ efficienti.

De causa autem *formali* hoc notandum est, eam nempe duplicem esse: *extrinsecam* scil. et *intrinsecam*.

Causa formalis extrinseca theologiæ est idea juxta quam

[1] S. Th. 1. q. 1. a. 8. — Cf. Ephes. II, 20; I. Cor. III, 11.

[2] Dionys., *De div. nomin.*, cap. 3, ubi vocatur Petrus ἡ κορύφαια καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης.

[3] 1. 2. q. 68, a. 3 ad 3m; 2. 2. q. 171, a. 2.

[4] In III dist. 23, q. 2, a. 3. Quæstiunc. 1 ad 4m.

[5] I. Cor. XIII, 12.

[6] Cf. Gotti, *Theol. Dogm.*, t. I, Tract. I, Isag. q. I, Dub. II, § II. Qui rem egregie tractat.

efformatur ipsa theologia nostra: idea autem illa alia non est, teste Angelico, quam ipsa scientia Dei, ac proinde et beatorum. Duplex namque est scientiarum genus. " Quædam enim sunt quæ procedunt ex lumine naturali intellectus..... quædam vero sunt quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ:..... et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei et Beatorum [1]. „ Unde theologia habet respectu ad Dei scientiam duo quæ requiruntur et sufficiunt ut scientia saltem improprie altera alteri subalternari dicatur [2]: dependet quippe a scientia Dei quantum ad evidentiam principiorum, et præterea illius objecto addit differentiam accidentalem, nempe virtualem revelationem. Hinc theologica scientia eo sensu imperfecta dici potest quod non habeat statum perfectum seu connaturalem, quem aliquando in vita beata sortietur, adepta tandem propriorum principiorum actualem evidentiam [3].

Causa formalis intrinseca theologiæ ea est, quæ ipsi dat esse, atque eamdem ad proprium essendi modum contrahit et determinat. Quæ quidem theologiæ non qua rei compositæ competit, sed quia eam ab aliis scientiis diversam efficit atque constituit. Hanc autem in theologia nostra esse ipsammet revelationis virtualitatem in theologicis veritatibus contentam, patet. Hinc enim habetur differentia quæ theologiæ vago modo acceptæ tamquam generi accedit, atque theologiam nostram ceu speciem quodammodo coarctat et efficit [4].

Hinc disce theologiam, quoad habitum simul et quoad actum, radicaliter quidem, id est in principiis propriis, esse quid supernaturale; in se tamen seu propria natura, quid naturale [5].

Causa *materialis* theologiæ dicitur vel *subjectum* in quo recipitur; vel *objectum* circa quod versatur, seu quod ipsi considerandum objicitur; vel *partes* quibus componitur.

Subjectum in quo recipitur est ipsa mens hominis theologi, quæ admittit principia revelata, indeque argumentationes educit [6].

[1] I. q. 1, a. 2.
[2] Cf. Gotti, t. I. Tract. I, q. II, Dub. II, § I.
[3] Cf. Sylvius, in 1, q. 1, a. 2, quæsit. 2. — Gotti, loc. cit. §§ II et III.
[4] Cf. S. Th. *In Poster.* lect. 41. — Cajet. et Bañes in 1, q. 1, a. 3.
[5] 2. 2. q. 54, a. 1. — Cf. Gotti, t. I, Tract. I, q. II, Dub. III.
[6] 1. q. 1, a. 8.

Objectum scientiæ duplex: *materiale* scilicet et *formale.* Illud nihil aliud est quam res circa quam versatur ipsa facultas; istud autem est id cujus ratione facultas rem attingit.

Objectum materiale theologiæ Deum ipsum esse aliaque universa prout ad Deum ordinem dicunt, ex theologiæ diffinitione supra allata sponte fluit [1]. Hinc v. gr. Angelicus in *Summa* tractat de Deo tum in se ipso, tum qua creaturarum omnium auctore; de homine prout ad Deum redire tenetur; de mediis quibus iste ad Deum reverti poterit [2].

Objectum formale duplex iterum est: aliud scil. quod non est nisi ratio seu forma quam in objecto materiali attingit disciplina; aliud quod est lumen seu motivum aut medium sub quo disciplina objectum sive materiale sive formale (quod utrumque simul sumptum passim vocatur *objectum attributionis*) attingit.

Illud quidem *objectum formale quod*, seu *ratio quæ*, istud *objectum formale quo*, seu *ratio sub qua*, apud scholasticos audit. Alterum quidem est rei objectæ qua res est, alterum ratio rei ut mentem afficit ac movet.

Porro objectum *formale quod* theologiæ est ipsa deitas, seu Deus sub ratione deitatis, ut patet rursus ex diffinitione; cætera autem hic tractantur quatenus divinitatem aliquo modo participant [3].

Objectum autem *formale quo* est revelatio virtualis et mediata [4]. Ratio enim qua attingimus objectum materiale theologiæ vel objectum *formale quod* non est revelatio immediata, qua fides objectum attingit, v. gr. hoc assertum: “ Verbum caro factum est; „ nec evidentia naturalis qua metaphysica aliave scientia proprium attingit objectum; sed connexio seu necessitudo alicujus asserti cum veritate aliqua explicite et immediate revelata [5].

Partes autem quibus constituitur causa materialis theologiæ plures sunt. Cum enim theologia considerat ea quæ homo de Deo scire et sentire juxta ordinarias leges debet, tunc habetur theologia *dogmatica* vel *moralis*, prout hominis intellectuales

[1] 1. q. 1, a. 7.
[2] 1ª. q. 2. Prolog.
[3] S. Th. 1ª. q. 1, a. 7.
[4] S. Th. 1ª. q. 1, a. 3. in c. et ad 2ᵐ — I. *Sent.* art. 4. Prolog.
[5] Gotti, t. I, Tract. 1, q. II, Dub. VI. — Penzi: *Theologiæ Rudimenta,* l. I, c. III.

operationes quoad Deum informat, vel actus voluntatis, respectu ad Deum habito, dirigit et illuminat. Cum autem secretiores Dei et quidem specialiores operationes in animabus sanctis scrutatur, atque ipsarum animarum nobiliores intimioresque cooperationes considerat, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis, habetur theologia *mystica*, idest arcana, seu mysterio quodam involuta [1].

Nunc de *causa finali* theologiæ nonnihil addendum est.

Causa finalis duplex datur: alia nempe est bonum quod intenditur, et hæc dicitur *finis qui*, seu *cujus gratia;* alia est persona cui intenditur bonum illud, et hæc dicitur *finis cui*.

Finis *cui* theologiæ duplex: alius *mediatus*, alius *immediatus*. Finis mediatus est ipse Deus, cujus gloria, seu notitia cum laude, ex theologia magis elucet; finis immediatus est homo, in cujus informationem theologia immediate cedit.

Finis *qui* triplex dicendus est: alius nempe est *ultimus*, scilicet Deus, ad quem theologiæ conatus omnis tandem terminatur; alius *remotus*, idest beatitudo quæ consistit in summa conjunctione cum summo bono, ac per theologiam procuratur; alius demum est *proximus*, cognitio scil. et defensio veritatis dogmaticæ et moralis.

4. Postquam igitur de theologiæ natura et indole sufficienter [2], ut videtur, dixerimus, nunc de ejusdem fontibus seu locis nonnulla sunt præmittenda.

Aristoteles, omnesque ejus passim discipuli locum definiunt " superficiem primam immobilem corporis ambientis [3]. „ Locus enim de superficierum genere est, cum tamen hoc sibi speciale vindicet quod concipiatur tamquam *prima* superficies corporis alicujus ambientis, v. gr. aeris vel aquæ respectu lapidis; eademque immutabilis, non quidem *materialiter*, cum v. gr. aer vel aqua mutari possint ac moveantur materialiter circa lapidem; sed *formaliter*, prout nempe idem corpus quasi terminat

[1] Cf. S. Dionys., *Theol. Mystica.* — Albert. M. *De adhærendo Deo.* — Th. de Valgornera, *Mystica Theol. D. Thomæ.*

[2] Si alias theologiæ prærogativas, ex dictis cæterum effluentes, inquirere lubet, cf. S. Th. 1ª q. 1; I. *Cont. Gent.* cap. 2; Gonet, *Clypeus*, t. I. Proœm.; Contenson, *Theol. mentis et cordis* t. I, l. I, prolog. I; imprimis vero Gotti, *Theol. Dogm.* t. I, tract. I, Isagog.

[3] IV Physic. c. VI.

et involvit. Eodem sensu ab aliis dicitur locus " spatii superficies, quæ corpus aliquod immediate respicit et attingit. „

Quæ loci notio a materialibus ad immaterialia metaphorice adducta est; et inde pariter " appellatæ ab Aristotele sunt hæ quasi sedes e quibus argumenta depromuntur. Itaque licet definire locum esse argumenti sedem [1]. „

Patet autem hujusmodi locos e contento et locato nominandos fore: unde locos poetices, rhetorices, philosophiæ, etc. habebimus.

Haud secus, " quemadmodum Aristoteles in Topicis proposuit communes locos quasi argumentorum sedes et notas, ex quibus omnis argumentatio ad omnem disputationem inveniretur, sic et nos peculiares quosdam theologiæ locos proponimus, tamquam domicilia omnium argumentorum theologicorum, ex quibus theologi omnes suas argumentationes, sive ad confirmandum, sive ad refellendum inveniunt [2]. „

Sic ille ipse qui primus locorum theologicorum scientiam adinvenit, ejusdemque disciplinæ auctor et princeps omnino fuit et remansit [3], licet ipsius lucubrationi nonnihil, propter aliquarum scientiarum majorem amplitudinem, addendum et mutandum videatur.

Locorum theologicorum igitur definitio hæc optima erit, scilicet: " Sedes in quibus theologus argumenta inveniet ad probandam, explanandam et tuendam theologicam veritatem. „

5. Quum de locorum definitione dictum sit satis, jam de divisione, quæ sane summi est momenti in re scientifica, tractemus oportet.

In Deo igitur unus tantum datur locus theologicus, nempe ipsum Dei Verbum " splendor gloriæ et figura substantiæ ejus [4]. „

Quam autem de seipso scientiam infinitam unico et indivisibili intuitu habet Deus, hanc nonnisi finitam eamdemque multiplici specie divisam sortiri homo potest, tum propter humani ingenii angustos natura limites et ex peccato ortam debilitatem,

[1] Cicero, *Topica*, II.

[2] Canus, *Loc. Theol.* lib. I, cap. II.

[3] Cf. Melchioris Cani opera a Cl. Serry edita, in principio, ubi plura de his testimonia leges.

[4] Hebr. I, 9.

tum propter divinarum rerum amplitudinem simul et celsitudinem. Unde diversi erunt apud homines loci theologici, sicut et cæterum multiplices aliarum scientiarum artiumque ipsis dantur loci.

Loci porro theologici continere possunt argumenta ad theologicam disciplinam spectantia vel *immediate* et *per se*, vel *mediate* et *per accidens*. Illi *proprii*, isti autem *improprii* non immerito audiunt. Sicut enim materialis locus dicitur proprius quoad corpus immediate et per se locatum, improprius autem quoad ea quæ nonnisi mediate, id est ratione alterius continentur, ita ut, v. gr. hydria sit locus proprius aquæ contentæ, improprius autem coloris, odoris, caloris cæterorumque accidentalium quibus aqua affici poterit: haud secus in re nostra dicuntur loci proprii qui argumenta theologiæ pertinentia immediate continent; improprii autem qui argumenta hujusmodi mediate, id est ratione alterius propinant [1].

Loci autem proprii duplici modo veritates theologicas continere possunt, prout nempe vel ipsarum *asserta*, vel earumdem *notas* seu authentiam præbent. Etenim licet auctoritas Dei revelantis sola immediate sit objectum formale revelationis, et mediate conclusionis theologicæ, proindeque illa sit unicum motivum cur demum utrique assentiatur, unde inquirendum primo est ubinam invenienda sit veritas revelata; attamen quia nec traditio, neque Scriptura, nec spiritus privatus sufficienter nobis indicare valent quænam veritates reipsa a Deo revelatæ fuerint, hinc est quod dari debet unus saltem locus quo certa earumdem veritatum revelatarum nota prostet inquirenti.

Loci ergo quibus continentur veritates revelatæ, sunt primo *traditio*, qua locus adæquatus, deinde *Scriptura* qua locus inadæquatus; locus autem ubi invenienda erit sufficiens nota veritatum in traditione atque Scriptura contentarum, est *auctoritas Ecclesiæ* diversimode manifestata.

Hi sunt igitur loci proprie theologici.

Loci theologiæ improprii nec minus late patent, prout fusius infra dicturi sumus. Hic præmisisse sit satis inde depromi veritatis revelatæ confirmationem aliquam seu explanationem vel ex rationibus quasi *propria evidentia* in se stantibus, vel ex

[1] Cf. 1. q. 1, a. 8. ad 2m, et Schœzler, *Introd. in Theol. Dogm.*, cap. III, art. II.

motivis *auctoritati* innixis; seu, quod ait quidam, vel ex auctoritate evidentiæ, vel ex auctoritatis evidentia.

Hinc Tractatum nostrum in duas partes dividimus, in quarum prima de Locis propriis, in altera autem de Locis impropriis agendum erit.

Illa quidem complectitur loca quibus continentur veritates revelatæ, et locum quo veritates eædem indicantur; ista vero loca quæ sunt per evidentiam et loca quæ sunt per auctoritatem. Unde singulam partem in duos libros dispertimur. Cætera vero subdivisionum membra melius in operis ipsius decursu tradentur.

PARS PRIMA

DE LOCIS THEOLOGIÆ PROPRIIS

LIBER PRIMUS

De locis quibus veritates revelatæ continentur.

CAPUT I.

De Traditione.

6. Traditio [1] latius quandoque accipitur, ceu quælibet doctrina sive voce sive scripto ab aliis ad alios transmissa. Quo sensu Apostolus ait: " Itaque, fratres, state et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram [2]. „ Si *Concordantiarum* ope Scripturas evolveris, plus quam duodecies vocabula " traditio „ vel " tradere „ hac significatione usurpata invenies [3]. Haud secus S. Thomas hæc aliquando habet: " Quæ sic Scriptura tradit [4]... „ Hic autem traditionem accipimus prout contra Scripturam dividitur: unde strictiori sensu intelligenda erit, scil. de traditione, " quæ est per sermonem, non per epistolam, „ juxta S. Pauli allata superius verba. Definienda proinde erit: " Doctrina ad religionem pertinens, nullo scripto primitus, sed voce tradita Ecclesiæ, „ etsi postea forsan monumentis aliquibus consignata fuerit. Ita

[1] De Traditionibus dignus est qui hic legatur Fr. Sylvius: *Controversiarum Liber* II, per totum.

[2] II. ad Thess. II, 14.

[3] Cf. Exod. XVII, 14; Act. VI, 14; I. Cor. XI, 23.

[4] 1. q. 102, a. 1. Vide Suicer, *Thes.* ad voc. Παράδοσις.

accipit Tertullianus: " Si legem expostules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætenditur auctrix [1]. „ Apud theologos autem hæc altera significatio vocabuli hujus " traditio „ adeo communis est, ut semper et ubique supponenda sit, nisi aliter notetur, vel ex adjunctis secus intelligendum sit.

7. Diversimode autem apud varios auctores dividuntur traditiones divinæ. Ut vero aliquo ordine in hisce partiendis procedatur, advertendum est divisiones illas desumi ex circumstantiis quæ vel respiciunt traditiones ipsas, vel respiciunt traditionum causas. — Traditiones ipsæ considerari possunt vel *in se*, vel *relative*, i. e. respectu ad alium revelatæ veritatis fontem, scilicet ad Scripturam sacram.

Circumstantiæ autem ipsam traditionem in se consideratam attingentes sunt *locus*, *tempus*, *modus*. Porro ratione loci traditio erit *universalis* vel *particularis*, prout in tota Ecclesia vel in aliqua Ecclesiæ parte viguerit. Ratione temporis, erit *perpetua* vel *temporalis*, seu *temporaria; immutabilis* vel *mutabilis*, prout ita respective præscripta erit ut vel semper, vel ad tempus duratura fuerit, eamdemque mutare licuerit vel non. — Ratione modi, erit *explicita* vel *implicita*, *clara* vel *obscura*, *certa* vel *ambigua;* quæ designationes satis per se patent.

Si conferatur traditio cum alio revelatæ veritatis fonte, i. e. Scriptura sacra, erit vel *extra Scripturas*, prout veritates aliquas nec explicite nec implicite in Scripturis contentas continebit; vel *juxta Scripturas*, prout veritates in Scripturis explicite vel implicite relatas referet. Hæc autem iterum vel *inhæsiva* vel *declarativa* erit dicenda, quatenus Scripturam vel adhærendo confirmabit, vel declarando explanabit.

At vero, spectatis circumstantiis quæ traditionis causas attinent, divisio inducenda erit ex parte causæ *finalis*, *efficientis*, *instrumentalis* et *materialis*.

Ratione causæ finalis dicetur vel *necessaria* vel *libera* seu *arbitraria*, quatenus ejus observatio erit necessaria vel libera.

Ratione causæ efficientis erit *divina* vel *humana*, prout Deum seu Christum, vel hominem habebit auctorem.

Divina iterum a Deo seu Christo procedet, vel *immediate* et *per se* inspiranti, loquenti, dictanti, tuncque *divina simpliciter*,

[1] *De Corona Milit.*, cap. III. Hic legendus omnino Tertullianus est.

aut *dominica* dicenda erit; vel *mediate* seu *per testes* et *nuntios* præcipienti, et tunc *divino-patriarchalis*, *divino-sacerdotalis*, *divino-prophetica* in veteri Lege audiet; vel *divino-apostolica*, aut *dominico-apostolica*, in Lege nova.

Traditio vero humana (omissa civili de qua hic non agitur), dicenda quidem erit in veteri Lege *patriarchalis*, *sacerdotalis*, *prophetica*, aut *pharisaica;* in nova autem Lege *apostolica*, vel *ecclesiastica*, quatenus scil. a Patriarchis, Sacerdotibus, Prophetis, Pharisæis, Apostolis aut Ecclesia, non extraordinaria Dei, sed ordinaria et propria auctoritate statuentibus, pendebit.

Postea autem traditionum causa instrumentalis saltem secundaria dicitur magisterium Ecclesiæ, cui traditiones omnes custodiendæ et interpretandæ a Deo creditæ fuerunt. Cujus ratione traditiones dicentur vel simpliciter *catholicæ*, si ab Ecclesia accipiantur, quin tamen accesserit aliqua dogmatica definitio; vel *definitæ*, si definitio accesserit, atque inde a mere *historicis* discrepabunt.

Rursus ut traditionum causa instrumentalis haberi possunt documenta seu monumenta quibus consignatæ antiquitus fuerint, indeque varia sortientur illæ nomina, atque vocabuntur vel *scriptæ* vel *figuratæ* seu *archæologicæ;* scripta autem dicentur *pontificiæ*, *conciliariæ*, *patristicæ*, *liturgicæ*, etc. prout pontificum, conciliorum, patrum, liturgicorum, etc. documentis continebuntur.

Denique, ratione causæ materialis seu objecti dividitur traditio in *dogmaticam* et *moralem*, prout fidem vel mores, veritatem speculativam vel practicam respicit. Moralis iterum traditio vel proprie de moribus, vel de disciplina, vel de liturgia et cæremoniis seu ritibus erit, atque inde dicetur vel proprie *moralis*, vel *disciplinaris*, vel *ritualis* et *cæremonialis*.

Quæ fusius dicta tædium lectori forsan afferent; cum certo tamen, pro disciplina penitius intelligenda, non paucæ utilitatis erunt.

8. His itaque expositis, quatuor quærimus: *Primo*, utrum existant traditiones in vera Christi Ecclesia; — *Secundo*, quomodo transmittantur, si revera existant; — *Tertio*, quomodo discernantur, si ad nos usque pervenerint; — *Quarto*, quænam sit earumdem probandi vis, cum nobis transmissæ fuerint et cognitæ.

ARTICULUS I.

DE TRADITIONUM EXISTENTIA IN VERA DEI ECCLESIA.

9. Multi antiquioribus recentioribusque temporibus hæretici negaverunt existere divinas traditiones in Ecclesia Christi. Ex quibus commemorasse sufficiat Valentinianos, Gnosticos, Marcionitas, Arianos, Eunomianos, Pelagianos, Eutychianos, Nestorianos, Iconomachos, Petrobusianos, Waldenses, Wiclefistas, Socinianos, Lutheranos et Calvinistas [1]. Qui omnes, etsi admittant forsan traditiones ut necessarias ante novi Testamenti scriptionem, volunt tamen totam revelatam divinitus doctrinam postea ab Apostolis scriptam fuisse, proindeque traditiones amplius utiles non esse, quin imo nec existere, imprimis cum forsan ibi referantur veritates in Scripturis non relatæ.

Qui omnes hæretici traditiones rejecerunt tum ut Scripturas facilius ad se traherent, tum ut novitatis notam vitarent.

10. Contra illos ergo vindicanda est divinarum traditionum veritas, quas hic accipimus non tamquam *transmissionis organa*, nec tamquam *transmittendi actum*, sed *objective*, i. e. tamquam complexum ipsum doctrinarum " quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt [2]; " licet tamen tria illa inter se connectantur.

Hic duo demonstrabimus rei nostræ satis facturi, scilicet *primo* existere traditiones divinas in Ecclesia vera Christi; *secundo*, traditiones esse medium adæquatum revelationis divinæ.

11. Propositio I. — *Traditiones divinæ existunt in vera Christi Ecclesia, non qua historica modo, sed qua theologica documenta.*

Hic nos non contendimus traditiones *absolute* necessarias esse, sed tantummodo *hypothetice* necessarias, i. e. supposita voluntate Dei et Christi sui, etsi egregiæ dentur *a priori* congruentiæ.

Probatur propositio.

12. — *a*) Imprimis afferenda est Scripturæ auctoritas, et testimonium, quod nisi ut inspiratum hic acceperis, quia, ut in-

[1] Cf. Natalis Alexander, *Hist. Eccles.* Sæc. II. Diss. XVI.

[2] *Concil. Trid.* Sess. IV.

fra dicemus, Scripturarum inspiratio ex traditione constat, saltem ut testimonium historicum idemque certissimum voluntatis Christi admittendum tibi est.

Porro Scripturæ passim asserunt dari in Ecclesia doctrinam vocetenus acceptam a Christo tradendamque fidelibus. Apostoli enim ad prædicandum missi sunt *primo* apud Judæos, *secundo* apud omnes gentes; hisque verbis utramque narrat missionem S. Matthæus: " Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate, dicentes quia appropinquavit regnum cœlorum.....

" Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati..... Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis prædicate super tecta [1]. "

Mox vero Christus cœlos ascensurus, sic Apostolos misit ad prædicandum omnibus gentibus, juxta eumdem Evangelistam: " Accedens Jesus, locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi [2]. "

Atqui Christus hic et alibi Apostolos quidem prædicare jussit, nullibi autem scribere. Ergo, si Christo credendum sit, necessaria non fuit scriptio suæ doctrinæ, tum quia non licet nobis asserere necessarium quod non asserit Christus, tum quia admittendum non est a Christo rem tanti momenti, ut volunt adversarii, oblivioni missam esse. Unde simpliciter cum sancto Paulo concludendum est hoc dogma, quod scilicet Deus " manifestavit temporibus suis verbum suum in prædicatione [3]; " et " placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes [4]. "

Confirmatur. Muneri et officio sibi divinitus commisso nullum Apostolorum defuisse asserendum omnino est. Atqui sane defuissent, si verbum Dei nobis aliquo scripto transmittere de-

[1] Matth. x, 5-27.
[2] Matth. xxviii, 18-20. Cf. Marc. xvi, 15.
[3] Ad Tit. i, 3.
[4] I. Cor. i, 21. Cf. ad Rom. x, 12-18.

buissent. Ex Apostolis enim aliqui nihil omnino scripserunt, scil. Andreas, Thomas, Bartholomæus, Philippus. Ex iis qui scripserunt, duo tantum per se evangelia concinnarunt; cæteri nonnisi partes quasdam revelatæ veritatis exposuerunt explanando, vel propugnando, ita ut nunquam nec separatim nec conjunctim voluerint totam revelationem nobis scripto transmittere [1]. Unde vel admittendum apostolos scribere nunquam jussos fuisse, vel, quod absit! præcepto accepto non fecisse satis.

Paulus prima vice ad Corinthios scribens, ait: " Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis [2]. „ Hinc colligit merito Chrysostomus: " Ergo et sine scripto multa tunc illis tradebat, quod etiam multis aliis in locis indicat [3]. „ Et Basilius: " Arbitror apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo, inquit (Paulus), vos quod omnia mea meministis, et, quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis [4]. „

Paulus iterum ad Thessalonicenses hæc habet: " Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram [5]. „

Atqui Apostolus distinguit traditionem oralem inter et traditionem scriptam, et utramque dicit admittendam. Ergo utraque admittenda est, et recte Chrysostomus ex illis verbis arguit: " Hinc est perspicuum quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio: Nihil quæras amplius [6]. „

Sibi ubique constat Apostolus, prout in omnibus ejus Epistolis videre est [7].

1 Quod argumentum peregregie more suo tractat Natalis Alexander, *Hist. Eccles.* Sæc. I. Cap. XII. Cf. Opstrædt *De Locis Theol.* Diss. II, q. II.

2 I. Cor. XI, 2. 3 In I. ad Cor. Hom. XXVI.

4 *Lib. de Spiritu Sancto*, cap. XXIX. Advertat hic lector Traditiones expressius innui ex textu græco, quam ex Vulgata. Ita enim habent antiquiores ex græcis codicibus: « Επαινῶ δέ ὑμᾶς, Αδελφοί, ὅτι πάντα μου μέμνησθε, καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν τὰς παραδόσεις κατέχετε. » Solus Theodoretus habet: " μου μέμνησθε πάντες. „ Cf. N. T. Aug. Scholz.

5 II. Thess. II, 15.

6 In Epist. II. Thess. Hom. IV. Ita Damascenus: *De Fide Orthod.* L. IV, c. XVII. Cf. S. Paulus, II. Thess. c. III, 6.

7 I. Tim. VI, 20, 21; II. Tim. I, 13, 14; II, 2; III, 14.

13. — *b*) Ex Conciliorum decretis innumera afferri possent et documenta et facta, cum hoc eisdem semper fuerit solemne quod juxta antiquos judicarent et decernerent.

Concilium quintum (an. 553) damnat eos qui non docent " sicut Patres docuerunt, " vel " sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est; " vel qui non confitentur " quæ tradita nobis sunt tam a divinis Scripturis quam a SS. Patrum doctrina, et ab his quæ definita sunt de una eademque fide a prædictis sanctis quatuor Conciliis [1]. "

Haud secus Concilium Tridentinum asserit omnem veritatem fidei et morum disciplinam " contineri in Libris scriptis, et sine scripto Traditionibus [2]. " Quam sententiam refert suamque facit Concilium Vaticanum [3]. Ita Synodi catholicæ omnes [4].

14. — *c*) Concordant summi Pontifices, quorum Cælestinum primum episcopis Galliæ contra Semipelagianos rescribentem afferre libet: " Ut ergo plenius qui in aliquo dubitant instruantur, constitutiones SS. Patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat et dicat [5]. "

15. — *d*) Ex Patribus paucissimos afferam eosdemque vetustiores, cum nullus nisi cæco cæcior circa eorum hac de re sententiam aliquid dubii pati queat. S. Dionysius hæc habet: " Necessario primi illi nostri sacerdotalis muneris duces (scilicet Apostoli) cum ex summa supersubstantialique deitate ipsi

[1] Can. 8, 9. [2] Sess. IV. [3] Const. *Dei Filius.* C. II.

[4] Vide quæ narrat de Concilio Nicæno Athanasius, *Epist. cont. Arium;* de Ephesino, Vincentius Lirin. *Commonit. cap. penultimo.* Cf. Concilium sextum, act. 10; septimum: Def. fidei. Placet hic octavi œcumenici verba referre propter eorumdem significationem explicitissimam: *Τὴν εὐθεῖαν καὶ βασιλικὴν ὁδὸν τῆς θείας δικαιοσύνης ἀπροσκόπως βαδίξειν ἐθέλοντες, οἷόν τινας πυρσοὺς ἀειλαμπεῖς τοὺς τῶν ἁγίων πατέρων ὅρους κρατεῖν οφείλομεν. Τοιγαροῦν τοῦς εν τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ παραδοθέντας θεσμοῦς παρα τε τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων, παρα τε ὀρθοδόξων συνόδων οἰκουμενικῶν τε καὶ τοπικῶν ἢ καὶ προς τινος θεηγόρου πατρὸς διδασκάλου της Ἐκκλησίας τηρεῖν, καὶ φυλάττειν ὁμολογοῦμεν· κρατεῖν γὰρ τας παραδόσεις, ας παρελάβομεν εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δἰ ἐπιστολῶν τῶν προγενεστέρως διαλαβαντων ἁγίων, παρεγγυᾷ διαῤῥήδην Παῦλος ὁ μέγας Ἀπόστολος* (Act. 1).

[5] Cf. Denzinger, *Enchirid.* XIII. Cf. Epistolam Agathonis R. P. ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, inter Acta Concilii VI CP.

sancti muneris plenitudinem percepissent, et idipsum deinceps proferre et propagare a divina Bonitate missi essent... partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, juxta quod sacræ definiunt leges, nobis tradiderunt [1]. „

S. Ignatius, teste Eusebio, " hortatus est ecclesias ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit [2]. „ Ceterum S. Ignatii septem Epistolæ diu in ecclesiis, tamquam traditionis monumenta, lectæ sunt.

S. Papias: " Neque, ait, ex Librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce [3]. „

S. Irenæus: " Traditionem Apostolorum, inquit, in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest perspicere, omnibus qui vera velint audire; et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos [4]. „

Ita Patres omnes [5], unde Doctor angelicus, qui, juxta Cajetani [6] et Leonis XIII [7] sententiam, " doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodam modo sortitus est, „ hæc habet de traditionibus: " Apostoli familiari instinctu Spiritus sancti quædam ecclesiis tradiderunt servanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in observatione ecclesiæ, per successionem fidelium [8]. „

16. — *e*) Conciliorum Patrumque effatis prorsus cohærent monumenta archæologica, etsi non adeo facile fuerit effigie seu

[1] *Eccles. Hier.* c. I.

[2] Euseb. *Hist. Eccles.* L. III c. XXXVI. Epistolarum S. Ignatii duplex habetur exemplar: aliud fusius, aliud brevius. Istud tantum ut authenticum habetur.

[3] Expos. Orat. Dom. L. IV.

[4] Adv. Hær. L. III, c. III.

[5] Cf. C. Polycarpum apud Eusebium, *Hist. Eccles.* L. V, c. XX; Clem. Alex. *Strom.* L. I et VII; Orig. *Periarch. in præfat.;* Tertull. *De Præscript.* c. XXI; S. Cyprianus, *Epist.* 63; S. Athanasius, *Epist. ad Afros;* S. Gregorius Nyssenus, *Cont. Eunom.* L. III; S. Hieronymus, *Adv. Lucif.* c. IV; S. Augustinus, *De Bapt.* L. II, c. VII, etc. etc. Cf. Klée, *Hist. Dogmatum.* P. I, cap. VI.

[6] 2. 2. q. 148, a. 4.

[7] Bulla *Æterni Patris.*

[8] 3. q. 25, a. 3. Cæterum Conciliorum effata sententiam Patrum continent, quia in illis Patres vel adsunt vel referuntur. Fusiora autem si expetas testimonia, adeas Natalem Alexandrum, Gotti, Bellarminum, etc. et imprimis *Indices Patrologiæ* a D. Migne editos.

symbolo referre quod referre Scriptura potuit. In vetustissima enim S. Sabinæ de Urbe Basilica, videtur musiva pictura, in qua cum inscriptione laudatur papa Cœlestinus, quod

Culmen apostolicum..... haberet,
Primus et in toto fulgeret episcopus orbe.

Ad utrumque autem inscriptionis latus visuntur duæ femineæ imagines, tunica et pallio vestitæ, ambæ sinistra librum apertum gestantes, dextera autem prædicandi gestum exhibentes, quarum altera " Ecclesia ex circumcisione, „ altera " Ecclesia ex gentibus, „ dicitur supposita epigraphe. Antiquitus autem utrinque in parte superiori apparebant effigies SS. Petri et Pauli, gestu quidem dexteræ prædicantes, sinistra autem, pallio involuta, more oratorum veterum, nec volumen, nec librum ferentes. Qua duplici mulierum allegoricarum effigie nihil nisi Ecclesia catholica, Judæis et Gentibus composita, significari potest, quæ retinet et prædicat veritates ab Apostolis oretenus traditas.

Illa autem pictura ad Sixtum pp. III, anno 432 electum, referenda omnino est [1].

Confirmatur. Licet frequentius Christus et Apostoli, dum docent, libros aut volumina vel manu gestent, vel ad pedes in capsis reposita habeant, unde manifestatur oculis jus docendi, præcepta imponendi, etc., pro usitatissimo apud utramque antiquitatem significandi modo; attamen, non raro Christus vel Apostoli absque librorum aut voluminum symbolis actum docendi exercent. Ita Christus discipulos seu Apostolos in vetustissima pictura cœmeterii S. Agnetis apud Urbem instruebat [2]; ita prædicabant apostoli Petrus et Paulus in supra dicta S. Sabinæ musiva pictura, etc.

Porro volumen aut liber sunt signa tum doctrinæ scriptæ, tum doctrinæ oralis, cum hac tamen differentia quod prioris sint signa *formalia*, posterioris autem *instrumentalia*. Formale est quod ducit in cognitionem alterius vi similitudinis; instrumentale autem quod ducit in cognitionem alterius vi cujuscum-

[1] Cf. Ciampini, *Vet. Mon.* vol. I. pl. XLVIII; Kraus, *Real. Encyclopedie*, art. *Kirche;* Martigny, *Diction.*, art. *Eglise;* Garrucci et De Rossi, *Mosaici.*

[2] Cf. Bosio, *Roma Sott.* p. 453; Perret, vol. II, 61, XXI; Martigny et Kraus, art. *Jesus Christ.*

que alterius connexionis. At vero, etsi istorum præsenti symbolo indicetur doctrina tum scripta tum oralis, attamen actus docendi aut prædicandi absque volumine aut libro nonnisi traditionem oralem significat, quia hujusmodi actus nullatenus doctrinam scriptam innuit.

17. — *f*) Quod circa traditionum existentiam asserit auctoritatum copia, idem confirmant rationum momenta.

Imprimis comprobatur ex analogia cum agendi modo scholarum omnium religiosarum nec non et philosophicarum. Quod argumentum ita docte proponit Canus: " Apostolos (dicit) maximis de causis alia quidem litteris, alia autem viva voce prodidisse. Sed quæ illæ causæ sint, repetendum altius videtur. Morem porro hunc tradendi quædam discipulis non scripto, sed verbo olim quoque scimus a philosophis observatum. Pythagoram certe hunc in modum discipulos instituisse posteriorum omnium scripta testantur. Qui et ipse, ut I Strom. Clemens Alex. refert, circumcisus fuit ut adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam disceret philosophiam. Galenus, l. II De Anat. admin. veteres physicos, ait artes a majoribus quasi per manus traditas conservasse. Cicero, lib. I De leg., serendos in republica mores existimat, nec scriptis omnia sancienda. Et eodem rursus libro sacra putat melius in republica conservari si a patribus accepta deinceps familiis prodantur. Cæsar, De bello gallico, lib. VI, Druidas scribit disciplinæ præcepta nefas existimasse ut litteris mandarentur [1]. " Cujus agendi rationes causæ fuerunt præcipuæ ne apud vulgum despicerentur altiores doctrinæ, non nisi paucis intelligibiles; nec vilescerent, propter familiarem consuetudinem.

Nonne et hisce diebus nostris contempta et derisa videmus apud insciam crasseque ignorantem plebeculam nedum mysteria religionis, sed etiam nobiliora rationis axiomata, dum omnibus quotidie insulso ingenio projiciuntur? Quanto sapientius antiqui, si, servato modo, nonnulla elevatioribus mentibus ex-

[1] *Loc. Theol.* L. III, c. III. Quæ Cani dicta omnino recentiorum studiis confirmantur. Cf. Lenormant, *Hist. Ancienne de l'Orient* et alia ejusdem opera. Kenrick, *Ancient Egypt.;* Brugsck, *Aus dem Orient*, etc. Cf. Opp. D. D. Letronne, Smith, etc. De traditionum et legum non scriptarum opportunitate legere potes J. De Maistre, *Consid. sur la France,* et alia opera. Cf. S. Th. 3. q. 25, a. 3; q. 64, a. 2; q. 72, a. 4; q. 78, a. 3; q. 83, a. 4.

plananda reservarunt, perpendentes quid vulgi " valeant humeri, quid ferre recusent [1]. „

His iisdem rationibus multa apud christianos primævos non nisi secreto, viva voce et sub symbolorum figuris et metaphoris tradebantur. Plura dogmata et mysteria nec pingebantur, nec sculpebantur, imo nec nomine proprio vocabantur, saltem coram omnibus indiscriminatim. Hinc est quod quædam doctrinæ ad " competentes „ tantum propalabantur; et S. Cyrillus hierosolymitanus in decem et octo Catechesibus ad *Illuminandos* nihil de mysteriis habet; in quinque autem cæteris ad *Illuminatos* longe expressius loquitur et docet [2]. „

Secretiores vero doctrinæ viva tantum voce tradebantur [3].

18. — *g*) Ex analogia vetus inter et novum Testamentum rursus demonstratur traditionum existentia et quidem duplici conclusione. Si quidem imprimis per quingentos supra duo millia annos, scil. ab Adamo ad Moysen usque, nulla scri-

[1] De illo more apud Philosophos Græcos observato, consulere potes, si libuerit, Card. Bessarion, *Contra calumniatores Platonis;* Joan. Picum, *Apologia*, etc.

[2] Cf. S. Cyrill. Hier., *Catech. Præfat.;* Tertull., *Apolog.* VII; *De Præscript.* XLI; Cf. Martigny, art. *Secret.* et *Catechumenat;* Kraus, art. *Katechetischer Unterricht*, etc. Longam auctoritatum seriem invenies apud Klée, *Hist. Dogmatum,* part. II, cap. VI, ubi de Eucharistia.

[3] Cæterum in hoc etiam Christi et Apostolorum præcepta sequebantur fideles: " Nolite dare sanctum canibus, inquit Christus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos „ (Matth. VII, 6). Unde Apostolus ad Corinthios: " Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. Sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis „ (I. Cor. III, 1, 2). Iisdem tamen viva voce jam prius de Eucharistiæ mysterio doctrinam tradiderat, prout ipse testatur: " Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis „ (I. Cor. XI, 23). " Denique, addit Natalis Alexander, postquam de tremendi istius mysterii institutione et usu dixit, indigneque communicantium scelus exposuit, addit in fine capitis: " Cætera cum venero disponam „ (v, 34). In græco habetur διατάξομαι, id est, ordinabo, constituam ac sigillatim præscribam. Cætera porro intelligit ad congruam dignamque mysteriorum divinorum celebrationem et sumptionem spectantia. Quæ cum in S. Pauli Epistolis scripta non habeamus, nec in ullo alio sacrorum Codicum loco, evidens est illa non nisi ex traditione accepta esse. " Neque enim, inquit Theodoretus, de omnibus poterat; sed cum scripsisset de magis necessariis, reliqua præsentiæ reservavit. „ Ex iisdem verbis colligit S. Augustinus, Epist. 118, ad Januarium, traditum ab Apostolo esse ritum et ordinem, quem in istius celebratione et sumptione mysterii universa Ecclesia observat. " Unde intelligi datur, inquit, quia multum erat ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur „ (*Hist. Eccles.* Sæc. II. Diss. XVI, § 1).

pta viguit lex. " Nam vetustissimi illi primorum sæculorum patres qui in lege naturæ ante Moysen veri Dei cultores sunt habiti, sacrificiorum ritum, veramque de rebus divinis sententiam, non scriptis legibus, sed etiam re et instituto majorum servavere. Circumcisionem quoque a Deo primum acceptam, Abraham deinceps familiæ prodidit. Proles vero illa hominum Hebræorum ejusmodi sacramentum non aut membranis aut tabulis inscriptum, sed in animis consuetudine imbutis quasi impressum conservavit; multosque annos in Ægypto citra ullam scriptam legem, unius Dei veram fidem et religionem tenuit [1]. "

Sed præterea, etiam post Moysi datam revelationem, nonnullæ remanserunt traditiones mere orales. Etenim " scribunt non modo celebres Hebræorum doctores, sed ex nostris Hilarius et Origenes (Hilar. sup. II Ps. — Orig. Hom. V in Num.) Moysen non legem solum, sed secretiorem legis enarrationem mente divinitus accepisse; præceptum autem ei a Deo ut legem quidem populo scriberet, legis autem occulta mysteria ipse ministro suo Josue, hic deinceps succedentibus sacerdotum primoribus magna silentii religione revelaret. Anatolius quoque apud Eusebium, lib. VII Eccles. Hist., c. XXVIII, Septuaginta interpretes refert Ptolomæo regi percontanti multa ex Moysis traditionibus respondisse. Atque illud etiam auctor VI libri Esdræ, c. XIV, non obscure testatur: " Enarravi, inquit, Moysi mira-" bilia multa, et præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba " et hæc abscondes. " Quod idem præceptum Dominus Esdræ lege instauranda dedit, inquiens: " Quædam palam facies, quæ-" dam sapientibus absconse trades [2]. "

Notandum vero est duplicis generis vulgo distingui apud Judæos traditiones: *dominicas* scil. et *pharisaicas*.

Dominicæ traditiones fuerunt libros canone Hebræorum contentos fuisse inspiratos; fœminas non minus ac viros peccatum originale incurrisse; atque aliquod habuisse remedium quo gratiam recuperarent; sacrificia veteris legis, non per se, sed virtute passionis Christi efficaciam suam sortita esse [3]. Unde apud

[1] Canus, *Loc. Theol.* L. 3, c. III. Cf. Opstrædt, *De Loc. Theol.* Diss. 2, q. III. § II, I. Sylvius, *Controv.* Lib. 2, q. II, a. IV. Penzi, *Theol. Rud.* Lib. IV, c. II.

[2] Canus, *De Loc. Theol.* L. 3, c. III. Quem hic omnino legas oportet.

[3] Cf. 2. 2. q. 2. a. 7.

Hebræos habebantur traditiones tum *extra*, tum *juxta* Scripturam sanctam [1].

Variæ fuerunt traditiones pharisaicæ, v. g. quod ante et inter comestionem lavandæ essent manus [2]; quod venientes e foro non deberent manducare nisi prius loti [3]; quod cum peccatoribus non esset comedendum [4]; quod nullus licite a peccatore tangeretur [5]; quod sabbato non liceret ægros sanare [6], vel, famis sedandæ causa, spicas vellere [7]; quod frequenter esset jejunandum [8]; quod per templum non liceret omnino jurare [9]; quod filii non tenerentur parentes honorare [10]; quod omnium, etiam minimorum, decimæ offerendæ essent, etc. [11]. Ex his igitur recte colligit Canus: " Hujus ergo optimi consilii rationem Jesus Christus vitæ magister habuit, habuerunt Apostoli. Multa enim a Domino illis tradita scribere noluerunt [12]. "

19. — *h*) Contra hæreticos probantur traditiones argumento *ad hominem*. Plura namque cum catholicis admittunt dogmata in Scripturis nullatenus contenta, v. g. baptizari posse parvulos, non iterandum baptismum semel rite collatum, non rebaptizandos qui ab hæreticis baptizati sunt, pronuntianda aliqua verba dum administratur sacramentum illud. Quum autem omnia hæc et multa alia soli traditioni nitantur, fatendum est ab hæreticis vel fidem ipsorum auctoritati divinæ non niti, vel traditionem auctoritatis divinæ esse.

[1] Cf. Exod. XIII, 8; Deut. XXXII, 7; Judic. IX, 13; Ps. XLIII, et Ps. LXXVII.
[2] Matth. XV, 1; Marc. VII, 3. Hinc in nuptiis Cana sex hydriæ positæ erant ad purificationem. Joan. II, 6.
[3] Marc. VII, 4.
[4] Matth. IX, 11; Luc. V, 30.
[5] Luc. VII, 30; Is. LXV, 5.
[6] Luc. VI, 7.
[7] Matth. XII, 1.
[8] Matth. IX, 14; Luc. V, 33.
[9] Matth. XXIII, 16.
[10] Matth. XV, 3.
[11] Matth. XXIII, 23. Decimæ offerri poterant, vel ex lege (Lev. XXVII, 30) vel ex voto (II. Paral. XXXI, 6); vel ex traditione (Luc. XVIII, 12. Cf. 2. 2. q. 87, a. 2 ad 3). Ex his traditionibus pharisaicis aliquæ utiles, aliquæ inutiles, aliquæ malæ fuerunt. De omnibus tamen arguit Judæos Christus, vel quia inde gloriam quærebant (Matth. XXIII, 5), vel quia divitias exoptabant (Matth. XXIII, 14; Marc. XII, 14); vel quia superstitiose iis utebantur (Matth. XXIII, 24). Post bellum cum Romanis sub Vespasiano, Judæi traditiones suas scriptis mandarunt. R. Judas, cognomine Sanctus, composuit Misnam, q. e. secunda lex, græce δευτέρωσις; cui postea accesserunt Gemara, seu commentaria. Cf. D. Calmet, *Diction. Bibl.* ad voc. *Traditio Misna*, *Deuterosis*. W. Smith, *Diction. of the Bible*, art. *Talmud*. Sixtus Senen. *Biblioth. Sancta*, Lib. II et III. Franzelin, *De Trad.* Th. XX.
[12] Canus, loc. cit. Cf. Becanus, *Analogia Vet. ac Novi Testamenti*, c. I. q. VII.

Dicent forsan illa se discere ex inspiratione privata. Sed vero, ille qui se a Spiritu sancto illuminatum dicit, a dæmone vel phantasia illudi quam facillime potest; ideoque istiusmodi hominis inspirati auctoritas insufficiens est ad probandum, præsertim in rebus fidei. — Quod confirmatur ex contradictionibus innumeris quibus inter se pugnant qui se inspiratos jactant. — Admittendum ergo est traditionis auctoritatem divinam aliquando dari posse et debere [1].

Quæ argumentandi ratio jam apud primos Ecclesiæ Patres usurpabatur, prout demonstrant innumera antiquitatis monumenta. Sic Tertullianus: " Quæramus an et traditio nisi scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, et exinde consuetudinis patrocinio vindicabimus. Denique, ut a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius, in ecclesia, sub antistitis manu, contestamur nos renuntiare diabolo et pompæ et angelis ejus; dehinc, ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit; inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus; Eucharistiæ sacramentum et in tempore victus et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus. Die dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid secuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix [2]. "

20. — *i*) Demum probatur propositio hac validissima ratione: Absque traditione, constare nequit de canonicitate et inter-

[1] Cf. Opstr., *De Locis Theol.*, Diss. 2, q. II, § II.
[2] *De Corona*, cap. III et IV. Cf. L. *De Carne Christi*, c. II, etc.

pretatione Scripturæ, ad minus sufficienti: ergo admittenda est traditio. Patet consequentia, quia secus inutilis foret Scriptura sacra.

Probatur antecedens, et imprimis quidem quoad canonicitatem Scripturæ.

Scripturæ canonicitas asserenda est auctoritate divina, secus enim non niteretur nisi motivo humano eodemque labili et insufficienti ad actum fidei. — Porro auctoritas divina haberi nequit nisi vel ex ipsamet Scriptura, vel ex inspiratione privata, vel ex traditione divina.

Sed auctoritas illa desumi nequit ex ipsa Scriptura, tum quia Scriptura sufficienter canonicitatem non asserit; tum quia asserere non potest, cum hujusmodi assertio, et quidem divina, supponat canonicitatem, quæ probanda hic est: unde esset petitio principii in arguendi ratione.

Nec desumi potest ex privata inspiratione, quia debilis est hujusmodi auctoritas, nec fidem publicam per se parere potest.

Ergo ex traditione sumenda est. Hinc Patres concilii Hipponensis III: " Placuit ut præter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur, sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicæ Scripturæ Genesis, Exodus, etc..... Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium episcopis, pro confirmando isto canone, innotescat, quia a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda [1]. "

Non aliter argumentandum est quoad interpretationem. " Hic forsitan requirat aliquis, inquit Lirinensis, cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exposuit; aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Cœlestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus,

[1] Can. 36 vel 47. Cf. S. Aug., *De Doctrina Christiana*, l. II, c. VIII.

ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur [1]. „

Ex ultimis tribus argumentis colligitur traditiones Scripturis antecellere tum *temporis* tum *cognitionis* ordine.

Ex iis igitur auctoritatibus rationibusque certo certius admittendæ sunt traditiones divinæ, nec respui absque protervia possunt. Unde ad litteram accipienda sunt ista Isaiæ oracula quæ de Ecclesia prolata fuisse testatur Apostolus [2]: " Et timebunt qui ab occidente nomen Domini; et qui ab ortu solis gloriam ejus, cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit; et venerit Sion Redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum [3]. „

DIFFICULTATES.

21. — *Obj.* 1ª Dixit Deus: " Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo [4]. „

Resp. 1° Locus ille intelligendus est indistincte de verbo Dei sive scripto sive tradito. Dicit enim Deus: " Non addetis ad verbum quod loquor. „

Resp. 2° Illicitum est homini addere ad verbum Dei, *Conc.*; illicitum est Deo addere ad verbum suum: *Neg.* Traditio autem nostra est ipsum Dei verbum.

22. — *Obj.* 2ª Apostolus ait: " Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit [5]. „ Atqui traditio evangelizat *præter quam* quod evangelizat Apostolus. Ergo.

Resp. 1° *Neg. min.* Si quidem traditio non est *præter* id quod evangelizavit Apostolus, sed est ipsamet ejus doctrina, cum adeo impense traditionem commendaverit. Allatis enim superius testimoniis hæc addi possunt: " O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem

[1] *Commonit.* l. I, c. II. Cf. Tertull., *De Præscript.*, c. XIX.
[2] Rom. XVI, 25, 26.
[3] Is. c. LIX, 19-21.
[4] Deut. IV, 2.
[5] Gal. I, 8.

exciderunt [1]. „ — “ Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti in fide et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi [2]. „ — “ Quæ audisti a me per multos testes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere [3]. „ — “ Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris [4]. „

Resp. 2° Illud *præter* tamquam *contra* interpretantur Patres, imprimis Hieronymus, Ambrosius et Augustinus [5]. Sæpius vox παρὰ apud græcos idem est ac *contra*, tum in verbis compositis, v. g. παρανόμημα, παράνοια, παράδοξον, παραλογισμος, etc., tum etiam separatim cum accusativo; unde Plato: λόγον παρὰ λόγὸν αντικατατείνειν [6].

23. — *Obj.* 3° Hæc habet Joannes in fine Evangelii sui: “ Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius [7]. „ Ergo, teste Joanne, Scripturæ sufficiunt ad salutem.

Resp. 1° Exinde imprimis liquet hæreticæ interpretationis falsitas eo quod ipsemet S. Joannes alia posterius scripserit, et alii pariter scripserint Apostoli: quæ ultimæ scripturæ inutiles evaderent, in sensu hæreticorum.

Resp. 2° *Neg. consequentiam*, nec Apostolus dicit sufficere Scripturas, sed tantummodo miracula narrata sufficere ad probandam divinitatem Christi, qui si semel ut Deus admittatur, proindeque ipsius credatur verbo sive scripto sive tradito, salvi erimus.

24. — *Obj.* 4° Paulus ita decernit: “ Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. „ Ergo Scriptura sufficit.

Resp. 1° *Neg. conseq.* Etenim, juxta Apostolum, Scriptura non est sufficiens, sed utilis, ὠφελιμος. Immerito concluditur ab utilitate ad sufficientiam.

Resp. 2° Si proterve contendas id sufficere quod est utile,

[1] I. Tim. vi, 20, 21.
[2] II. Tim. i, 13, 14.
[3] II. Tim. ii, 2.
[4] Ib. iii, 14.
[5] *In Comment.* Cf. Aug., *Cont. Faust.*, l. xvii, c. iii, et alibi.
[6] De Rep. l. i.
[7] xx, 30, 31.

reponam Scripturas tunc sufficere quando inter alias veritates traditionum necessitatem asserunt, *Conc.;* secus, *Neg.*

25. — *Obj.* 5° Sæpe sæpius Patres dicunt Scripturas sufficere. Ita Tertullianus, *Cont. Hermog.* c. XXII; — Athanasius, *Orat. cont. Gent.*, *initio;* — Chrysostomus, *Hom. in Psal.* XCV, etc.

Resp. accipiendo auctoritates et distinguendo sensum. Patres enim vel dicunt Scripturas sufficere non simpliciter, sed ad demonstrandam aliquam particularem veritatem de qua agebatur contra adversarios; vel asserunt Scripturas sufficere, dummodo audiantur non tamquam traditioni oppositæ, sed tamquam eamdem supponentes commendantesque [1].

Dices: Patres nonnunquam negant aliquid Scripturis addendum, v. gr. Tertullianus, *De Carne Christi*, c. VII.

Resp. Patres prohibere tantum vel ne aliquid *contra* Scripturam admittatur; vel ne aliquis *de suo* Scripturæ addat, ut patet ex Tertulliano, *loc. cit.:* " Non recipio, dicit Marcioni, quod extra Scripturam *de tuo* infers. „

26. — *Obj.* 6° Traditiones quæcumque sunt testimonium humanum: ergo debiles proindeque inutiles in re fidei, et rejiciendæ.

Resp. neg. suppositum. Traditiones enim divinæ sunt testimonium divinum, commissum Apostolis et Ecclesiæ sub Providentiæ divinæ speciali custodia, juxta illud: " Euntes docete omnes gentes..... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi [2]. „

27. — *Obj.* 7° Traditiones etsi olim extitissent, ad nos tamen usque pervenire non potuissent, sine corruptione aliqua, unde authenticæ a spuriis, veræ a falsis discerni non possent, proindeque omnes inutiles quasi dubiæ forent.

Resp. Dist. Si traditiones ad nos transmittendæ nobisque discernendæ fuissent solo hominum ingenio, *Transeat;* si autem et transmittendæ et discernendæ fuerunt per magisterium vivens Ecclesiæ provideque a Deo institutum et conservatum, *Neg.* Porro nos supponimus hujusmodi magisterium, ubi de traditionibus agitur.

Si quis alias fusiores difficultates atque solutiones cupit, adeat

[1] Quo sensu ait Basilius: " Arbitror autem Apostolicum esse etiam non scriptis Traditionibus inhærere. „ *De Spir. S.* c. XXIX.

[2] Matth. XXVIII, 19, 20.

pluries relatum Natalem Alexandre, qui nihil relinquit non propositum et cum summa crisi solutum [1].

Sive ergo ex rationum nostrarum pondere, sive ex difficultatum solutione, constat omnino existere in vera Dei Ecclesia traditiones divinas præter Scripturam sacram.

28. PROPOSITIO II. — *Traditio divina est locus adæquatus quo Deus totam religionem revelatam nobis transmisit.*

Ita intelligenda est prædicta propositio quod in traditione inveniantur omnes veritates fidei et moribus pertinentes, nisi quidem explicite, saltem implicite. Nullatenus autem contendimus in traditione divina contineri omnia facta particularia quæ libris inspiratis continentur, nec per se ad religionis essentiam spectant.

Iterum advertendum est traditionem cum Scriptura duplici respectu conferri posse, scil. vel respectu signi seu manifestationis, vel respectu significati, seu rei significatæ.

Respectu signi, traditio a Scriptura distinguitur tamquam pars a parte totius alicujus, quia veritas concepta aut verbo aut signo materiali, imprimis scriptura propalatur.

Respectu autem significati, seu veritatum de fide et moribus revelatarum, traditio distinguitur a Scriptura tamquam totum a parte, ita ut traditio easdem omnes veritates revelatas contineat, quas Scriptura continet, et non *vice versa*.

Sic explanata probatur propositio.

29. — *a*) *Ex Scripturis.* Cœlum mox ascensurus ita Christus Apostolos alloquebatur: " Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis, et Prophetis, et Psalmis de me (scil. in *toto V. Testamento*). Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis quoniam et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die (*ecce compendium totius N. Testamenti*), et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem omnium peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. Vos autem testes estis eorum. Et ego mitto Promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute (*græce* δύναμιν) ex alto [2]. " — Quæ-

[1] *Hist. Eccles.* Sæc. II. Diss. XVI.

[2] Luc. XXIV, 44-50. Cf. Rom. X, 18; Act. I, 8; Ps. XVIII, 6.

nam sit illa *virtus* antea dixerat Salvator in ultima cœna: " Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo: cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, etc.[1]. „

Ex his porro textibus patet Christum Apostolis duplicem scientiam contulisse, nempe scientiam utriusque Testamenti et scientiam aliarum veritatum in neutro Testamento contentarum. Duplicem vero hanc scientiam absque scripto contulit, et ad nos absque scripto transmitti voluit, dum ejusdem designavit quidem *prædicatores* et *testes*, non autem scriptores. Ergo utramque continebat traditio oralis Apostolorum.

30. — *b*) *Ex Patribus* sufficiat Irenæum adduxisse qui hæc decretoria protulit verba: " Quid, si neque Apostoli quidem Scripturas nobis reliquissent? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis quam tradiderunt iis quibus ecclesiam committebant? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum eorum qui Christum credunt sine charta et atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes[2]. „ Censet ergo Irenæus traditione contineri omnes veritates saluti necessarias, dum e contrario alias statuerit Scripturas non esse necessarias: " Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, addit, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum ad sententiam, et consuetudinem, et conversationem, propter fidem, per quam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia et castitate et sapientia[3]. „ Unde, juxta Irenæum, datur Scriptura fidelibus, non ut sciant, sed *quasi scientibus*, sicut et ipse sentiebat Joannes apostolus[4].

31. — *c*) Hinc non male sapientissimus D. Bañez traditionem contra Lutheranos definivit doctrinam " quæ oretenus primitus fuit tradita et accepta, quamvis postea canonicis Scripturis fuerit mandata[5]. „ Hæc ille eximius Cani discipulus, innuens traditionem Scripturamque sic ab invicem distingui quod prior omnes veritates revelatas contineat, posterior autem non nisi pauciores.

32. — *d*) Scriptis auctoritatibus suffragantur monumenta archæologica.

[1] Joan. XVI, 12.
[2] *Contr. Hær.* L. III, c. IV.
[3] *Adv. Hæres.* L. III, c. IV. Cf. Chrysost. in II. Thess. Hom. IV.
[4] I. Epist. II, 21-27.
[5] In 2. 2. q. 1, a. 10.

Hinc nonnunquam absque libro aut volumine prædicant Apostoli in vetustioribus picturis, ut supra diximus.

Eodem sensu, apud veteres christianos, Christi et Apostolorum loco fingebantur *sedes* seu *cathedræ*, " Antistes prædicat unde Deum [1], „ de quarum significatione hæc habet Tertullianus: " Percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident [2]. „

Licet enim de veris Apostolorum, præsertim S. Petri, sedibus loquatur Tertullianus, ejus tamen dicta de sedibus symbolicis quasi *a fortiori* intelligantur oportet, siquidem ea fuit fidelium intentio ut doctrinam hujusmodi symbolo exprimerent. Haud secus apud Bosium [3] visitur *cathedra* [4] *velata*, i. e. duobus velis superpositis umbrata, cum columba dorso cathedræ insidente, eademque *nimbum* ferente, ceu Spiritus sancti symbolo. Nec ibidem libri vel vestigium apparet. Hic luce meridiana clarius habetur traditionis, ejusdemque veritatum revelatarum plenitudinem simpliciter continentis manifestum signum. Quapropter vocantur *cathedrales* ecclesiæ quibus invenitur sedes episcopi cui jus competit docendi; imo Cathedra romana aliquando dicta est " nutrix Pontificii [5]. „

33. — *e*) Probatur iterum ratione theologica.

Imprimis, ex alias dictis vel dicendis, certum est Scripturas interpretandas esse juxta traditionem in Ecclesia acceptam: ergo traditio complectitur omnes veritates Scriptura contentas; alias enim interpretandi eas regula non foret [6]. Ergo.

34. — *f*) Primitus in Ecclesia traditio omnes veritates revelatas complectebatur: atqui nihil postea immutatum fuit. Ergo.

Prob. maj. De veteri Testamento nihil dicendum, siquidem constat revelationem per multa sæcula sola traditione ad posteros mandatam fuisse; posterius autem vel scripturam non

[1] Prud., *Peristeph.* Hymn. CCXXXV.

[2] *Præscript.* XXXVI. Cf. Martigny, art. *Chaire;* Kraus, art. *Cathedra;* Garrucci, pl. 226, et passim.

[3] *Rom. Sott.* p. 327.

[4] Cf. S. Aug. *ad Maxim.* CCIV.

[5] *Extrav. De Sepult.*, c. II.

[6] Hinc fatetur ipse Wünsche, vir protestanticus, occurrere nonnulla in libro cui titulus Διδαχή τῶν δώδεκα Αποστόλων, circa medium sæculum primum exarato, recentiusque tandem reperto, quæ inter ἄγραφα δόγματα recensenda omnino sunt. Cf. Wünsche: *Die Lehere der zwölf Apost.*, cap. I.

nisi præviæ prædicationi accessisse [1], vel explanationem aliquam fuisse prophetiarum voce tenus transmissarum.

De novo autem Testamento, certum est revelationem veritatum religioni per se pertinentium completam perfectamque fuisse ab ascensu Christi in cœlum, et descensu Spiritus sancti in Apostolos non quidem quoad *explicationem*, sed quoad *substantiam;* seu, si malueris non quidem *subjective*, sed *objective*, juxta recentiores. Quod ita adstruit prælaudatus Bañez: " Nobis multo probabilior videtur sententia quod Apostoli statim in adventu Spiritus sancti in die Pentecostes receperint plenitudinem donorum Spiritus sancti in tanta abundantia, ut noverint omnem veritatem de iis quæ pertinent ad necessitatem salutis... Constat apud theologos scholasticos quod donum intellectus datur in subsidium fidei ad penetrandum fidei mysteria. Cum ergo Apostoli hujus doni plenitudinem, ut fidei prædicatores, acceperint illo die, necesse est ut penetraverint et distincte cognoverint mysteria fidei quatenus necessaria erant ad salutem gentium [2]. „

Haud secus S. Thomas ait: " Docuit Spiritus sanctus Apostolos omnem veritatem de his quæ pertinent ad necessitatem salutis, scil. de credendis et agendis [3]. „ Mox antea autem statuerat Spiritum Apostolis datum esse statim post Christi glorificationem. Dicitur Joan. VII, 39: " Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Jesus erat glorificatus. „ Ex quo datur intelligi quod statim glorificato Christo in resurrectione et ascensione, fuit Spiritus sanctus datus [4]. „ Ergo ab illo tempore tota existebat revelatio veritatum saluti necessariarum, qualem voluit Christus.

At vero, usque in finem quasi primi sæculi revelatio monumentis scriptis contineri non potuit, quum nondum existerent omnes libri novi Testamenti [5], proindeque traditio fuit locus theologiæ adæquatus.

[1] Is. VII, 3; XXXVII, 6; XXXIX. 5; Jerem. II, 2; VII, 2; XI, 3, etc. Vide etiam Is. XL-LXVI; Ezech. XL-XLVIII.

[2] In 2. 2. q. 1, a. 7.

[3] 1. 2. q. 106, a. 4, et q. 174, a. 6.

[4] 1. 2. q. 106, a. 4.

[5] En temporum seriem qua conscripti fuerunt libri Novi Testamenti, juxta probabiliorem supputationem: Anno 36, Matthæus Evangelium suum conscribit; an. 43, Marcus suum Evangelium; an. 45, Petrus suam primam Epistolam;

" Constat igitur doctrinæ fidei jam vulgatæ scriptionem Evangeliorum accessisse: accessisse, inquam, non præcessisse.

an. 52, Lucas suum Evangelium, et Paulus suam primam Epistolam ad Thessalonicenses; an. 53, Paulus secundam ad Thessalonicenses; an. 55, Paulus Epistolam ad Galatas; an. 56, Paulus Epistolam primam ad Corinthios; an. 57, Paulus secundam ad Corinthios; an. 58, Paulus Epistolam ad Romanos; an. 61, Paulus Epistolam ad Philemonem; an. 62, Paulus Epistolas ad Philippenses, ad Colossenses et ad Ephesios; an. 63, Paulus Epistolam ad Hebræos, et Lucas usque ad hunc annum Acta perducit; an. 64, Paulus Epistolas primam ad Timotheum et unam ad Titum; an. 66, Paulus secundam ad Timotheum, et Petrus suam secundam Epistolam; an. 94, Joannes suam Apocalypsim; an. 96, Joannes suum Evangelium; an. 98, Joannes suas tres Epistolas.

Quæ series chronologica admittitur in Bibliis apud Plon, Parisiis anno 1865, impressis. Licet autem in dubium revocari possit nonnulla hujus seriei epocha, hoc tamen certum est hanc chronologiam adversariis favere, utpote nonnunquam forte anticipatam, nunquam autem in tardius revocatam.

Quod quidem omnino confirmatur ex historia rerumque naturis. In utroque enim Testamento vix aliquid scriptum est quod prius non fuerit traditum.

In veteri Testamento libri historici non narrant nisi facta præterita, anteaque cognita, quin etiam, salva inspiratione, ex anterioribus documentis nonnunquam habita. Cf. Lamy, Vigouroux, Glaire, etc.

Psalmi prius memoria quam scriptis consignati fuere apud Hebræos.

Prophetiæ antea populo prædicabantur quam monumentis mandarentur.

Præcepta demum, quæ omnia ad Decalogum, seu ad prima principia morum naturaliter cognita referebantur (2. 2. q. 56, a. 1; 1. 2. q. 100, a. 3 et 11; 3 et 5), primum cordibus postea tabulis inscripta sunt. Res clarior evadit quoad Testamentum novum, imprimis quoad Evangelia. Cujus testis locupletissimus habetur Eusebius: " Matthæus, inquit, cum Hebræis primum fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod præsentiæ suæ adhuc superesse videbatur, scripta illis quos relinquebat supplevit „ *Hist. Eccles.*, Lib. III, cap. XXIV.

De S. Marci Evangelio ita rursus scribit: " Tantus veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent cœlestis verbi doctrinam viva voce nullis traditam scriptis accepisse, sed Marcum Petri sectatorem, cujus hodieque extat Evangelium, enixe orarent ut doctrinæ illius quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret „ Lib. II, cap. XV.

" Lucas in ipso Evangelii sui exordio quæ sibi scribendi causa esset exposuit. Ait enim multos temere atque imprudenter aggressos fuisse narrationem earum rerum quas ipse exploratas haberet, ac proinde se necessitate adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret, certissimam ac fidelissimam narrationem earum rerum quarum ipse veritatem ex Pauli contubernio, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus hauserat, Evangelio suo tradidisse „ L. III, c. XIV.

De S. Joanne Evangelista demum hæc refert: " Perlatis jam in omnium ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus Evangeliis, approbavisse ea Joannes et veritatem scriptorum suorum testimonio confirmasse dicitur „ (L. III, c. XIV); compulsus imprimis, teste Hieronymo (*De Script. Ecclès.*, c. IX), ab Asiæ episcopis, contra Ebionitarum nascentem hæresim. Cf. Alzog., *Hist. Eccl.* §§ 58-61.

Cæteri autem Apostoli vel nihil scripserunt, vel de aliquo speciali themate

Constat item christianam Ecclesiam et religionem non litteris primum, sed traditione substitisse. Constat rursus fidei doctrinam in Ecclesia primitiva non a Scripturis habuisse auctoritatem, sed contra Scripturas a traditione..... Constat denique aliquando in Ecclesia Christi fuisse catholica dogmata quæ nullis litteris continerentur [1]. „ Ita S. Joannes in sua Epistola I. testabatur: " Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam..... Vos, quod audistis ab initio, in vobis permaneat [2]. „

Semel autem scriptis novi Testamenti libris, traditionem nec peremptam, nec inutilem evasisse, probatur tum quia non ideo conscripti fuerunt illi libri ut totam revelationem continerent, sicut supra dictum est, tum quia nullibi asseruit Christus aliquando cessaturam traditionem, quin immo ejusdem perpetuos ubique testes voluit Apostolos.

35. — *Confirmatur* 1°. Secus, amissis aliquibus Scripturæ libris, de quibus alias, imminuta fuisset revelatio, quod dici repugnat.

Confirmatur 2°. " Sicut primus homo institutus est in statu perfecto, quantum ad corpus, ut statim posset generare; ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere et gubernare [3]. „ Pariter " docuit Spiritus sanctus Apostolos omnem veritatem de his quæ pertinent ad necessitatem salutis, scil. de credendis et agendis [4], „ quia nempe alios instruere debebant. Unde, juxta doctissimi Bañez sententiam, " error est in fide asserere quod post Apostolorum tempora, doctores Ecclesiæ, vel etiam ipsa Ecclesia plura credat de pertinentibus ad fidem, aut explicatius, quam Apostoli et sacri scriptores evangelicæ doctrinæ crediderint [5]. „

Porro, sicut Adamus, ita et Apostoli doctrinam excellentiori mensura acceptam, non quidem scripto, sed voce posteris trans-

clarius exponendo vel remotius degentes tutando scripserunt. Vix excipi poterit Apocalypsis liber, qui scriptus est, ut videtur, quin prius voce prædicatus fuisset (Apocal. I, 3, 11, 19; XXII, 19, etc.). Notandum vero est " verba prophetiæ hujus „ habenda esse qua rei evangelicæ seu christianæ in mundo usque " ad consummationem sæculi „ explanationem historicam simul ac propheticam, indeque quasi consectarium doctrinæ prius a Christo traditæ. Cf. Glaire, *Introduction hist. et crit. aux Livres de l'A. et du N.-T.*, tom. V. Vide opp. Vigouroux, Lamy, etc.

[1] Canus, L. III, c. III.

[2] I. Epist. Joan. c. II, 21, 24.

[3] 1. q. 94, a. 3.

[4] 1. 2. q. 106, a. 4.

[5] In 2. 2. q. 1, a. 7; Penzi, *Theol. Rud.*, L. IV, c. II, Axiom. II.

mittere jussi sunt, cum plures ex ipsis nihil scripserint; qui autem scripserunt, aliquas tantum veritates tabellis consignarunt, sicuti jam antea diximus.

Ergo totam Christi et Spiritus sancti revelationem tradere voce, non scripto, debuerunt; indeque traditio, qualis in ipsis extitit posterisque transmittenda fuit, omnem veritatem revelatam complectebatur. — Hinc Apostoli *Symbolum* fidei quasi revelationis et traditionis compendium confecerunt; hinc etiam variæ ecclesiæ propria ex traditionibus symbola condiderunt.

36. — *Corollarium I.* Ex dictis colliges traditionem Scripturis dupliciter præcellere, scilicet *prioritate* et *extensione.* Duplici imo prioritate præcellit, nempe *temporis* et *rationis:* temporis quidem, ut ex allatis probationibus constat; rationis vero quia sine traditione ipsamet Scriptura nec quoad authentiam, nec quoad dotes alias certo demonstrari potest, et intelligi. — De extensionis prærogativa nihil amplius addendum, præter superius hac de re allata.

Corollarium II. Exinde simul liquet quare prius de traditione, posterius de Scriptura egimus.

Corollarium III. Ex dictis colliges summam dari similitudinem quoad modum Scripturas inter et traditiones divinas easdemque authentico Ecclesiæ judicio assertas. Utrinque enim res seu doctrina a Deo dictante est; utrinque verbum a Deo assistente, cum in definitionibus dogmaticis Ecclesiæ, non secus ac in scribendis Scripturis, conferatur divinitus assistentia ne verba insufficientia veritati exprimendæ adhibeantur. Illa præsertim remanere videtur diversitas circa doctrinam utrinque revelatam, quod in Scripturis per testes scribentes Deus manifestat; in traditionibus autem, per testes loquentes: illos quidem immediate, istos autem vel immediate vel mediate edoctos.

DIFFICULTATES

37. — *Obj.* 1° Ex hac doctrina sequitur manifesto Scripturam inutilem fore in Ecclesia.

Resp. Neg. Remanent enim imprimis illæ utilitates peculiares quibus intendebant scriptores sacri, de quibus alias dicendum est; remanet iterum aliqua universalis utilitas eo quod traditionis asserta documento scripto confirmantur.

38. — *Obj.* 2° Doctrina prædicta doctoribus contraria videtur, qui ubique et semper Scripturam prius, traditionem posterius referunt.

Resp. Conc. antec. et *neg. conseq.* Hac de causa patres atque theologi Scripturam prius adhibent, quia in ipsa tum res significata, tum ipsummet signum a Deo sunt, illa quidem a Deo dictante, istud autem a Deo assistente, ut infra dicetur; traditio autem, si ex monumentis humanis, v. g. scriptis veterum, vel oralibus testimoniis hauriatur, a Deo, quoad signum seu verbum, etiam assistente, esse non censetur. Præterea brevius aliquando clariusque contra adversarios arguitur ex aliquo proposito Scripturæ textu, quam ex auctoritatum collectione, vel ex testimonio Ecclesiæ ab hæreticis non recepto.

39. — *Obj.* 3° In monumentis figuratis archæologiæ, dum Deus, vel Christus, aut Maria, Apostoli, doctores et alii, aliquo docendi munere fungi finguntur, quam sæpissime volumen vel librum manu gestant, indeque Scripturæ præeminentiam omnimodam vindicare videntur.

Resp. Conc. antec. et *neg. conseq.* Ex supradictis namque patet libro aut volumine, cum apud christianos, tum apud gentiles, significari verbum mox scriptum, mox traditum, imo solum jus vel peritiam dicendi. Hinc apud Romanos, imperatorum, oratorum, poetarum effigies volumen passim manu tenent [1].

40. — *Obj.* 4° Scholastici, theologorum principes, etsi Scripturis plus minus attenderint, vix traditiones asserunt, sed ubique parvifacere istas videntur, ac proprio ingenio indulgere: unde insulsa et nova videtur doctrina prius exposita.

Resp. Neg. suppositum et conseq. Siquidem scholasticorum principes traditionem ubique investigabant et ad unguem sequebantur. Hic retulisse sit satis Aquinatem, *Catenæ aureæ* auctorem, de quo recentior aliquis non male dixit: „S. Thomam traditionis flumen continuasse, et per Thomam ad fluminis fontes assurgendum [2]." Insulsa ergo dicenda potius est objectio illa, neque in his fides nonnullis recentioribus adhibenda est, qui veteres fingunt ignaros unde ipsi doctiores videantur.

[1] Cf. Martigny, art. *Volume;* Kraus, art. *Bücher.*

[2] P. Schrader S. J. *De Triplici Ordine*, c. II, n. 167, in nota. — Hinc V. Humbertus a Romanis, an. 1274, ad patres concilii Lugdun.: „Pro theologia videretur expediens quod Biblia glossaretur continue de dictis Sanctorum, in libris non glossatis." Bibl. Vat. Fund. Reg. n. 880.

APPENDIX

DE SYMBOLIS

41. — Cum symbola traditionis eximia documenta eximiæque probationes simul sint, placet de iisdem heic nonnulla brevius addere. Nota σύμβολον apud Suicerum idem esse ac pactum cum Deo.

Quatuor sunt symbola, nempe *Apostolicum*, *Nicænum*, *Constantinopolitanum* et *Athanasianum*.

42. — Apostolicum, quod cæteris brevius, simpliciusque remansit, certo Apostolorum opus dicendum est, qui priusquam per orbem dispergerentur, hoc totius religionis compendium, omni memoriæ et intellectui retentu ac captu facillimum [1], composuerunt, promulgaverunt, secumque in omnes terrarum regiones detulerunt.

Quod primitus, sic testantibus Hieronymo et Ambrosio aliisque, scriptum quidem non fuit, sed vocetenus transmissum. Hinc, licet in omnibus regionibus idem quoad contentas veritates ubique fuerit, aliquatenus tamen quoad formam immutatum fuit, diversumque evasit, unde habentur forma *Romana*, *Aquilejensis*, *Ravennas*, *Africana*, *Hispanica*, *Gallicana*, *aliqua Gallicanam inter et Hispanicam media*, *Consueta*, *Marcelli Ancyrani*, *Alexandrina*, *Cæsaræensis*, *Antiochena*, *Hierosolymitana* [2]; ex quibus Romana melius quam cæteræ omnes conservata a Patribus dicitur [3].

Hinc, anno 809, S. Leo III, " pro amore et cautela orthodoxæ fidei, fecit ubi supra (i. e. juxta S. Petri confessionem, in basilica S. Petri) scutos argenteos duos scriptos utrosque symbolo (scil. Apostolorum, sic antonomastice dicto), unum quidem litteris græcis et alium latinis, sedentes dextra lævaqué super ingressum corporis (i. e. S. Petri), pensantes argenti libras nonagintaquatuor et uncias sex [4]." Dignum fidei monumentum [5]!

43. — Nicænum symbolum, anno 325 in primo ex œcumenicis

[1] S. Thom. 2. 2, q. 1, art. 8 et 9.

[2] Cf. Denzinger, *Enchiridion*, p. 1-10, edit. IV; Bingham, *Orig. Eccl.*, c. X; D. Calmet, *Diction. de la Bible*.

[3] Ambros. *Epist.* VII *ad Siric.*; Rufin. *Exposit. Symb.*; Aug. (?) *Hom. de Symb.*

[4] Anastas. Biblioth. *In Leon. III.*

[5] De Symbolo Apostolorum cf. Nat. Alex., *Hist. Eccl.*, Sæc. 1°, Diss. XII; Billuart, *De Fide*, Diss. I, art. VII; Fabric. tom. III, p. 339; *Acta SS.*, ad 15 Jul.

conciliis compositum fuit, cujus articulos, teste Athanasio [1], Osius, romani pontificis legatus, breviores paucioresque fecit. Scripsit autem Hermogenes, ep. Cæsareæ in Cappadocia, prout refert Basilius thessal. [2]. Finis autem fuit asserere Christi divinitatem, ab Ario negatam, in symbolo proinde fusius assertam.

44. — Symbolum Constantinopolitanum, in secundo concilio generali, an. 381, Constantinopoli celebrato, editum fuit. Quod, jubentibus concilii patribus, conscripsit S. Gregorius Nazianzenus. In eodem vero imprimis asseruit et mysterium Incarnationis contra Apollinaristas hæretice de eodem sentientes, et Spiritus sancti divinitatem contra Macedonianos, ac plura de utroque capite Nicæno symbolo addidit. Cui postea particulam *Filioque* pariter Ecclesia romana inseruit de processione Spiritus a Filio. Idem hodie in missis post Evangelium recitatur.

45. — Symbolum denique Athanasianum, sic dictum, ut videtur, quia ab auctore proprio, scil. Vigilio Tapsensi, africano [3], prout vult recentior critica, tributum Athanasio fuit; vel etiam quia continet doctrinam egregie ab Athanasio propugnatam. Nonnulli tamen Athanasio tamquam auctori tribuunt, voluntque illud qua professionem fidei orthodoxæ, depositum fuisse primo in manibus Julii I papæ, in concilio romano, anno 340, postea autem sedulo in archivio Ecclesiæ romanæ, atque inter ejusdem concilii acta asservatum [4]. Quod mirabile omnino est cum profunditate doctrinæ, tum assertorum soliditate ac perspicuitate.

Hoc fuit symbolis proprium quod sua natura tamquam traditio, ore ab omnibus recitarentur tamquam fidei regulæ [5].

ARTICULUS II.

DE TRANSMISSIONE TRADITIONIS DIVINÆ

46. — Hic tria inquirere necesse est ac sufficit, scilicet utrum *transmittendæ fuerint traditiones ad posteros; quanam via*, et *qua perspicuitate* seu *quo modo*. Quorum si deficiat unum aut alterum, inutiles evadunt traditiones, saltem nobis posterisve nostris.

[1] *Epist. ad Jovin. Imperat.* [2] *Epist. ad Innoc. III.*

[3] Qui vixit circa finem sæculi v. Cf. D. Ceillier, *Hist. des Aut. Ecclés.*, t. xv, p. 250. De his lege Denzinger, op. cit. in princ., et Kraus, art. *Symbole.*

[4] Cf. Wetzer, in *Kirchen-Lex.*; Richard et Giraud, *Diction.*; Billuart, *De Fide:* Diss. I, art. VII; S. Th. 2. 2. q. 1, a. 10, ad 3.

[5] Cf. Klée, *Hist. Dogm.*, vol. I, part. I, cap. VI; Mansi, t. II, p. 759.

I. Utrum transmittantur Traditiones divinæ.

47. — Propositio: *Traditiones divinæ in Ecclesia ad posteros usque ad finem sæculi fuerunt transmittendæ.*

Probatur.

a) Quæ propositio non nisi corollarium est prioris asserti, scilicet traditionem quæ primitus fuit locus revelationis adæquatus, nec peremptam, nec diminutam fuisse, post exaratos novi Testamenti libros. Iterum tamen propriis argumentis demonstratur.

48. — *b*) Ex Scripturis. Ait enim Christus: " Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi [1]. " Et rursus: " Prædicate Evangelium omni creaturæ [2]. " Quibus verbis testatur Christus se futurum esse cum Ecclesia docente et prædicante *usque ad consummationem sæculi*. Græce habetur ἕως συντελείας τοῦ αἰῶνος. Vox autem αἰών non nisi *ævum*, seu tempus indefinitum sonat, unde apud græcos vitam humanam, vel epocham cujuscumque durationis, imo æternitatem significat.

Confirmatur. Apostolus Timotheo traditionem commendat non sibi servandam, sed posteris etiam transmittendam: " Quæ audisti a me per multos testes, inquit, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere [3]. " Vult ergo Apostolus traditiones ad posteros sine interruptione transire.

His adde traditionem ab Apostolo vocari " depositum [4]. " Qua metaphora significatur quasi thesaurus amico creditus atque alteri transmittendus [5].

49. — *c*) Quapropter patres concilii septimi œcumenici hæc habent: " Fatemur autem unanimiter nos ecclesiasticas traditiones, sive scripto, sive consuetudine valentes et decretas retinere velle [6]. " Inde etiam, juxta Tridentinam Vaticanamque synodum, traditiones " quasi per manus ad nos usque pervenerunt. "

50. — *d*) Consentiunt doctores omnes in Ecclesia. " Servetur ecclesiastica prædicatio, inquit Origenes, per successionis or-

[1] Matth. xxviii, 20.
[2] Marc. xvi, 15.
[3] II. Tim. ii, 2.
[4] I. Tim. vi, 20; II. Tim. i, 14.
[5] Cf. Lirin., *Commonit.*, L. i, cap. xxvii.
[6] *Def. fidei.*

dinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica discordat traditione [1]. „ — “ Si ad divinæ traditionis caput et originem revertamur, ait S. Cyprianus, cessat error humanus, et sacramentorum cœlestium ratione perspecta, quidquid sub caligine et nube tenebrarum obscurum latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiose prius et largiter profluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur, utrumne crescentibus venis in capite unda siccaverit, an vero integra inde et plena procurrens, in medio itinere destiterit? Ut si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est quominus aqua continua perseveranter ac jugiter flueret, refecto et confirmato canali, ad usum atque ad potum civitatis aqua collecta eadem ubertate atque integritate repræsentetur, qua de fonte proficiscitur. Quod et nunc facere oportet Dei sacerdotes, præcepta divina servantes, ut si in aliquo nutaverit et vacillaverit veritas, ad originem dominicam, et evangelicam et apostolicam traditionem revertamur, et inde surgat actus nostri ratio, unde et ordo et origo surrexit [2]. „

51. — *e*) Quam doctrinam exprimere sane voluerunt illi primi fideles, qui, apud orientales simul et occidentales, in fronte absidali ecclesiarum basilicarumque suarum superius Christi effigiem, infra vero Apostolorum et pontificum depingebant, qua illam traditionis perpetuitatem exprimerent. Haud secus præsertim in vetustissima S. Sabinæ de Urbe Basilica visebatur antiquitus imago Christi summa fronte absidis, inferius romanorum pontificum imagines, utrinque autem civitates symbolicæ Jerusalem et Bethleem, cum columbis, fidelium animarum symbolis, ad Christum hinc inde volantibus [3]. Ita in diversis veterum temporum ecclesiis [4]; et aliquando in librorum liturgicorum [5] capite.

52. — *f*) Accedat demum ratio theologica. Christus cœlos ascendens, Ecclesiam suam in terris omnino constitutam reliquit, ita ut nihil in ea unquam immutandum sit quoad rerum

[1] *Periarch.*, Lib. I, in præf. [2] *Epist. 74. Ad Pamp.*

[3] Ciampini, *Vet. mon.*

[4] Cf. Opp. Cl. De Rossi, Garrucci, D'Agincourt, etc.

[5] *Acta SS.* April.

naturam. Atqui eam reliquit traditione fundatam. Etenim, ait Tertullianus, " si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores quam quos Christus instituit, quia nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelaverit; nec aliis videtur revelasse Filius quam Apostolis, quos misit ad prædicandum utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est quod illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva (quod ajunt) voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quæ cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei [1]. " Ergo traditio usque ad sæculorum finem perdurare debet.

DIFFICULTATES

53. — *Obj.* 1° Impossibile est aliquam traditionem per tot sæcula conservari, saltem incorruptam.

Resp. Impossibile est si desint media sufficientia, *Conc.;* si vero dentur media sufficientia simul et efficacia, *Neg.* Porro hæc reapse dari ex sequenti propositione patebit.

54. — *Obj.* 2°. De facto nonnullæ traditiones divinæ interruptæ sunt in Ecclesia, v. gr. de Immaculato Conceptu, prout ingenue fatetur recentior hujus dogmatis historicus.

Resp. Traditiones divinæ quæ veritates saluti necessarias continent aliquo modo interrumpi possunt et de facto aliquando interruptæ sunt, *Neg.;* traditiones quæ veritates saluti non necessarias continerent, interrumpi possunt *prætermissive*, ita ut scil. de iis aliquando apud doctores minus agatur, *Transeat;* interrumpi possunt *contradictorie,* ita ut nempe aliqua traditio, quæ ab Ecclesia quondam admissa fuerit, postea ab Ecclesia rejiciatur: *Neg.* Neque ex dogmatum historia adduci factum

[1] *De Præscr.*, cap. XXI. Cf. Franzelin, *De Trad.*, thes. VII et VIII.

potest quo imminuatur hujus sententiæ certitudo. De illo autem historico hic nihil curandum, prout viro in rebus theologicis et aliis quibusdam indigentissimo.

II. Dantur reapse media quibus transmittantur divinæ Traditiones.

55. — Media sunt vel *necessaria*, ceu ea quibus finis obtinendus est; vel *utilia*, quibus nempe facilius obtinetur. De utrisque hic dicendum.

Propositio I. — *Mens Ecclesiæ sub speciali Dei providentia est medium necessarium, quo transmittendæ sunt traditiones divinæ.*

56. Supponimus ergo Ecclesiæ menti adesse specialem Dei providentiam seu assistentiam quam Christus promisit: „ Docete...: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi [1]; „ qua fit ut de facto nunquam erret Ecclesia in asserenda aliqua traditione divina. Optime Canus: „ Quod si Christi providentia Ecclesiæ christianæ deest, tum vero nec traditiones asservatas ego defendo, nec certam Scripturæ auctoritatem. Utraque enim juxta res sine Dei procuratione non constat. Quam si tollas, neque traditio nec Scriptura vindicatur. Sed si Christo curæ Ecclesia sua est, jam non erit ambiguum quin, quemadmodum Evangelium illa in sensu potius quam in littera custodit, ita et cæteras custodiat traditiones, quas ei Apostoli tantopere commendarunt [2]. „ Sed præter illam quasi interiorem assistentiam, datur et alia quodammodo exterior, qua „ omnia quæ recipiendis custodiendisve traditionibus contraria videntur obstacula, aut singulari auxilio (Deus) removeat, aut etiam in adminicula convertat.

„ Ne obstaret humani intellectus ignorantia et in rebus divinis cæcitas, iis signis et argumentis traditiones apostolicas munivit, ut in omnium hominum oculos, quantumvis ignorantium et stolidorum, incurrant; ne illas deleat oblivio et incuria, nunquam desinit excitare episcopos et pastores zelo plenos, qui populum dormientem resuscitent; malitiam vero et per-

[1] Matth. cap. XXVIII, 19, 20.

[2] *De Loc. Theol.*, L. III, c. VII.

versionem non sic invalescere sinit, quin ubique terrarum reservet sibi viros quos amore veritatis ac justitiæ accendat; per errores autem et hæreses adeo traditiones obliterari non patitur, ut iis ipsis utatur ad veritatem magis illustrandam. Nunquam enim hæresis aut error Ecclesiam invasit, quin suscitaverit Deus doctores catholicos, qui, debellatis hæreticis, oppugnatam ab illis veritatem illustriorem redderent. Denique vis, tormenta, tyranni, ludente eos Providentia divina, quid aliud effecere, quam ut martyres palam Christum confitendo, Christum omnibus prædicarent [1]? „

Supposita simul et probata illa Dei providentia speciali, nostra nunc demonstratur propositio, ita ut ejusdem sensus sit conservari traditionem divinam mente Ecclesiæ posse, quin scriptis ullis sive sacris, sive profanis retineri debeat.

57. — *a*) Ex Scripturis. Passim in Scripturis traditio dicitur *res credita, doctrina audita, disciplina per multos testes transmissa*, etc. Quæ loquendi rationes indicant disciplinas memoriter conservatas.

Idem asseritur voce *depositum* quo eadem significatur traditio. Depositum dicitur græce παραθήκη, et nonnunquam in sensu traditionis etiam apud profanos auctores usurpatur. Παραθήκην ὑμῖν τὰ ἔπεα τάδε τίθεμαι; *hæc vobis verba deposito trado*, inquit Herodotus. “ Quid est depositum? quærit Lirinensis. Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens [2]. „

58. — *b*) Suffragantur pontificum, patrum, conciliorum auctoritates; siquidem omnes uno ore volunt traditionum vim admitti, quin Scripturis sacris commendetur earum authentia vel interpretatio: ergo *a fortiori* non est commendanda per scripturas non sacras, aut aliquod hujusmodi documentum: unde prima remanebit traditio si Ecclesiæ memoria conservetur. Quam conclusionem ita expressit Clemens Alexandrinus: “ Arcana, sicut Deus, verbo credi, non scripto. Sed enim traduntur

[1] Opstræt, *De Loc. Theol.*, Diss. II, q. III, § II. Cf. 2. 2., q. 1, a. 7.
[2] *Commonit.*, L. I, c. XXVII.

mystice mysteria, ut sit etiam in ore loquentis id quod loquitur; potius autem non in voce, sed in intelligentia [1]. „

Confirmatur ex cathedris quibus columba insidet apud archæologos, ceu traditionis symbolo memoriter transmissæ sub Dei providentia.

59. — *c*) Idcirco illa, ut ajunt, " commissio „ theologorum quibus a Pio IX creditum fuerat munus investigandi fundamenta ubi innititur dogma de Immaculato Conceptu, sibi quosdam canones theologicos præstituit, unde discernendi regulas sumeret, inter quos isti præsertim notantur : *Primo*, traditionem non necessario scribendam fuisse, nec aliis monumentis consignandam; *Secundo*, omnia traditionis monumenta non necessario ad nos usque pervenisse. " Ridiculum est enim, ait Melchior Canus, credere apostolicas traditiones non eadem fide ac diligentia posse in fidelium cordibus asservari, ac si in papyro scriberentur. Nam nec scriptura Spiritus Dei vivi facilius quam atramenti deletur, et sunt pleræque traditiones quas more et usu facillime videas retineri [2]. „

60. — *d*) Cæterum eamdem doctrinam confirmant rationes theologicæ.

Imprimis, cum in utroque Testamento, antequam ulla existeret Scriptura, omnia dogmata memoriæ mandarentur, tunc sane sufficienter conservabatur vera religio. Porro, ut diximus, nihil immutatum fuit quoad traditionem, postquam scribi cœptum est: Ergo remansit et memoria fidelis, qua, auspice Deo, conservaretur traditio.

Accedit argumentatio ista, scil.: Deus jussit traditiones asservari vel in monumentis, vel in sola memoria Ecclesiæ: atqui non in monumentis, cum nil tale unquam præceptum inveniatur; imo nec inveniri possit, siquidem alias non amplius esset traditio. Ergo in mente Ecclesiæ.

Confirmatur ex analogia cum factis solemnibus historiæ humanæ, quæ in familiis et in civitatibus per multa sæcula conservari possunt solius memoriæ ope [3]. Longe facilius dogmata religiosa, prout conscientiæ innixa, conservari possunt.

1 *Strom.*, L. I. Cf. Klée, *Hist. Dogm.*, t. I, P. I, c. VI.
2 *Loc. Theolog.*, L. III, c. VIII.
3 Cf. Opstræt, *De Loc.*, Diss. II, q. II, § II; Gatti, *Instit.*, vol. III, p. 685.

61. — *Corollarium I.* Ex dictis plura fluunt summi momenti corollaria, quorum primum est non requiri ad firmitatem traditionis, ut pro illa explicita vel saltem implicita Scripturarum testimonia afferri possint. Ratio est tum quia traditio latius quam Scriptura patet, tum quia traditio quasi mole sua stat.

Corollarium II. Non requiritur ut traditio patrum et doctorum scriptis contineatur, sed sufficit testimonium Ecclesiæ orale.

Corollarium III. Inde non requiritur ut omnia scriptæ vel figuratæ traditionis monumenta ad nos usque pervenerint.

Corollarium IV. Nec proinde requiritur ad asserendam traditionem ut produci possit series ininterrupta testimoniorum et monumentorum privatæ auctoritatis.

Corollarium V. Non requiritur ut nunquam diversæ habitæ sint inter privatæ auctoritatis fideles de asserenda traditione opiniones, cum assistentia perpetua non fuerit promissa nisi Ecclesiæ.

Corollarium VI. Attamen, propter eamdem Spiritus sancti assistentiam, traditio unius sæculi a traditione alterius quoad essentiam, in mente Ecclesiæ differre nequit: secus enim Deus sibi contrarius foret.

Corollarium VII. Unde fluit traditionem quæ aliquando in Ecclesia credita fuerit, semper creditam fuisse, saltem implicite.

DIFFICULTATES

62. — *Obj.* 1° Traditiones soli memoriæ commendatæ facilius corrumpuntur, imo pereunt.

Resp. 1. Minus verum est traditionem soli memoriæ Ecclesiæ commendatam esse, prout patebit ex thesi sequenti, ubi demonstrabitur eamdem monumentis consignari, licet non necessario.

Resp. 2. Traditio commissa soli memoriæ facilius labitur vel corrumpitur, *Transeat;* traditio commissa memoriæ Ecclesiæ sub Dei tutela, facilius labitur et corrumpitur, *Neg.*

Obj. 2° Ergo inutilia sunt quæ vocantur traditionis monumenta.

Resp. Neg. Siquidem, etsi non necessaria, attamen utilia esse possunt, quod mox dicturi sumus.

63. — Propositio II. — *Media utilia transmittendis traditionibus sunt verba vel facta Ecclesiæ.*

Ecclesia traditiones exterius conservat vel *verbis* tum *scriptis* tum *significatis ;* vel *actionibus suis.* Verba significata dicimus quæ signo seu symbolo aliquo exprimuntur, scilicet picturis, sculpturis, architectonicis, etc.

64. — 1° Probatur propositio quoad verba sive scripta sive significata seu figurata.

a) Analogia ex sacris Scripturis ducta. Licet enim veritas revelata nullatenus scribenda necessario fuerit, attamen congruenter nonnullæ veritates scripto mandatæ sunt, inspirante Spiritu sancto. Ita, a primis Ecclesiæ temporibus, tum ad instruendos fideles, tum ad refellendos hæreticos, opus fuit ut nonnulla doctrinæ christianæ capita scriptis mandarentur a patribus et conciliis. Sciuntque omnes quanta voluminum mole constet Patrologia, Collectio conciliorum, Bullarium Romanum, etc.; sciunt quot et quantæ veritates in Liturgiis, in Actis Martyrum, etc. asserantur; sciunt quot et quantæ in archæologiæ monumentis omnibus.

Porro illa omnia doctrinarum primitivarum documenta traditionem optime conservant, ut patet, tum quia in se stant, tum quia posterorum mutationes impediunt.

65. — *b*) Sicut ergo ab Apostolis et ab ipso Christo remittimur ad lectionem Scripturarum [1], imo ipsimet sacri scriptores Scripturam passim allegant [2]; haud secus patres et ipsa Ecclesia ad priorum scriptorum et conciliorum asserta, ad antiquitatis monumenta semper et ubique nos remittunt, et sic ad Apostolos usque ascendere cogunt, prout fusius postea, ubi de auctoritate Patrum, ostensuri sumus.

Haud secus reipsa passim faciunt et ipsi doctores et theologi omnes, siquidem ita continuo arguunt: Asseritur in antiquitatum christianarum monumentis: Ergo verum est.

66. — *c*) Ita cæterum documentis hujusmodi conservantur historiæ profanæ facta: a fortiori conservari fideliter possunt dogmata sacra in antiquitatis christianæ documentis, de quibus

[1] Joann. v, 39; II. Tim. iii, 16; Rom. xv, 4.
[2] Joann. vii, 38; xix, 24, 28, 36, 37; Rom. iv, 3; Dan. v. 17, etc.

hæc habuit S. Ambrosius : " Servemus igitur præcepta majorum, nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate violemus. Librum signatum illum propheticum non seniores, non potestates, non angeli, non archangeli aperire ausi sunt: soli Christo explanandi ejus prærogativa servata est. Librum sacerdotalem quis nostrum dissignare audeat, signatum a confessoribus, et multorum jam martyrio consecratum [1]? „

Confirmatur. Apud antiquos passim in ecclesiis legebantur et legendæ proponebantur antecessorum epistolæ et libri. Hinc pingebantur patres et doctores cum voluminibus aut libris vel manu retentis, vel capsa inclusis, ut videre est apud archæologiæ peritos.

67. — 2° Probatur propositio quoad facta et usus:

a) Imprimis ex facto biblico, siquidem sub Testamento utroque, priusquam nonnihil scriberetur, multa solo usu conservabantur, quoad ritus, cæremonias, totamque religionem: quidni, etiam datis Scripturis, solo usu conservari possent?

b) De facto multa frequentantur in ecclesia quoad sacramenta, cultum sanctorum atque eorumdem invocationem, etc., quæ solo et quidem a temporibus apostolicis ininterrupto usu conservata sunt.

c) Quinimo solemne fuit apud primos christianos nonnulla mysteria usu tantum ad fideles et posteros transmittere; v. g. circa Eucharistiam, aliaque sacramenta, prout patet ex documentis historicis et archæologicis, et sicut supra diximus de lege secreti apud antiquos servata.

d) Hinc omnium patrum sententiam refert S. Hieronymus, dum ita pronuntiavit: " Multa quæ per traditionem in Ecclesiis observantur auctoritatem sibi scriptæ legis usurparunt [2]. „

e) " Et quid hoc miramur in traditionibus apostolicis, qui idem fieri conspicimus quotidie in humanis? Vivunt pagi, oppida, provinciæ, juxta leges, consuetudines, jura, privilegia sibi a majoribus tradita, etsi ea scripto expressa nunquam sint; discunt ea filii a parentibus, non scripto, sed usu; quod parentes facere vident, id faciunt ipsi; et dum faciunt, iterum posteros ut idem faciant, solo usu docent: atque ita traditiones humanæ solius usus adminiculo æternum plerumque perseverant.

[1] *De fide*, ad Grat. L. II.
[2] *Adv. Lucif.*, c. IV. Cf. S. Aug., *De Bapt.*, L. II, c. VII.

" Quid quod gentes singulæ, quantumvis rudes ac barbaræ, traditos sibi a majoribus ritus ac cæremonias, quibus idola sua colunt, solo fere usu addiscant, et per plurima sæcula retineant?

" Linguas autem vulgares quid apud vulgus per tot sæcula conservat, nisi solus usus? Nam etsi nec grammaticæ exstent, quibus linguæ istæ doceantur, perseverant tamen, et, nisi violente mutentur, solius usus vehiculo in seram propagantur posteritatem [1]. "

f) Quæ si vera sunt de rebus humanis, liberis scil. et contingentibus, longe veriora erunt de rebus ad religionem proindeque ad conscientiam ipsam pertinentibus. Unde patet traditiones transmitti posse per usus et consuetudines. Quod cæterum rursus et quidem universalius patebit, ubi de consuetudine qua loco theologico.

68. — *Corollarium I.* Ex prima propositionis parte sequitur asseri posse traditionem, si proferantur, non quidem omnia, sed aliqua tantum et quidem solemnia et decisiva doctorum testimonia, prout non immerito statuit " commissio " theologorum cui jussum fuit ut inquireret doctrinæ immaculatæ Conceptionis documenta.

Corollarium II. Ex altera autem parte colligitur quod eadem statuit commissio et cum ipsa theologi omnes, sc. sufficere ad asserendam traditionem quod istam in sua praxi observet Ecclesia.

Difficultates autem si quæ fuerint, hic insolutas relinquimus et infra solvendas referemus, ubi de auctoritate Patrum et consuetudinibus in genere agetur.

III. Quomodo transmittuntur Traditiones.

69. — Hic non amplius de via qua transmittuntur inquirimus, sed de modo quo se habent veritates in ipsamet traditione.

Porro se habere possunt vel *explicite* vel *implicite:* Explicite quidem se habent, si in se asserantur; implicite, si asserantur in alio. Haud secus in ipsa Scriptura explicite asseritur existentia Christi; implicite autem asseritur ejusdem facultas ridendi, cum illa in se affirmetur, ista autem in asserta Christi humanitate.

[1] Opstræt, *De Loc. theol.*, Diss. II, q. III, § II; Razzi, *De Loc. theol.*, l. III, præl. III.

70. — PROPOSITIO I. — *Veritates fidei in traditione nonnunquam explicite continentur, et quidem mox necessario, mox congrue.*

Prænotetur oportet ex veritatibus religiosis alias esse saluti necessarias sive necessitate *medii*, sive necessitate *præcepti divini*; alias tantummodo utiles, prout advertunt omnes theologi, ubi tractant de iis quæ explicita fide credenda sunt, licet forsan de numero hujusmodi veritatum inter se disputent [1]. Illas necessario, istas congruenter explicitas continet traditio.

Quoad utrasque veritates demonstretur propositio nostra.

1° Probatur quoad veritates necessarias:

a) Auctoritate Apostolorum qui hac de causa symbolum suum condiderunt [2].

b) Auctoritate Patrum, quorum nomine S. Thomas de eodem symbolo vetustiori et præstantiori traditionis monumento hæc habet: " Necessarium fuit fidei veritatem in unum colligi, ut facilius posset omnibus proponi, ne aliquis per ignorantiam fidei a veritate deficeret [3]. "

c) Ratione. Etenim veritates illæ quæ explicite necessario ab omnibus credendæ sunt, in Scripturis nec semper contentæ fuerunt, nec necessario continentur. Ergo continentur in traditione.

Patet antec., quia supra ostensum est traditionem Scripturæ præcellere tum duplici prioritate, tum extensione; imo Scripturam per se non esse necessariam, data Ecclesiæ œconomia.

Probatur conseq., quia, præter Scripturam non datur aliud medium quo innotescat revelata veritas, nisi traditio. Veritates igitur necessario et explicite credendæ ab homine, in traditione explicite et necessario comprehendi debuerunt. Cujusmodi fuerunt dogmata de numero et natura sacramentorum; de Scripturarum authentia, etc.

2° Quoad veritates quæ explicite credendæ non fuerunt aliqua necessitate, sed tantummodo cum utilitate, patet easdem non contineri necessario simul et explicite in traditione, licet sæpe sæpius reipsa et quidem congrue contineantur.

a) Imprimis probatur ex facto. Etenim revera plures hujusmodi veritates traditione continentur: v. gr. perpetua Deiparæ virginitas, quatuor esse Evangelia, etc. Ita Patres et Doctores.

[1] Cf. 2. 2, q. 2, aa. 5, 6, 7. [2] Cf. *Catech. Rom.* P. I, c. I. [3] 2. 2, q. 1, a. 9.

b) Probatur hac ratione. Illæ veritates supponuntur saluti utiles: ergo congrue in præcipuo veritatum revelatarum loco et quidem explicite continentur.

Licet autem istæ veritates non necessario in traditione explicentur; attamen si semel contineri demonstrentur, a nullo respui possunt.

71. — Propositio II. — *Aliquæ veritates implicite tantum in traditione comprehenduntur.*

a) Probatur exemplo Apostolorum qui sicut in scriptis suis, præsertim in epistolis, ex aliqua veritate prius in Scripturis asserta colligunt alias veritates, illi vel præsuppositas vel subsecutas; haud secus ex veritatibus voce prius annuntiatis apud fideles corollaria educunt. Ita imprimis S. Paulus [1].

Confirmatur eo quod Apostolus jubet ut ex traditione contra adversarios arguatur. Vult enim episcopum amplecti „ eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere [2]. „ Quinam fuerit, juxta S. Paulum, *fidelis ille secundum doctrinam sermo*, scimus ex ipso S. Paulo, qui traditionem oralem enixe passim commendat tamquam adæquatum doctrinæ complexum.

Quin imo ex ipsismet allatis verbis, si in textu græco legantur, insinuatur veritas tradita. Habetur enim ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου. Vox autem διδαχή potius præceptum et admonitionem, id est doctrinam traditam, seu docendi actionem significat. Porro vult Apostolus ex illa admonitione arguendos esse adversarios, quod fieri nequit nisi ex illa doctrina educantur variæ consequentiæ contra versipellem errorem. Illæ autem consequentiæ implicite in principiis continentur.

b) Probatur iterum auctoritate Ecclesiæ.

Patres enim, Concilia, Doctores et Pontifices omnes, sive ad explanandas veritates, sive ad tuendas contra adversarios, eodem semper modo quo S. Paulus se gesserunt, ut patet ubique in eorumdem scriptis. Ex dogmatibus dogmata, ex doctrinis doctrinas passim educunt et probant. Hoc imprimis in more fuit apud Scholasticos. Quorum omnium mentem ita ex-

[1] Cf. I. Cor. xi, per totum; S. Basil. *De Spiritu sancto*, c. xxix; S. Jo. Chrys. *Hom.* xviii *in Epist. ad Hebr.*

[2] Ad Tit. i, 9.

pressit Vincentius Lirinensis, celeberrimo illo effato: " Quodcumque in hac Ecclesia Dei agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur; hoc idem floreat et maturescat ; hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est enim ut prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur [1]. " Hinc passim distinguunt Patres inter fidem simplicem ejusdemque scientiam; inter substantiam fidei et profundiora quæsita: et hoc quidem de traditione non secus ac de Scripturis.

Confirmatur ex monumentis archæologicis.

Non parum laborant eruditi ut nobis cum aliqua probabilitate explanent cur adeo frequenter primi christiani quatuor anni ætates in monumentis exprimerent [2], cum symbolis propriis, adstante plerumque Christo sub pastoris vel Orphæi forma. Haud improbabile nos censemus hic significari doctrinam revelatam, imprimis fidelibus traditam, quæ in terra bona seminata, prosperatur, juxta Lirinensis mox relatam metaphoram.

c) Probatur iterum hac ratione. Apud homines non datur veritas quæ tota simul in se et in consectariis comprehendatur et exprimatur, quia homo, prout corpore et anima per unitatem substantialem compositus, nihil habet in intellectu quod prius non habuerit in sensu, proindeque discurrere debet et veritates lento et tardo gradu investigare: hinc est quod veritatem quasi in partes dispersam assequitur, nec, sicut angelus, in principio viso videt omnes consequentias et connexiones. Porro cum omnibus et singulis veritatibus, præsertim altioribus, i. e. supernaturalis ordinis, innumeræ connectuntur aliæ veritates, quas exprimere simul nec facile nec utile fuit. Istæ autem dicuntur implicite expressæ, quia non in se, sed in aliis asseruntur. Ergo etiam in traditione implicita dogmata inveniuntur.

Ex dictis sequuntur corollaria quædam jamdiu passim notata.

72. — *Corollarium I.* Necessarium non fuit ut totum fidei catholicæ objectum semper formalibus verbis etiam oretenus, exprimeretur, sicut nec fuit necessarium quod distincte intelligeretur. Sed tamen eo congruentius expressæ fuerunt veritates saluti non necessariæ, quo proximius ad veritates necessarias accesserunt.

[1] *Commonit.*, l. I, c. XXIX. Cf. Schœzler, *Intr. in S. Theol.*, Q. II a III, per totum.
[2] Cf. Martigny, art. *Saisons;* Kraus, art. *Jahreszeiten.*

Corollarium II. Ad asserendam traditionem sufficit quod indicari possint principia quædam in traditione contenta, ex quibus prior illa profluat. Cum enim traditio a Spiritu sancto auctore et conservatore sit, inde est illam omnimoda certitudine pollere, non modo quoad veritates explicite in ea contentas, sed etiam quoad omnes alias veritates necessario cum illis connexas, proindeque quasi aliquod totum cum illis componentibus. Dum igitur Spiritus sanctus principia revelavit, consectaria pariter revelavit, istaque illorum certitudinem participant.

Corollarium III. Demum ad asserendam traditionem aliquam sufficit quod ipsa negari non possit, quin extemplo aliquis articulus ad fidem pertinens vel negetur, vel in dubium revocetur, etsi de isto Scriptura nihil habeat. Si enim alter absque alterius ruina negari nequit, signum est inter utrumque dari maxima connexio, et in revelatione prioris contineri ipsam revelationem posterioris.

DIFFICULTATES

73. — *Obj.* 1° Etiamsi admittatur vis traditionis explicitæ, non tamen admittenda videtur efficacia traditionis implicitæ. Ista enim operatione mentis humanæ ab alia propositione educitur: atqui mens humana semper labilis est: ergo labilis et fides.

Resp. 1. Falsum est in omnibus labilem esse mentem humanam, si sana remanserit.

Resp. 2. Deductiones illæ ab Ecclesia, sub speciali præsidio Providentiæ fiunt: ergo falsæ esse nequeunt.

Obj. 2° Lirinensis traditionem definit “ quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. „ Porro traditio implicita hujusmodi non est: ergo nec traditionis nomen meretur.

Resp. Dist. Lirinensis traditionem vocat “ quod ubique....., etc. creditum est, sive explicite sive implicite. *Conc.;* implicite tantum, *Neg.*

ARTICULUS III.

DE DISCRETIONE TRADITIONUM.

74. — Asserta traditionum divinarum transmissione, probanda est earumdem possibilis discretio. Nisi enim veræ a falsis, certæ

a dubiis distinguantur, vix proderit traditionum certa existentia.

Porro traditionum, sicut et omnium quarumlibet legum, discretio duplici criterio fieri potest, nempe publico, i. e. Ecclesiæ, quod dicitur *authenticum* et *primarium;* et privato, scilicet fidelium, quod dicitur *personale* seu *doctrinale* et *secundarium.*

De utroque statuenda est propositio.

75. — Propositio I. — *Traditiones discernuntur judicio authentico Ecclesiæ.*

Hic dicimus judicium authenticum illud quod fertur ab auctoritate, cui jus publice competit interpretandi et discernendi. Unde in propositione prædicta duplex asseritur jus Ecclesiæ, nempe circa existentiam traditionum confirmandam et earumdem exhibendam interpretationem. Judicium autem suum ferre potest Ecclesia tum definitione aliqua, ut patet, tum ratione agendi, et hæc erit interpretatio *usualis.*

Probatur ergo propositio.

a) Christus in Scripturis jussit ut Petrus, proindeque Ecclesia, pasceret oves et agnos. Porro officium illud supponit jus discernendi salubria pascua a veneficis; i. e. doctrinam veram a falsa. Ergo. Iterum Ecclesia perpetuo comparatur cuidam regno, cujus princeps est Petrus: principi autem competit jus leges authentice interpretandi. Christus itaque ait ad discipulos prædicatores: " Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit [1]. "

Demum continue Apostoli in epistolis sibi jus tribuunt aliisque episcopis faciunt discernendi inter falsas atque veras traditiones, imprimis SS. Paulus, Joannes et Petrus.

b) Non aliter SS. Patres et Doctores. Ita S. Irenæus: " Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire; et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos..... Etenim si recondita mysteria fuissent, Apostoli quæ seorsum et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas ecclesias committebant. " Postquam omnium ecclesiarum maximam, i. e. romanam speciatim nominaverit, ita pro-

[1] Luc. x, 16.

sequitur: " Tantæ igitur ostensionis cum sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositarium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritates, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones, propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Etsi quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum et re liquidum est [1]? " Alias dicit: " Quapropter eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt [2]. "

Ita Tertullianus: " Quid autem prædicaverint (Apostoli), id est quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt [3]. "

Quapropter Agatho papa ad Constantinum Pogonatum ista scribebat: " Ut autem vestræ divinitus instructæ pietati quid apostolicæ nostræ fidei vigor contineat breviter intimemus, quam percepimus per apostolicam apostolicorumque Pontificum traditionem, et sanctarum quinque generalium synodorum, per quas fundamenta catholicæ Christi Ecclesiæ firmata atque stabilita sunt: hic [4] igitur... "

Confirmatur. Hinc nonnunquam in monumentis antiquis S. Petrus sub boni Pastoris figura repræsentatur, prout videre est in vetustissima S. Clementis de Urbe basilica. Cujus sane effigiei sensum ipsemet tradiderat S. Petrus dicens: " Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro, consenior et testis Christi passionum: .....Pascite qui in vobis est gregem Dei [5]; " quod fieri nequit nisi discernere possint cibos inter et cibos.

Unde S. Thomas ita solemniter statuit " quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus

[1] *Adv. Hæres.* l. III, c. III.
[2] Ibid. l. IV, c. XLIII.
[3] *De Præscr.*, c. XXI.
[4] Inter Acta Concil. VI, CP.
[5] Epist. I, c. V, 1, 2. Cf. Schœzler, *Intr. in S. Theol.*, Q. II, a. II.

æmulanda: quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet; unde magis est standum auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris [1]. „

c) Probatur demum hac efficaci ratione, scil.: Christus totam revelationem Ecclesiæ suæ custodiendam et explanandam commisit: atqui traditio est ipsamet revelatio, quoad veritates saluti pertinentes, prout supra ostensum est: Ergo. — " Si enim, inquit Opstræt, traditiones ab Apostolis apud Ecclesiam depositæ sint, et ab ipsa fideliter custodiantur, ad ipsam indubie, cum de aliqua traditione quæstio oritur, spectat judicare sitne ea apostolica, an non sit, hoc est, sitne an non sit ab Apostolis apud sese deposita [2]. „

Coroll. I. Quum ergo Ecclesia, sive per summum Pontificem, sive per Concilium generale, sive per consensum totius fidelium communitatis, aliquam traditionem existere asseruerit, vel ejusdem traditionis explanationem obtulerit, fides ei adhibenda est, tamquam authentice judicanti. Sic pronunciavit Ecclesia v. gr. in Concilio Tridentino, de numero sacramentorum, de numero librorum canonicorum, etc.; sic de Assumptione B. V. Mariæ per totius communitatis catholicæ consensum [3].

Coroll. II. Nec minor fides adhibenda est si aliquam doctrinam tamquam hæreticam respuat Ecclesia, siquidem hoc casu propositio contradictoria vel de fide vel proxima fidei censenda erit, quamvis forsan nihil de iis in Scriptura habeatur.

Coroll. III. Ex dictis colligere licet traditionem, imo et consensum communem, esse quidem fidei criterium, non tamen immediatum, sed mediatum, i. e. mediante auctoritate Ecclesiæ. Quod dictum sit contra quosdam neo-hæreticos qui se *veteres-catholicos* appellarunt, cum tamen non sint nec *veteres* nec *catholici*.

76. — Propositio II. — *Traditiones inquiri possunt judicio doctrinali.*

Quæ inquisitio fieri potest sive ad explanationem certorum: optimum namque est fidei suæ rationes et consequentias notas habere; sive ad solutionem dubiorum, quia veritas *in se* certa, quandoque tamen incerta *quoad nos* esse potest.

[1] 2. 2, q. 10, a. 12.
[2] *De Loc. Theol.*, Diss. II, q. IV, § 1.
[3] De his cf. omnino Canum, lib. III, c. IV; Bellarm. *De Verbo Dei*, lib. IV, c. IX.

a) In Scripturis passim jubentur fideles ut caute traditiones veras a falsis seligant. " Denunciamus autem vobis, fratres, ait Apostolus, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis [1]. „ Qualis autem fuerit illa traditio, ipse monuit Apostolus mox antea dicens: " Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram [2]. „

b) Quam doctrinam exemplo suo comprobant Patres et theologi omnes, imo et ipsa Ecclesia, dum antiquitatis christianæ monumenta undique exquirunt, priusquam asserant veritatem traditam. Hinc S. Athanasius laudat episcopos nicænos quod " non sibimet ipsis adinvenientes verba, sed habentes ea a Patribus, testimonia conscripserunt [3]. „

Quapropter sibi quærenti quid factu opus erit Lirinensis, si grassanti errori nec Scripturas nec Concilia opponere possimus, ita respondet: " Tunc operam dabit (fidelis theologus) ut collatas inter se majorum consulat interrogetque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiæ catholicæ communione et fide permanentes, magistri probabiles extiterunt; et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter, uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum [4]. „ Idem Lirinensis de ephesinis patribus inter multa alia in ipso auctore legenda hæc habet: " Post hæc admirati sumus et prædicavimus quanta concilii illius fuerit humilitas et sanctitas, ut tot numero sacerdotes, pene ex majori parte metropolitani, tantæ eruditionis tantæque doctrinæ, ut prope omnes possint de dogmatibus disputare, quibus præterea ipsa in unum congregatio audendi ab se aliquid et statuendi videtur addere fiduciam; nihil tamen novarent, nihil præsumerent, nihil sibi penitus arrogarent, sed omnibus modis præcaverent, ne aliquid posteris traderent, quod ipsi a Patribus non accepissent [5]. „

Nec diversa sententia prohibet Tridentina Synodus ne quis

[1] II. Thess. III, 6. [2] Ibid. II, 15.

[3] *Epist. ad Afros.* — Vide quæ habet de Patribus Ephesinis Vincentius Lirin. in *Commonit.*, cap. penult.

[4] *Commonit.*, c. IV. — Cf. Tertull., *De præscript.*, c. XIX.

[5] *Commonit.*, cap. penult.

" contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari audeat [1]; " quod prohibuit " ad coercenda petulantia ingenia, " supponens proinde dari posse traditionum sicut et Scripturarum interpretationem doctrinalem.

Confirmatur. Traditio est lex: atqui omnium legum datur interpretatio et discretio tum authentica, tum doctrinalis. Ergo.

c) Probatur iterum auctoritate omnium theologorum, qui sive ad propugnandas veritates catholicas contra heterodoxos; sive ad pariendam sibi creditorum dogmatum clariorem notitiam; sive etiam ad proprias opiniones contra alias tuendas, quotidie antiquorum sententias et quærunt et proferunt.

d) Haud secus olim christiani artifices, dum eisdem plus curæ esset veritatem quam nostratibus exprimere, in monumentis non qualescumque etiam in se pias traditiones, sed antiquitate comprobatas, in monumentis referebant, ita ut vix in christianæ archæologiæ remanentibus documentis invenire liceat vestigia rara minus probatæ doctrinæ.

e) Cujus agendi rationis istud fuit et est motivum quod omnis veritas, etiam revelata, rationabilis esse debet, prout a creatura rationabili accipienda: Ergo sese offerre intellectui debet cum sufficientibus probabilitatibus sive evidentiæ, sive auctoritatis, hasque ipsa ratio agnoscere debet et quidem prudenti judicio. Ergo supponenda est discretio aliqua privata et doctrinalis.

77. — *Corollarium.* Hinc liquet explicationem doctrinæ traditæ apud nos nullatenus permutationem esse, sed evolutionem seu profectum ejusdem veritatis, non quoad substantiam, sed quoad explanationem [2].

DIFFICULTAS

78. — *Obj.* Distinctio doctrinalis, de qua diximus, nihil aliud est quam judicium privatum: atqui judicium privatum in interpretandis sive Scripturis sive traditionibus, protestantium hæresim sapit. Ergo nulla admittenda est distinctio doctrinalis traditionum.

Resp. Discretio illa doctrinalis protestantismi nota insimulanda erit, si tamquam lex suprema interpretationis statuatur:

[1] Sess. IV. Cf. Conc. Vat. in Const. *Dei Filius,* c. II. [2] Bañez, in 2. 2, q. 1. a. 7.

Conc. Si tamquam lex proxima et subordinata: *Nego.* Hoc enim sibi vindicat protestans ut veritatem per se tantum videat; catholicus autem ut videat per se et per Ecclesiam.

APPENDIX

CANONES QUIBUS TRADITIONES DISCERNI POTERUNT.

79. — Haud inutile visum nobis est hic canones aliquos apponere, tamquam prædictorum corollaria, quibus variæ traditionum species inter se dignoscantur. Qui varii a variis auctoribus passim afferuntur; nobis autem sequentes magis arriserunt.

Triplici serie fuerunt distinguendi, propter triplicem traditionum speciem, juxta superius allatam partitionem, nempe divinarum, apostolicarum, ecclesiasticarum. Licet enim de divinis tantum per se nobis agendum sit, et actum fuerit, attamen indicandæ sunt notæ quibus illæ a cæteris secernantur, istæque ab illis, ne forsan in theologi mente confusio nonnulla oriatur.

I. Canones ad discernendas traditiones divinas.

80. — Canones illi vel ab intrinseco seu a rei natura, vel ab extrinseco seu ab auctoritate desumendi sunt.

1° Ex rei natura divina traditio ostendi poterit, si v. gr. materia traditionis potestatem Ecclesiæ manifesto transcendat, ita ut in ea nec dispensatio nec mutatio haberi possit.

2° Desumi idem potest vel ab auctoritate publica Ecclesiæ, vel ab auctoritate privata.

Patet illud reipsa ad traditionem pertinere quod pertinere asseritur ab ipsa Ecclesia, sive per summos Pontifices, sive per Concilium generale, sive auctoritate quacumque certa loquatur.

Auctoritas privata est vel auctoritas ecclesiarum particularium, vel auctoritas doctorum. Utraque autem, datis quibusdam circumstantiis, potest certo traditionem divinam demonstrare.

Si enim Ecclesiæ particulares ab Apostolis fundatæ fuerint, eamdemque doctrinam vel praxim antiquitus a principio retinuerint, doctrina illa vel praxis merito ut divina habenda est. Consensus quippe ille doctrinæ vel praxis non potest esse ab

Apostolis episcoporum tantummodo personam gerentibus, quia ea quæ ab episcopis pendent varia sunt pro varietate personarum et circumstantiarum: fuit ergo ab Apostolis Christi vicem gerentibus, ipsiusque doctrinæ obsequentibus: unde traditio illa vere divina censenda erit.

Item divina erit illa traditio quam hujusmodi esse generatim censent doctores [1]: quia certo simul errare nequeunt.

Advertendum vero est ab utraque auctoritate, publica scilicet et privata, diversimode asseri posse traditionem divinam, i. e. vel *directe* vel *indirecte*.

Directe autem duplici iterum modo, scil. vel *immediate*, vel *mediate*.

Quotiescumque aliqua traditio tamquam divina asseritur in se et immediate ab altera ex prædictis auctoritatibus, arguitur eamdem divinam esse, talemque merito habendam.

Mediate autem triplici via affirmari potest divina aliqua traditio.

Primo, quotiescumque habetur dogma in fide certum, habetur ipso facto traditio divina in illo dogmate asserta, siquidem, ut diximus, omnes fidei veritates traditione continentur.

Secundo, quotiescumque aliqua doctrina continetur necessario in alia traditione explicita, vel ab eadem certo supponitur, tunc illa pariter ad traditionem divinam pertinere censenda est, eo quod ejusdem sit quasi pars integralis, vel conditio necessaria. Cum autem Spiritus sanctus traditionum divinarum auctor in omnibus veritatibus omnes veritates connexas videat, hinc istas simul tradere voluit.

Tertio demum, quotiescumque aliqua praxis in Ecclesia admittitur universim, quæ dogma aliquod supponat, tunc duplex inde colligi potest traditio divina, quarum altera est illud dogma ipsum, quod ad traditiones divinas, sicut alia quæcumque dogmata, pertinere debet; altera autem erit ipsamet praxis, quam, si semper in Ecclesia extitisse noscatur, nec ab hominibus institui potuerit, ad Christum ipsum, seu Spiritum sanctum omnino referatur oportet [2].

Indirecte vero asseri potest aliqua traditio divina, si negatio ejusdem ut error in fide ab Ecclesia damnetur et respuatur. Tunc

[1] Cf. Canus, *De Loc. Theol.*, l. III, c. IV.
[2] Idem, ibid.

enim habentur duæ propositiones contradictoriæ, quarum, falsa una, altera falsa iterum esse nequit, prout docemur in Logica.

81. — Hic cæterum duo notasse libet quæ ita decernunt Wirceburgenses.

Primo. " Nec traditio particularis nec temporanea, licet apostolica aut universalis præbent legitimum argumentum ad extendendam priorem ad ecclesias alias particulares, aut posteriorem ad omnia tempora, etiam moderna, quia utraque potest esse libera et mutationi obnoxia, ut patet in jejunio [1]. " Unde prædicta nostra argumenta supponunt traditiones de materia necessaria saltem hypothetice.

Secundo. " Sicut aliquorum dumtaxat Patrum assertum non facit traditionem aliquam,..... sic nec complurium etiam Patrum aliquam traditionem olim negantium, eam spuriam reddit... Fuit enim aliquando etiam de divinis et apostolicis traditionibus inter ipsos orthodoxos patres et doctores litigatum, donec plenario orbis concilio, ut S. Augustinus loquitur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur, ut eliquatissima perspectione res discussæ, crescente paulatim luce, omnino patescerent. Neutrum tamen vim hujusmodi traditionis aut argumentum ex ea depromptum infringit, ubi postmodum Ecclesiæ judicio declaratum fuerit traditionem adulterinam non esse, sed genuinam [2]. " Has si præ oculis habeas leges, facili negotio demonstraveris ad traditionem divinam pertinere B. V. Mariæ virginitatem perpetuam, Sacramentorum numerum, formam ac materiam, Sanctorum invocationem, imaginum cultum, Baptisma parvulis conferendum, aquam calici infundendam, etc.

II. Canones ad discernendas traditiones apostolicas.

82. — Ad discernendas traditiones apostolicas isti passim traduntur canones.

1° Si aliqua inveniatur traditio quæ ad Christum vel ad Spiritum sanctum referri non possit aut non debeat, cujus tamen initium designari non possit in Ecclesia, cujusque aliunde certa sit antiquitas et universalitas, tunc censenda est traditio apostolica.

[1] *De Loc. Theol.: De Tradit.*, n. 77. [2] Ibid. n. 78.

2° Si expresse ab antiquis ad Apostolos relata fuerit aliqua traditio, ut multoties factum est quoad Liturgias quæ apostolicæ audiunt, iterum asserenda merito est traditio apostolica.

3° Demum, si patres Apostolis proximi aliquem usum vel doctrinam communiter recipi narrent, quorum Deus auctor esse non debeat, non immerito Apostoli eorumdem auctores prædicabuntur.

Hisce regulis ostendes apostolicas esse traditiones observationem dominicæ loco sabbati, observantiam quadragesimalis jejunii, vigilias in memoriis martyrum celebrandas, chrismatis annuam renovationem, etc.

III. Canones ad discernendas traditiones ecclesiasticas.

83. — Hi congrue tradi possunt:

1° Ecclesiastica censenda est traditio quæ epocham epocha apostolica recentiorem exigit, ut sunt nonnullæ festivitates, abstinentia a carnibus et lacte statis diebus, crucis in fronte signandæ consuetudinem, aquæ benedictionem, cinerum aspersionem, etc.

2° Ecclesiastica est traditio cujus initium citra tempora apostolica vel probabiliter indicari potest.

3° Ecclesiastica rursus erit traditio cujus nulla mentio primitus nec in monumentis scriptis, nec in monumentis figuratis facta invenitur.

4° Ecclesiastica demum erit traditio in qua admittitur vel de jure vel de facto mutatio aut dispensatio aliqua.

ARTICULUS IV.

DE VI PROBANDI TRADITIONUM DIVINARUM.

84. — Nunc ergo quænam sit traditionum divinarum vis probandi, inquirendum est, licet ex supradictis circa hanc quæstionem multa sponte fluant consectaria.

Hac una propositione rem absolvimus [1].

[1] Traditionibus divinis etiam auctoritas humana contra incredulos tribui posset. Hic autem traditionem accipimus proprie ut est locus theologicus, scil. ut traditio divina. Si autem acciperetur tamquam traditio humana, tunc de ipsa inter locos improprie theologicos agendum foret. Quo sensu posthac de eadem agemus, ubi de historia et de consuetudine.

PROPOSITIO. — *Traditionum divinarum in se sumptarum summa est auctoritas.*

Agimus hic de traditionibus divinis *in se* sumptis, non autem cum respectu ad mentem humanam. Hoc namque respectu possunt esse vel certæ, vel probabiles, vel dubiæ, prout certo, vel probabiliter, vel dubie manifestantur.

Dicimus earumdem summam esse auctoritatem, supposita nempe illa doctrina quæ varios certitudinis gradus quoad nos agnoscit; illasque dicimus fidei criterium esse non proximum, sed remotum, non exclusa nempe auctoritate Ecclesiæ qua proximo criterio.

Diversimode probatur propositio.

a) Ex Scripturis. Paulus apostolus eadem vult auctoritate gaudere traditiones qua ipsæ Scripturæ. Ergo, juxta S. Paulum, summa est traditionum auctoritas.

Patet consequentia quia Scripturæ Paulo summa est auctoritas.

Probatur antecedens: ait enim Paulus simultaneas esse traditiones quæ sunt per *epistolam* et quæ per *sermonem*, absque ulla differentia [1]. Timotheo iterum scribit: " Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide et dilectione, in Christo Jesu: bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis [2]. „ — Ita ad Corinthios scribit: " Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis [3]. „ Vult ergo Apostolus *præcepta* sua oretenus tradita non minoris esse vigoris ac si scripta fuissent.

Ita perpetuo S. Paulus, prout variis exemplis ostendit Canus: " Si enim, inquit, apostolus Paulus Ecclesiæ consuetudinem Corinthiis contentiosis opponit, cur nos itidem Ecclesiæ morem ab Apostolis usque receptum, totque sæculorum usu ac gentium consensione probatum, non opponemus hæreticis, cum a nobis Scripturam in cujusque rei confirmationem efflagitant? Certe Paulus, cum et per Scripturas et per naturæ rationem satis dixisse videretur, ad ejus rei fidem faciendam, quam Corinthiis persuasam esse cupiebat, considerans tamen inter Corinthios

[1] II. Thess. II, 14.
[2] II. Tim. I, 13, 14.
[3] I. Cor. II, 2.

fore quosdam qui illiusmodi forte et testimoniis et rationibus repugnarent, non aliud potius argumentum ad causam evincendam habuit, quam si eos ad Ecclesiæ morem revocaret. " Si quis, ait, videtur contentiosus esse, nos talem consuetu- " dinem non habemus, nec Ecclesiæ Dei [1]. „ Quod dicit, tale est: Si quis adeo est durus et pertinax, ut argumentis positis non adducatur, sed adhuc contendat fœminam aperto capite orare oportere, hunc ego non aliter refello quam quod Ecclesiæ Dei talem consuetudinem non habent. Tanta vis in traditione est, ut quos nec Scripturæ nec naturæ ratio movisset, eos Paulus existimavit Ecclesiarum more et instituto refellendos.

" In priori rursum ad Timotheum Epistola: " Si quis, ait, " aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus [2]; „ non dicit: Scripturis. Et ad Galatas: " Si quis, inquit, vobis evangeliza- " verit præter id quod accepistis, anathema sit [3]. „ Quibus ex locis recte Origenes in Commentariis epistolæ ad Titum definit hæreticum eum qui se Christo credere profitetur, et aliud de veritate fidei christianæ credit, quam habeat traditio ecclesiastica [4]. „

b) Hæc est iterum doctrina Conciliorum, quorum duo ultima retulisse sufficiat. Tridentina enim Synodus, " Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu et reverentia suscipit et veneratur [5]. „ Porro Concilio Tridentino Scripturarum quam maxima est auctoritas, prout divina: ergo et traditionum, quas " pari pietatis affectu „ suscipi jubet.

Ita et Vaticanum Concilium: " Supernaturalis revelatio, ait, secundum universalis Ecclesiæ fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus [6]. „ Ergo traditionum pariter divina est auctoritas, testante Synodo Vaticana.

[1] I. Cor. XI, 16. [2] I. Tim. VI, 3. [3] Ad Galat. I, 9.

[4] Hoc commentario caremus; sed refertur locus in Apologia Pamphili. — Canus, *De Loc. Theol.*, l. III, c. VI.

[5] Sess. IV. [6] Constit. *Dei Filius*, c. II.

c) Concordaverunt Patres omnes: " Non modo, ait Chrysostomus, per litteras, sed etiam verbis (Paulus) discipulo quæ essent agenda dictavit..... Ne igitur minus aliquid doctrinam habere putemus, plurima illi absque scripto tradidit [1]. „

" Dogmata, ait Basilius, et instituta quæ in Ecclesia prædicantur quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione..... quorum utraque parem vim habent ad pietatem [2]. „ Imo omnium Patrum, Conciliorum, Doctorum propriis exemplis confirmatur propositio illa. Omnes siquidem ex traditione argumenta accipiunt et mutuantur, quibus fidem divinam et tueantur et probent: ergo traditioni vim divinam tribuunt.

Confirmatur ex monumentis archæologicis supra indicatis, præsertim ex *Cathedra Velata*, quibus ostenditur traditionem divinitus existere ac conservari in Ecclesia: unde et divina erit ejusdem auctoritas.

d) Probatur iterum ratione theologica ex factis ducta. Sub utroque siquidem Testamento traditio aliquando totam revelationem complectebatur, cum sola esset, nec Scriptura adhuc existeret. Tunc autem summæ auctoritatis necessario fuit. Ergo et postea, cum, redactis demum Scripturis, nihil in traditionum natura immutatum fuerit.

— Probatur hac demum ratione. Traditionem esse ab ipso Deo ejusdem auctore et conservatore superius ostensum est; unde traditio auctoritas divina dicenda est. Atqui auctoritatis divinæ certitudo metaphysica est, omnemque certitudinem superat. Certitudo enim regitur et mensuratur ratione assensum præstandi. Ratio autem illa scientia et veracitate asserentis constituitur, eritque vel moralis, vel physica, vel metaphysica, prout moraliter, physice vel metaphysice scientia et veracitas asserenti competent. Porro metaphysice repugnat scientiam et veracitatem Deo non competere: idcirco metaphysica est ratio assentiendi, iterumque metaphysica ipsamet certitudo traditionis quæ est auctoritas divina.

Quod autem quamcumque aliam certitudinem superet, ita probatur. Licet enim omnis certitudo timorem errandi excludat,

[1] In II. Tim. c. I. Ita inter alios Papias et Ignatius, apud Eusebium, L. III, cc. XXXVI, XXXIX.
[2] *De Spir. S.*, c. XXVII. – Cf. Canus, l. III, c. VI; Schœzler, *Intr. in S. Theol.*, q. I, a. I.

eademque semper sit, si consideretur secundum rationem æqualitatis intellectus et rei; attamen non erit semper eadem, si consideretur ipsum *esse* rei, quod est ratio veritatis, teste Philosopho [1], eritque major vel minor, prout *esse* magis vel minus verum fuerit. Hinc in scientiis magis creduntur principia quam conclusiones [2]. Atqui traditio divina primam veritatem plenius participat. Ergo certitudo traditionis omnem certitudinem superat, una cum auctoritate Scripturæ.

DIFFICULTATES

85. — *Obj.* 1ª Ea quæ in se videntur magis certa sunt quam ea quæ non videntur: sed res traditionis non videntur. Ergo.

Resp. Ea quæ in se videntur certiora sunt ex parte videntis: *Transeat*; ex parte rei visæ: *Nego*. — Dixi *transeat*, quoad primam partem distinctionis, quia quandoque falsum erit suppositum, prout melius dicemus alias, ubi de usu rationis in theologia tractandum fuerit.

Obj. 2ª A principio errores aliqui irrepere inter traditiones potuerunt, et cum veritatibus transmitti, a quibus quam difficillime secerni poterunt.

Resp. Ita cum Tertulliano: „ Cæterum si quæ hæreses audent interserere se ætati apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo (hæretici) origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt [3]. „ Unde discerni poterunt errores traditi a veritate tradita per magisterium Ecclesiæ, cui promissa est Christi perpetua assistentia, non exclusis tamen subsidiariis criteriis.

De traditionibus divinis hæc dicta sufficiant. Nunc de altero theologiæ loco proprio, scil. de Scriptura sacra.

[1] II *Metaph.* — Hic legendus Gotti, *Theol.*, Tr. I, Q. II, Dub. V.
[2] S. Th. *Qq. Disp. De virtut.* q. II, *De charit.* a. 9 ad 1.
[3] *De Præscr.* c. XXXII. — Cf. Iren. l. III, c. III.

CAPUT II.

De Scriptura sacra.

86. — Hæc de Scriptura magnifice habet Tridentina Synodus: " Sacrosancta œcumenica Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod promissum est ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit; deinde per suos Apostolos, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis, et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit; perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.

" Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit quinam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti:

" Testamenti veteris, quinque Moysis, i. e.: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum, primus et secundus. — Testa-

menti novi: Quatuor Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, Joannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim epistolæ Pauli apostoli: ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri apostoli duæ, Joannis apostoli tres, Jacobi apostoli una, Judæ apostoli una, et Apocalypsis Joannis apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non acceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, A. S. [1]. „

87. — Scripturam ergo dicimus collectionem librorum illorum ab auctoribus sacris, afflante Deo conscriptorum, quos tales Ecclesia suscipit, quos proinde et nos, sicut et veteres, Bibliothecam divinam, Paginam sacram, Scripturas, vel Libros simpliciter seu antonomastice vocamus.

88. — Quæ ratione objecti dividitur in vetus et novum Testamentum [2], prout refertur ad Christum vel expectatum vel datum.

Vetus Testamentum rursus etiam apud antiquos dividebatur in חוֹרה *Legem*, נביאים *Prophetas*, et כהובים *Hagiographa* [3].

Novum Testamentum in duas partes dividitur, quarum una respicit præterita, eademque duplici respectu, scil. Christi in Evangeliis, et Apostolorum quoad facta et dicta in Actibus et Epistolis; alia respicit futura, et est B. Joannis Apocalypsis [4].

[1] Sess. IV. — Cf. Concil. Vatic. Constit. *Dei Filius*. — Vide *Concil. Trident. cum declarationibus Joannis Gallemart*, Trid. 1745.

[2] Græce διαθηκη, scil. instrumentum, tabellæ, pactum.

[3] Cf. Eccli. XXIV, 32, 33, qui circa an. 290 a. Chr. scriptus est. Idem asseritur in Prologo, qui anno 230 a. Christum prodiit. — Cf. etiam Luc. XXIV, 44.

Huic alia et quidem recentior partitio accedit, nempe in libros *Historicos, Propheticos, Legales, Morales,* prout facta seu præterita seu futura, vel doctrinas tum dogmaticas tum practicas imprimis respiciunt. — Cf. Natalis Alexandre *Theol. Dogm.* l. I, q. I, a. 2; Penzi, *Theol. Rud.*, l. II, c. II.

[4] Fusiora invenies apud auctores probatos, quos in operibus Natalis Alexandre, Sixti Senensis, Possevini, D. Calmet, Lamy, Richardi Simon, etc. indicatos reperire est. Vide Kaulen, *Einleit.;* Cornely, *Introd.* etc.

Nos autem inter recentiores potiori affectu commendamus D. Vigouroux *Manuel Biblique* et alia ejusdem opera; cui adjungimus DD. Le Hir et Curci, propter egregiam commentandi methodum.

Alios et quidem eximios non ex catholicis modo, sed etiam ex heterodoxis facilius habebis, dum tibi studioso libuerit. Istos tamen tibi commendatos, servatis servandis, ut patet, volumus.

Utrumque vero Testamentum libros tum protocanonicos, tum deuterocanonicos complectitur, prout infra dicemus.

89. – De hoc igitur altero loco theologiæ nobis nunc tractandum occurrit, non quidem ut omnia attingamus, sed ut ea tantum quæ rei nostræ conferre visa melius fuerint, imprimis quoad vim argumentorum e Scripturis educendorum, tradamus. Adeo namque in immensum crevit hisce præsertim nostris diebus disciplina Hermeneuticæ sacræ, ut voluminum plurium integra mole indigeat. Quapropter ea omissuri sumus quæ nec necessaria, nec utilia nobis visa fuerint.

Porro in Scripturis sacris non aliter quam in quibuscumque aliis libris duo attendi congruenter possunt et debent, scilicet *liber ipse materialiter acceptus*, quatenus in se ipso ut liber constat; et *liber sumptus formaliter*, i. e. quoad doctrinam in ipso contentam.

Advertimus autem hic nos de Scriptura tamquam de documento seu instrumento divino acturos fore; ubi autem vel contra incredulos, vel etiam inter orthodoxos, pro argumentationis varietate aut necessitate, Scriptura tamquam documentum mere humanum, seu instrumenti mere historici instar, adducenda erit, tunc de ipsa cum de *loco Historiæ* agetur agemus.

ARTICULUS I.

DE SCRIPTURIS MATERIALITER ACCEPTIS.

90. – In Scripturis materialiter acceptis duo consideranda occurrunt, scilicet *origo* et *conservatio*: de singulis ergo nobis agendum est.

§ 1.

De origine Scripturæ sacræ.

Sunt autem Scripturæ, juxta catholicam fidem, a Deo tamquam ab *auctore principali*, seu causa agente; et ab homine tamquam ab *auctore secundario*, seu causa instrumentali.

I. De origine Scripturæ quatenus a Deo est.

A Deo esse dicuntur propter inspirationem divinam, qua conscripti fuerunt.

De inspiratione igitur quærendum est *primo in quo consistat;*

secundo de quibusnam libris asserenda sit. Quod utrumque nos extemplo præstabimus.

1. In quo consistat inspiratio divina.

91. — Inter illos ipsos qui sacrorum librorum inspirationem agnovere, variæ fuerunt de natura inspirationis ipsius sententiæ.

Quidam imprimis arbitrati sunt inspirationem hanc auctoribus sacris conferri qua præcaverentur errores et verum doceretur circa fidem et mores, nullatenus autem circa historiam, cosmographiam aliasque profanas scientias. Ita hodierni Guizot, Pressensé etc. Haud secus Holden, Chrismann et alii.

Auctores alii quibus passim curæ fuit partes Dei in rebus humanis nimis imminuere, dixerunt ad inspirationem divinam sufficere ut liber aliquis, sine ulla Spiritus sancti assistentia, sed humano delectu conscriptus, postmodum a Deo tamquam erroris expers approbetur. Quam inspirationem, absurdo hic vocabulo, *subsequentem* dixerunt, aliquo forsan *præmotionis* odio. Ita docuerunt olim Lessius, Hamelius, Bonfrerius, Van Outens, quibus accedunt hodie plures, inter quos Haneberg, pro libris Scripturæ historicis.

Alii autem contendunt inspirationem esse Spiritus sancti quamdam assistentiam, qua auctores sacri infallibiles fiunt, quin tamen specialissime illuminetur hic et nunc intellectus et moveatur voluntas, sicut infallibiles sunt Pontifices romani, ubi de fide et moribus solemniter decernunt. Sic sentiunt Jahn, Janssens et alii.

Quarta demum sententia est aliquorum qui nullam requirunt motionem, nullum impulsum Spiritus sancti in voluntatem scribentis; volunt tamen scriptores sacros divinitus illuminari ac dirigi, dum conceptus proprios proprio motu conscribunt. Ita Dupin, ut videtur.

Contra quos omnes sit:

92. — Propositio. *Inspiratio est charisma divinitus gratisque collatum, quo auctor sacer hic et nunc illuminatur et movetur ad scribenda absque errore ea tantum quæ vult Deus et quomodo vult.*

Probatur propositio cujus termini per se patent.

a) Ex ipsa Scriptura. Ait enim S. Petrus: “ Omnis prophetia

Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines [1]. „ Etsi in hoc textu vocabulum *prophetia* non quidem latiori sensu cujuscumque doctrinæ revelatæ, sed strictiori tantum, i. e. revelationis alicujus de aliquo facto rationi impervio prout contingenti, per se intelligendum esset, non tamen immerito id de omni revelatione concluditur quod asseritur de prophetia. — Quod egregie confirmatur a S. Paulo, cujus sententia, " omnis Scriptura (est) divinitus inspirata [2]. „

In utroque autem textu advertenda est dictionis græcæ efficacia. Omisso enim quod in nonnullis antiquorum manuscriptis inter S. Petri relata verba non legitur *omnis prophetia Scripturæ*, sed *omnis Scriptura prophetiæ*, πασα γραφὴ προφητείας; omisso iterum quod inter eadem verba, in quibusdam codicibus non habetur *propria interpretatione*, ἰδίας ἐπιλύσεως, sed legi posset ἰδίας ἐμπνεύσεως, i. e. *propria inspiratione*; stante autem communi lectione, dicuntur auctores sacri scripsisse ὑπό πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, scilicet *a Spiritu sancto impulsi*, qua locutione eximie exprimitur quid in scriptione librorum sacrorum Spiritui sancto tribuendum sit, advertendo Spiritum sanctum causis secundis uti juxta ipsarum naturam, proindeque homine uti, ipsius intellectum illuminando, indeque voluntatem ejus movendo.

In verbis autem S. Pauli clarius indicatur quid sit ipsa Scriptura, dum ibidem dicitur *inspirata*, θεόπνευστος, quasi sit Spiritu Dei, in V. T. passim רוּחַ אלהים, compenetrata et imbibita [3].

Idem confirmatur ex nominibus quibus passim designatur Scriptura. *Vetus Testamentum* apud S. Paulum dicitur γραφὴ θεόπνευστος [4], γραφαὶ ἅγιαι [5]. Quæ designatio logice ad novum pariter Testamentum extensa est a Patribus, apud quos omnes libri sacri simul sumpti dicuntur ἱερὰ γραφή, ἱερὰ γράμματα, θεία γραφή, βιβλία ἅγια, sacra scriptura, sanctæ litteræ, libri divini, etc. Porro ita designari consueverunt libri Scripturarum, non modo quia sancta vel divina fuit causa finalis aut instrumentalis:

[1] II. Petr. I, 20, 21. [2] II. Tim. III, 16.

[3] Idem comprobari posset ex variis Scripturæ locis. — Cf. *Indicem Biblicum*, qui in nonnullis Bibliæ editionibus invenitur, voc. *Scriptura*. — Vide Merz, *Thesaurus Biblicus*, etc.

[4] II. Tim. III. 16. [5] Rom. I, 2.

secus enim multi alii libri his titulis donandi forent: ergo fuerunt divini et sacri ex causa efficienti.

Idcirco, et hac supposita dignitate, dicti sunt quasi per antonomasiam הספרים [1], *libri;* התורה, *lex* [2]; מקרא, *lectio* [3]; vel etiam γραφαι, βιβλια, Scripturæ. Supponitur ergo tanta eorumdem librorum dignitas qua major dari nequit, i. e. supponitur eorum origo ab ipsomet Deo repetenda esse.

Eodem sensu dicuntur *Testamentum*, quo Deus ipse suam voluntatem conscripsit [4]; vel *Fœdus* seu *Pactum*, quia præcepta sua Deus in illis manifestavit.

93. — *b*) Consentiunt concilia œcumenica et summi Pontifices.

Eugenius Pp. IV in decreto pro Jacobitis hæc habet: " (Romana Ecclesia) unum atque eumdem Deum veteris et novi Testamenti, h. e. legis et prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu sancto inspirante, utriusque Testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur [5]. "

Posthac " sacrosancta Tridentina Synodus..... omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur [6]. "

Demum rem clarius explanans Vaticana Synodus, hæc habet: " Eos vero (scil. libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt [7]. "

Qua ultima declaratione nihil expressius haberi potest, siquidem in ea asseritur non sufficere nec infallibilitatem cum assistentia, nec inspirationem subsequentem, ut ajunt: requiri proinde veri nominis inspirationem, scilicet illuminationem in mente et motionem in voluntate, etiamsi prævia revelatio habita fuisset, vel aliunde innotesceret veritas a scriptore relata [8].

[1] Dan. IX, 2.
[2] Joan. X, 34; XV, 25.
[3] Apud Thalmudistas. — Cf. Welte, *Einleit in die Heilig Scrift. des A. T.* t. I, p. 5.
[4] Cf. Frassen, *Disq. Bibl.*, c. I.
[5] Denzinger, *Enchirid.*, p. 164-165.
[6] Sess. IV.
[7] Constit. *Dei Filius,* c. II.
[8] Vide, si libuerit, *Comment.* Rmi Philippi in Constit. *Dei Filius.*

concipiatur interius verbum mentale quam exteriori verbo exprimatur. Quæ cognitio inspiratio dicitur.

97. — Quo autem melius intelligatur quæstio hæc implicata, de qua adeo disputant varii auctores, sedulo advertendum est duplicem requiri cognitionem in inspiratione, aliam nempe *prævíam* qua res in *se ipsis* innotescunt, aliam *concomitantem* qua res innotescunt *tamquam scribendæ*, reduplicative ut sic.

Illa quidem prior cognitio e principio tum naturali tum supernaturali esse poterit. Facta enim et veritates quædam cum omnimoda certitudine ex historia, experientia vel ratione cognosci possunt absque ulla revelatione, nec ea tunc indigent auctores sacri. Nullius S. Paulo opus fuit revelationis ut sciret, se *accepisse quod tradebat Corinthiis* [1]; vel *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspici* [2], vel se a *Judæis quinquies quadragenas* (plagas) *una minus accepisse* [3]. — Item nulla opus erit nova revelatione si auctor sacer ex veritatibus semel revelatis aliquas educat conclusiones in revelatis contentas, v. gr. Moyses [4] aut Paulus [5] ex iis quas in raptu viderant, aut Petrus ex iis quas in monte Thabor audierat [6], aut in visione lintei intellexerat [7]. Quo sensu absque fidei ullo periculo admitti potest nonnullos Scripturæ libros ex anterioribus etiam mere humanis documentis conscriptos fuisse, prout plures tenent de Genesi. Sic multa hominum etiam impiorum verba referuntur ubique in tota Scriptura, quæ in se forsan falsa erunt, etsi historice vera: v. gr. impii dictum: " Non est Deus [8]; " vel Judæorum calumnia in Christum: " Nonne verum dicimus quia samaritanus es tu, et dæmonium habes [9]? "

Haud secus nonnunquam labore humano indiguisse testantur auctores sacri, vel dicta asserunt tamquam testes auriti et oculati: Ita auctor libri secundi Machabæorum: " Et nobis quidem ipsis qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus [10]. " Et in fine: " Ego quoque in his faciam finem sermonis. Et si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc

[1] II. Cor. XI, 23.
[2] Rom. I, 20.
[3] II. Cor. XI, 24.
[4] Exod. III, 4.
[5] I. Cor. XV, 6; II. Cor. XII, 2.
[6] I. Pet. I, 16-21.
[7] Act. XI, 1-17.
[8] Ps. XIII, 1.
[9] Joan. VIII, 48.
[10] II. Mach. II, 27.

et ipse velim; sin autem minus digne concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bibere aut semper aquam, contrarium est; alternis autem uti delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus [1]. „ Quod dixit auctor attendens labori illi prævio quo rerum notitiam habuit, nec tamen officit illustrationi concomitanti de qua postea [2].

98. — Illa tamen prævia cognitio a principio supernaturali, scil. revelationis divinæ esse potuit; imo, ubi de rebus rationi humanæ imperviis vel dubiis, debuit, licet non certo constet auctorem sacrum ea quæ scripsit in tota sua extensione, omnibusque consequentiis cognovisse [3]. Quæ illuminatio fieri potuit vel per intellectum, vel per imaginationem, vel etiam per sensus exteriores, prout Prophetis evenit [4], et quidem non per modum habitus, sed per modum passionis seu impressionis transeuntis [5], ita ut tamen omnia quæ Deus monstraret firmissimam apud scriptores haberent certitudinem, et ab aliis distingui omnino valerent [6]. Quæ illuminatio supernaturalis potuit esse prævia vel prioritate simul temporis et rationis, sicut evenit Moysi et aliis qui visa et audita prius a Deo postea scriptis mandarunt; vel prioritate tantum rationis, sicut evenisse videtur S. Joanni Apocalypsim scribenti, cui dictum est: " Quod vides scribe in libro [7]. „ Unde illa cognitio prima qua res *in se ipsis* innotescunt, semper prior erit saltem rationis prioritate [8]; et ab alterutro fonte, naturali scilicet vel supernaturali esse poterit.

[1] II. Mach. xv, 38-40.

[2] Ita nec lumine supernaturali hic indiguerunt SS. Matthæus et Joannes, ut visa et audita scirent; ita Marco sufficiebat narratio Petri; ita Lucas ait: " Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis „ (I, 2); quo sensu S. Joannes: " Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.... annuntiamus vobis „ (I. Epist. I, 1-3). Ita et alii scriptores sacri.

[3] 2. 2, q. CLXXI, a. 1; et q. CLXXIII, a. 4.

[4] 2. 2, q. CLXXIV, a. 2 et 3; et q. CLXXIII, a. 2.

[5] 2. 2, q. CLXXI, a. 2.

[6] Ibid. a. 5.

[7] Apoc. I, 11.

[8] Notandum hic ducimus multa quæ habet S. Thomas de prophetia etiam huc facere, quæ tamen negligunt, et quidem ignoranter et male, multi qui Εισαγωγας, *Introductiones*, etc., in S. Scripturas concinnant. Ille est enim Aquinas qui inter omnes eximie revelationum arcana patefecit. Cui si attenderent illi hodierni, non modo *eruditione*, sed etiam *scientia* pollerent; nec nos lectores adeo veræ theologiæ Scripturisticæ jejunos dimitterent, si Angelicam doctrinam

99. — Etsi vero illa supponatur inspirationi, attamen ipsam non constituit essentialiter. Hanc nos dicimus consistere formaliter in hac altera cognitione, quam concomitantem vocavimus, et qua res non in se ipsis cognoscuntur, sed attenduntur et innotescunt tamquam scriptis mandandæ.

Hæc autem cognitio a priori cognitione differt, specialisque dicenda est propter diversum et proprium objectum formale [1], licet utraque conveniat quoad objectum materiale. Omnis enim veritas divinitus scripta utrique suberit cognitioni, sed diversimode: priori quidem prout est in sua natura; posteriori, ut est scribenda.

Ista vero altera cognitione fit ut auctor sacer ea scribat quæ scribit, cætera etiam cognita omittendo, proindeque minus late quam prior ex propria natura patet. Eam vero totam Deo tribuendam esse ex hoc constat quod secus non jussu Dei, sed proprio delectu scriberet auctor, nec proinde Deus auctor sacræ Scripturæ omnimode dicendus foret.

Quam cognitionem nemo meram assistentiam dixerit, cum sit actus aliquis positivus cum proprio objecto, atque ex illa speciali Dei illustratione oriatur. Hinc S. Joannes Evangelium suum ita claudit: " Multa quidem et alia signa fecit Jesus, in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus [2]. " Quod *hæc* et *multa* alia cognoverit S. Joannes, ex priori notitia habuit, quod *hæc* tantum scripserit, ex posteriori [3].

Unde *dictatas* fuisse Scripturas a Spiritu sancto asserimus, non propter primam, sed propter alteram cognitionem, qua scilicet elegit auctor inspiratus quæ scribenda forent. Haud secus auctor profanus dictare dicitur, non quia incognita re-

vel labiis gustandam largius propinarent. Adeat lector 1. 2. quæst. 111; et 2. 2. qq. 171-175; et loca parallela. — Placet hic referre auctorem, qui S. Thomæ doctrinam in has de S. Scriptura disciplinas inducere tentavit, scil. D. Gilly: *Précis d'Introduction à l'Ecriture sainte.* Utinam et alii eamdem ineant viam!

[1] 1, q. LXXXIX, a. 6; 2. 2. q. XXVI, a. 7.

[2] S. Joan. XX, 30-31.

[3] Ita auctor Libri secundi Machabæorum, quod historiam breviorem fecerit; ita omnes sacri scriptores, quod ex multis traditione vel alio medio cognitis aliqua tantum, peculiari quidem scopo, scribenda duxerint.

velat, vel cognita in memoriam revocat, sed quia scribenda hic et nunc indicat.

100. — Quæ inspirationis notio, si diligenter attendatur, non parum inserviet ad enodandas plures controversias hac in disciplina consuetas.

Doctrina illa cæterum nullatenus nova dicenda est. Hanc innuit Vatic. Synodus, dum loc. cit. asserit Libros nostros dici sacros, non " quod revelationem contineant, „ sed quod " Spiritu inspirante conscripti „ sunt.

Nec desunt gravissimæ auctoritatis theologi, qui, etsi eam in thesibus non adhibeant, ea tamen utuntur ad solvendas difficultates. Duos adduxisse satis sit. Canus ait: " Fateor non singulas Scripturæ particulas ut a sacris auctoribus scriberentur, propria et expressa revelatione indiguisse; sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritus sancti instinctu afflatuque vere et jure contendo. " Ille, Christus ait, vos docebit omnia quæ- " cumque dixero vobis. „ Alias etiam oblita suggeret; alias etiam vestris auribus audita suggeret, quæ alias natura sponteque sua in mentem venire poterunt, ea quoque suggeret. Non supernaturalia modo, sed et naturalia suggeret, et quæ alias humano modo scriberentur [1]. „ Et plura alia eodem sensu habet [2].

[1] *De Loc. Theol.*, l. II, c. XVIII.

[2] Hæc præterea Cani referantur: " Non asserimus per immediatam Spiritus sancti revelationem, quæ quidem proprie revelatio dicenda sit, quamlibet Scripturæ sacræ partem fuisse editam. Quin Lucas quæ ab Apostolis accepit ea scripto ipse mandavit, ut in Evangelii sui proœmio testatur. Et Marcum quæ a Petro didicerat, rogatum a discipulis, scripsisse auctores sunt Clemens in VI Dispositionum libro, apud Eusebium, lib. II Eccles. Hist. c. XV, et Papias apud eumdem, eod. lib. et cap., et lib. III, cap. ult., et Origenes I lib. Comment. in Matth., eodem Eusebio referente, lib. VI, c. XVIII, et Eusebius quoque ipse, lib. III, cap. IV, et Hieronymus, De Viris illustr. in Marco, et Irenæus, lib. III Adv. Hæreses, c. I. Sive ergo Matthæus et Joannes, sive Marcus et Lucas, quamvis illi visa, isti audita referrent, non egebant quidem nova Spiritus sancti revelatione; egebant tamen peculiari Spiritus sancti directione „ *(Loc. cit.)*.

Opstræt rationes assignat *(loc. cit.)*, cur altera notitia, scil. inspirationis, necessaria fuerit: " Primum quia necesse erat peculiari ac nova inspiratione in mentem eis revocari, quæ alioquin visu vel auditu, vel etiam ex inspiratione prius noverant; tum quod non semper omnia menti ultro occurrerent, tum ut ea quæ scribebant ita se habere certitudine absoluta cognoscerent, nec soli memoriæ humanæ eorum fides inniteretur..... Præterea inter dicta et facta tam varia (cum scribi omnia Spiritus sanctus non vellet) delectus habendus fuit, ut agnoscit Joannes, cap. XX, vers. 30 et 31..... „

Post adductam tertiam rationem de necessitate inspirationis proprie dictæ quoad ipsa verba, quam nos admittendam non ducimus, hæc addit auctor ille,

Ita pluries relatus Opstræt: " Sive ponas scriptores hagiographos aliunde quam ex inspiratione certissime cognovisse quæ scribebant, sive etiam cognovisse ea prius ex inspiratione, nova tamen præterea inspiratione iis opus fuit postea, dum scripsere [1]. „

Illuminatio autem illa, non habitus permanens fuit, nec auctori sacro in omnibus præsto concedebatur, sed ubi tantum scribere divina contigit. Ratio est quia Deus utilia quidem, non superflua providet. Quapropter impressio quædam transiens illa dicenda erit.

101. — Addebamus autem in propositione per inspirationem non tantum illuminari intellectum, sed etiam *moveri* scribentis *voluntatem*. Neque enim illuminatio illa ambigua vel theoretica remansit, sed juxta S. Justini effatum: κινοῦντος αὐτοὺς θείου Λόγου [2], judicii practici causa fuit, quo scriptor revera scribendum esse statueret, proindeque non necessario, sed infallibiliter moveretur voluntas ex illo judicio practico [3], juxta doctrinam a philosophis in Psychologia traditam.

Hinc patet auctores sacros ea scripsisse *quæ voluit Deus*, cum scribendi ratio fuerit ipsamet Dei voluntas [4].

102. — Asseruimus præterea illos *absque errore* tum voluntario tum involuntario *ea tantum quæ voluit Deus* scripsisse. Error duplici modo irrepere potuisset, vel nempe quia falsarentur ea quæ dictavit Deus; vel quia præter ea quæ dictavit Deus alia sive falsa, sive non inspirata adderentur.

Prior autem errandi via præclusa fuit inspiratione proprie dicta quæ scribenda monstravit. Cum enim illa a Deo fuerit, impossibile fit errores irrepsisse. " Veritas cognitionis, inquit Angelicus, est eadem in discipulo et in docente, quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis, sicut etiam in

et quidem merito: " Itaque non ex visu vel auditu, neque ex memoria eorum quæ visu vel auditu, aut etiam ex inspiratione prius didicerant, Libros sacros dictarunt aut scripserunt scriptores hagiographi, sed ex inspiratione quæ tunc ipsis facta est, cum libros illos dictabant aut scribebant. „ Ita Opstræt, sicut et Canus, in refellendis difficultatibus. Alias auctoritates producere superfluum videtur.

[1] *De Loc. Theol.*, Diss. I. De Script. § I. Plura alia ibidem de eodem argumento habet.

[2] *Apol.* I, 36. Conf. S. Th. *in Ps.* XLIV, 1; *in Matth.* X, 20; *in Hebr.* I, 1.

[3] S. Th. *De Verit.*, q. XXII, *De Voluntate*, art. 6; et Qq. *De Malo*, q. VI, art. unic.

[4] De his lege Contenson, *Theol.* l. V, diss. præamb.; Sylvium, *Controv.* l. I, q. 1.

rebus naturalibus forma generati est similitudo quædam formæ generantis..... Unde prophetiæ non potest subesse falsum [1]. „

Eadem prorsus ratio de inspiratione admittenda est, ut patet, quod fusius probat Canus [2]. Unde in iis quæ Deus inspiravit error inveniri nequit.

Alia autem erroris via præclusa iterum fuit assistentia speciali, seu peculiari Dei providentia, quæ impedivit ne homo scius vel inscius rebus divinitus scribendis, aliquid de suo, sive falsum sive verum, intersereret. De non scribendis enim nulla inspiratio habenda fuit, tum quia non fuit necessaria, tum quia cum inspiratio essentialiter sit aliqua illuminatio, sequeretur scriptorem sacrum cognoscere debuisse omnia omittenda, scil. innumera simul, quod absonum est [3].

103. — Demum hoc asserimus in propositione, scil. auctores sacros scripsisse *quomodo voluit Deus*. — Quæ dicta, ut patet, non jam ad sententias, sed ad verba verborumque ordinem referuntur, quibus expressæ sunt sententiæ, non quidem in Scripturarum versionibus textibusve corruptis, sed in textu primigenio eodemque incorrupto.

Qua in quæstione multum disputant auctores, licet minima utilitate. Alii namque omnia et singula verba, eorumque dispositionem et ordinem fuisse ex inspiratione; alii ex delectu auctoris, cum assistentia divina; alii demum ex inspiratione fuisse verba quæ dicuntur necessaria, v. g. quoad Sacramentorum formam, cætera autem ex mera assistentia delecta fuisse.

104. — Prænotandum est quod etsi sola admitteretur assistentia quoad ipsam verborum delectionem, nec inspiratio per se requireretur, frustra tamen et male negaretur aliquid præviæ inspirationi sententiarum tribuendum fore de verborum usu. Verba enim, inquit S. Thomas, primum locum inter signa tenent [4]. Quæ quidem res ipsas nonnisi *mediate* denotant, vi nempe conceptuum quos proxime et immediate exprimunt, seu, ut ait Angelicus, “ Vox significat immediate conceptum intellectus, quo mediante, significat rem [5]. „ Ad hoc enim verborum ope utimur, quibus interiores conceptus mentis cæteris propalemus.

Porro licet verba non sint signa naturalia (secus enim ubi-

[1] 2. 2, q. 171, a. 6.

[2] Lib. II, capp. II, III, IV.

[3] Rem explanat Canus, *De Loc. theol.*, lib. II, capp. XVI, XVII, XVIII.

[4] 2. 2, q. 72, a. 1.

[5] *Qq. Disp. De personis Divinis*, a. 5.

que eadem forent) nec proinde absolute necessaria, possunt tamen dici aliquando hypothetice, vel melius relative necessaria, quando nempe aliquo idiomate necessario utendum est, vel in eodem idiomate, aliqua verba, cæteris deficientibus vel insufficientibus, adhibenda sunt, ad exprimendum aliquem conceptum. Quod plerumque in veritatibus religiosis exprimendis cum hebraico præsertim idiomate continget, tum propter veritatum earumdem, imprimis revelatarum, clariorem exactioremque significationem, tum propter notam in hebraico idiomate vocabulorum penuriem.

Quapropter dum aliqua veritas vi præviæ vel concomitantis inspirationis menti scriptoris sacri offerretur, facilius aliqua verba, cæteris omissis, eligere debuit ad exprimendum Dei ipsius quidem conceptum, sibi ipsi vero communicatum, in sua integritate et exactiori forma. Quod verum erit etiam in inspiratione intellectiva, quia vix homo potest conceptum sibi effingere vel accipere absque ulla forma sensibili subsequenti; longe autem verius fuerit, si inspiratio non modo intellectiva, sed etiam imaginaria, ut plerumque fit, imo et sensibilis facta fuisset auctori sacro [1]. Tunc enim veritates revelatæ forma concretiori et quidem aliqua metaphora et signo ostensæ sunt, cui respondere debet verbum vocale seu exterius, cum verbum exterius quoad materiam ad imaginationem referatur.

Quibus si attendatur sedulo, perspiciet quisque, etiam non admissa verborum immediata inspiratione, attamen verborum delectum multum ex inspiratione sententiarum pendere. Sed vero illa remanet quæstio utrum scilicet inspirata immediate sint verba ipsa, apud auctores sacros.

105. — Cui minoris cæterum momenti quæsito nos respondemus, quin opinionem alteram damnemus erroris, sufficere assistentiam quoad verba, nec requiri inspirationem.

Non requiri inspirationem verborum concedunt adversarii, dum doctrinam suam probabilem probabilioremve dicunt [2], proindeque nostram ut probabilem agnoscunt. Cæterum, si non haberetur Dei verbum ubi non habetur verborum inspiratio, tunc nulla versio, nec etiam Vulgata dici posset verbum Dei, proindeque authentica vocari, cum nullus hodie admittat nec

[1] 2. 2, q. 176, a. 2, ad 1, et q. 174, a. 2, ad 1.

[2] Cf. Billuart, *De Regulis Fidei,* Diss. I.

admittere possit verborum inspirationem haberi in translationibus.

Sufficere autem verborum eligendorum causa meram assistentiam, ex eo patet quia tota verbi ratio in conceptu, nullatenus autem, nisi improprie et secundario, in dictione vel scriptura habeatur, prout rectissime advertit Canus: " Scriptum verbum, si vere et proprie loqui volumus, non est verbum [1]. „ Quapropter dixit olim quidam in Scripturis esse θεῖα πάντα quoad conceptum, καὶ ανθρώπινα πάντα quoad expressionem. Unde divinum erit illud effatum quod divinitus inspiratum fuerit quoad verbum *mentale* tantum, dummodo per assistentiæ munus præcaveatur ne unquam verbum *vocale* aut *scriptum*, cujus utriusque illud est causa efficiens et finalis, false vel incomplete repræsentet, aut significet [2]. De quo S. Agobardus adversus Fredegisum: " Adparet etiam in his verbis vestris quod ita sentiatis de Prophetis et Apostolis, ut non solum sensum prædicationis et modos, vel argumenta dictionum Spiritus sanctus eis inspiraverit; sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in ore illorum ipse formaverit. Quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis dinumerare poterit [3]? „

De sententia eorum qui volunt ea tantum inspirari verba quæ necessaria fuerunt ad exprimenda dogmata, nihil dicimus, quia omnia nescimus, etsi plurium theologorum sit.

De cæteris videas auctores [4] qui rem fusius tractant.

[1] Cf. *De Loc. theol.*, lib. III, cap. III, Fund. IV.

[2] De hisce verborum differentiis cf. S. Th. 1, q. 34, a. 1; *Verit.*, q. 4. 1.

[3] *Adv. Fredeg.*, nn. 12, 13. Cf. Hier. *in Gal.* I, 12.

[4] Hic in nota tamen aliqua addere liceat. Sententia nostra variis argumentis confirmari potest, tum auctoritatis, tum rationis.

a) Aliquando auctores sacri testantur se multum laborasse in eligendis et disponendis verbis. Haud secus auctor II. *Machabæorum*, II, 27. Si ergo labor ille necessarius fuisset, admissa inspiratione quoad verba, necessarius pariter fuisset quoad sententias inspiratas, quod dici vix potest.

b) Si admittatur inspiratio verborum, vix explicari potest varietas styli inter auctores sacros, et diversitas in narrandis quibusdam factis apud Evangelistas; cur auctores sacri, dum alias Scripturas referunt, ad sensum non ad verba attendant. Nec sufficit si respondeas Deum sese auctorum ingenio accommodare, tum quia dicendum foret Deum sese accommodasse ingenio auctorum Sacrorum etiam quoad sententias, tum quia hujusmodi inspiratio accommodata nihil præstat quod non præstet assistentia.

c) Ita sentiunt theologi graves. " Facta distinctione inter inspirationem et assistentiam, inquit Em. Card. Franzelin, illa ad veritates et verbum formale, hæc etiam ad signa et verba materialia necessario pertinuisse di-

terit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturæ esse credebat, id nihilominus asserere præsumat, ne Scriptura ex hoc verbo ab infidelibus irrideatur, et ne eis via credendi præcludatur [1]. „ Ex qua doctrina frequentius a nonnullis oblivioni nimis tradita, sequitur errorem, etsi occurrere nequeat in ipsa Scriptura aut ejus interpretatione authentica, dari tamen posse in interpretatione privata, tum primo circa ipsa *dogmata*, tum secundo circa ea quæ sunt *ad dogmata*, scil. asserta extranea quæ dogmatibus accidunt. Unde, cavendum cuique erit ne in dubiis nesciat dubitare, in ignoratis ignorare, ne in verba magistri alicujus humani, præsertimque sui ipsius, facilius juret.

Notandum rursus est Scripturam quoad dogmata loqui in *sensu suo*, scilicet, narrando simul et asserendo; quoad ea autem quæ sunt ad dogmata, Scripturam quandoque *suo sensu* loqui, narrando et asserendo, v. gr. quoad facta historica et alia; quandoque in *sensu aliorum*, narrando quidem, sed non asserendo, ita ut tamen nunquam falsum affirmet, sed quasi generaliter loquatur, quia clarius loqui nullatenus debuit, v. gr. quoad facta geologica, cosmogonica, etc. Quo in ultimo loquendi modo nullus error in se ex parte Dei datur, sed ex parte hominum tantum, qui imprudenti judicio asserunt quasi Scripturis contentum quod reapse non continetur.

108. — *Corollarium II.* Falsa est illa Lessii affiniumque propositio: “ Liber aliquis (qualis forte est secundus Machabæorum), humana industria, sine assistentia Spiritus sancti scriptus, si Spiritus sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura sacra. „ Quæ propositio, salva fide, asseri nequit amplius post Concilii Vaticani superius relatam definitionem [2]. Ratio est quia, quod recte contra Lessii propositionem animadverterat Facultas Lovaniensis, “ Hominis verbum, etsi divinum accedat suffragium quod falsum non sit, nunquam per hoc tamen Dei verbum efficietur, quando non id per os hominis locutus sit vel dictavit Deus, qualis esse omnis sacra Scriptura debet, eoque tantum quanto ipsius Dei est habere dignitatem atque auctoritatem..... Magno enim intervallo distant veritas æque infallibilis et æqualis auctoritas [3]. „

[1] 1. q. 68, a. 1. Quod docte interpretatus est Reusch, in suo *Bibel und Natur.*
[2] Idem dicendum est de eadem propositione ab aliquibus mitigata. Cf. Opstræt, *De Loc. Theol.*, Diss. 1, q. 2. [3] *Justif. Censuræ Lovan.*, cap. I, n. 13.

Patet cæterum in illa sententia auctores sacros non amplius dicendos esse actualiter *inspiratos Spiritu*, vel ab ipso *impulsos*, prout voluit Paulus; nec Scripturas *voluntate Dei allatas*, sicut statuit Petrus.

109. — *Corollarium III.* Eadem ratione falsa est sententia quæ meram infallibilitatem auctoribus sacris tribuit; vel quæ non agnoscit ipsis concessam nisi assistentiam qua illuminantur et diriguntur in scribendis propriis conceptibus. Infallibilitate enim vel assistentia removentur quidem errores, non dictantur actu res scriptis mandandæ.

110. — *Corollarium IV.* Exinde iterum patet quænam differentia Scripturam inter et Pontificum vel Conciliorum definitiones intercedat. Licet enim utraque argumentum divinum contineat, et quoad supernaturalia revelationem præviam, sensu a nobis exposito, supponat, attamen hoc differunt quod canones Ecclesiæ cum assistentia tantum definiantur, Scripturæ autem cum inspiratione illuminantis et dictantis Dei scribantur.

Corollarium V. Sequitur demum inspirationem, qualem descripsimus, omnibus agnoscendam esse ut possibilem, quia neque ex parte Dei, neque ex parte hominis, neque ex parte ipsius veritatis repugnat, prout fusius probatur ubi de revelatione agitur.

2. De quibusnam libris asserenda sit inspiratio divina.

111. — Judæi, admissa V. Testamenti inspiratione, N. Testamenti inspirationem negant; Marcionitæ et Manichæi, utrumque Testamentum inter se pugnare contendentes, Vetus principio malo, ut dicebant, Novum principio bono tribuerunt; alii alios libros imprimis deuterocanonicos respuerunt tamquam inspiratione destitutos; hodie vero innumeri sunt qui omnimodam in scriptis negant inspirationem, scilicet rationalistæ biblici et alii, quos recensendi tempus et locus deest. Sit ergo propositio hæc nostra:

112. — Propositio. *Omnes libri a Concilio Tridentino enumerati divinitus inspirati fuerunt.*

Probatur primo ratione intrinseca [1], deinde argumentis extrinsecis.

[1] Aliqui auctores satis fecisse putarunt, ubi eorumdem librorum divinitatem demonstravere, cum tamen ipsis inter se differant inspiratio et divini-

a) Ratio intrinseca est ipsius auctoritas Scripturæ in qua frequentius liber unus alterius inspirationem asserit. Supposita enim et probata summa auctorum sacrorum veracitate (quæ demonstratio ad aliam sane pertinet disciplinam), eisdem credendum est, ubi asserunt se, Deo inspirante, scribere, vel nomine Dei loqui, verba Dei referre, vel profitentur Deum ore suo locutum esse [1]; vel demum ubi tradunt libros aliquos a viris inspiratis conscriptos esse [2].

Atqui, licet ista per se ad aliquos tantum veteris Testamenti libros referantur, attamen merito etiam dicuntur de aliis libris qui certa traditione eodem pretio habiti sunt.

Cæterum apostolus Paulus de toto veteri Testamento inspirationem asserit, ubi ait: " Omnis Scriptura divinitus inspirata [3]. " Quænam autem fuerit illa Scriptura, manifestat idem Apostolus indicans illam esse qua Timotheus ab infantia eruditus fuerat: " Et quia, inquit, ab infantia sacras litteras nosti quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem [4]. " Fuit ergo totum vetus Testamentum quale passim admittebant Judæi, de quo nos infra, a Deo inspiratum [5].

113. — *Confirmatur* auctoritate S. Petri, qui ita statuit: " Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines [6]. " Ex quo concludit Estius: " Jam vero si Spiritu sancto inspirati et ab eo impulsi locuti sunt Prophetæ et cæteri sacrorum librorum

tas. Hæc ultima hoc unum passim supponit, nempe doctrinam divinam in Scripturis contineri, a quocumque aliunde exaratæ fuerint, vixque aliud adstruunt adductæ probationes. Quapropter argumenta quibus demonstratur prædicta divinitas Librorum sacrorum in propositione plerumque omisimus. Ecce tamen horum argumentorum enuntiationem:

a) Probatur divinitas Librorum sacrorum ex testimonio Christi et Apostolorum qui vetus Testamentum ut verbum divinum laudant;

b) Ex figurarum et prophetiarum veteris Testamenti, quæ in novo impletæ sunt;

c) Ex canonicarum Scripturarum mirabili concordia;

d) Ex sedulitate qua libri illi tamquam divini ab Hebræis et Christianis custoditi semper fuerunt;

e) Ex miraculis quibus judaica et christiana religio confirmatæ fuerunt;

f) Ex sanctissima doctrina quæ in ipsis continetur. - Cf. Natal. Alex. *Hist. Eccles.* I. ætat., Diss. XI; Opstræt, *De Loc. Theol.*, Diss. 1, q. 1.

[1] Exod. XVII, 14; Jerem. XXX, 2; Habacuc II, 2; Is. VIII, 1; Dan. XII, 4; Deuter. XXXI, 19; Ezech. XXIV, 2. Cf. Hebr. I, 1.

[2] I. Par. XXIX, 24; II. Par. XXVI, 22.

[3] II. Tim. III, 16.

[4] Ibid. 15.

[5] Cf. Chrysost. *in h. l.*

[6] II. Pet. I, 21.

scriptores, sane consequens est Scripturam totam esse verbum Dei[1]. „

Hæc quoad vetus Testamentum. Quoad novum autem difficilius idem adduci potest argumentum. Aliqua tamen dici possunt et debent.

Imprimis de Apocalypsi habemus auctoris testimonium qui se passim testatur ex inspiratione scribere: " Quod vides scribe in libro[2]. „

De epistolis S. Pauli habemus S. Petri testimonium: " De quibus (epistolis), inquit, sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem[3]. „ Ubi Apostolorum princeps declarat epistolas S. Pauli inter Scripturarum libros esse adnumerandas. Scimus autem quid S. Petrus de Scripturarum inspiratione senserit: unde idem implicite asserit de epistolis S. Pauli. Quod autem testimonium illud referatur ad omnes S. Pauli epistolas, inde colligitur quia suam secundam S. Petrus Romæ scripsit, non multo ante sui Paulique mortem, dum ibidem hæc habet: " Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi[4]. „ Mox enim cum ipso S. Paulo cursum consummavit martyrio, æræ vulgaris anno LXVII, ut probabilius.

[1] *In h. l.* Qui S. Pauli interpres nunquam satis commendatus omnibus erit. SS. Petri et Pauli locos ita simul interpretatur Angelicus: " (Paulus) dicit: Sacras Litteras nosti, quæ sunt Litteræ V. Testamenti, quas didicit ab infantia, quia filius mulieris Judææ (Act. XVI). Unde mater sua fecit eum erudiri in eis, quod est contra Manichæum, quia Apostolus vetus Testamentum hic nominat sacras Litteras, quæ non possunt intelligi de novo Testamento, quia ab infantia sua non erat edoctus Litteras novi Testamenti.... Commendat Scripturas ratione principii... Si enim consideras ejus (Scripturæ) principium, habet privilegium super omnes, quia aliæ sunt traditæ per rationem humanam; sacra autem Scriptura est divina; ideo dicitur: Scriptura divinitus inspirata. II. Petr. I: " Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed " Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines; „ Job XXXII: " Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. „ Sed dices: Quomodo non alia omnis Scriptura divinitus inspiratur, cum secundum Ambrosium, omne verum a quocumque dicatur a Spiritu sancto est? — Dicendum est quod Deus dupliciter aliquid operatur: scil. immediate ut proprium opus, sicut miracula, aliquid mediantibus causis inferioribus, ut opera naturalia. Job X: " Manus tuæ, Domine, fecerunt me, etc.; „ quæ tamen fiunt operatione naturæ. Et sic in homine instruit intellectum et immediate per sacras Litteras, et mediate per alias scripturas „ In II. *Tim.* cap. III, lec. III.

[2] *Apoc.* I, 11. Ita passim in toto libro. Cf. *Concordantias* ad vocem *scribe.*

[3] II. Petri III, 15-16.

[4] II. Petr. I, 14.

Prius vero S. Paulus epistolas suas omnes conscripserat; vel si forsan tunc temporis secundam ad Timotheum misit, de ea tamen merito dicendum est quod de cæteris [1] dixit Petrus. Cæterum sæpe sæpius Apostolus testatur se a Deo edoctum et motum loqui: " In me, inquit, loquitur [2] Christus. „

Circa alios N. Testamenti libros nulla habetur explicita auctoritas: habetur tamen ratio theologica qua asseri potest inspiratio omnium librorum ab Apostolis ipsis scriptorum. Etenim certum est Apostolos inspiratos fuisse dum publico apostolatus sui officio fungerentur. " Paracletus Spiritus sanctus, dixit Christus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis [3]. „ Porro Apostoli scribentes ad fideles publico apostolatus sui officio fungebantur, prout patet tum ex rei natura, tum ex solemni inscriptione qua plerumque incipiunt epistolæ. Idem asserit S. Joannes de suo Evangelio [4]. Ergo scripta Apostolorum fuerunt inspirata. Huc optime facit illa Angelici doctrina, qua explanat illud S. Petri dictum: " Non voluntate humana allata est aliquando prophetia [5]: „ — " Quod intelligendum est quantum ad illius traditionem mentis, non quantum ad actum prolationis sive denuntiationis: nam denuntiare erat in potestate Prophetarum non arreptitiorum. Unde I. Cor. XIV: " Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt [6]. „ Quibus verbis S. Doctor mentem suam prodit, scil. Apostolos, sicut et Prophetas omnesque inspiratos viros eadem inspiratione donatos esse, dum munere suo sive prædicando sive scribendo fungerentur, etsi prophetia ab inspiratione prorsus differat.

Remanet tamen difficultas quoad evangelia SS. Marci et Lucæ et quoad Actus Apostolorum: non enim auctores, SS. Marcus scil. et Lucas, fuerunt proprie apostoli, unde charismate illo Apostolis proprio donati non censendi sunt: idcirco nulla inde probatio erui poterit circa inspirationem ipsorum inter scribendos libros suos concessam.

Fatendum est hic nobis aquam hærere quoad primam illam

[1] Cf. Lamy, *Introd.* vol. II. P. II, cap. V, § I, n. 20.
[2] II. Cor. XIII, 3. Cf. Gal. I, 11; I. Cor. XV, 1; I. Thess. II, 13 etc.
[3] Joan. XIV, 26; XVI, 13; Matth. X, 20.
[4] Joan. XX, 31.
[5] II. Petr. I, 21.
[6] *In II. Petr.* cap. I.

probationem, quam cæterum adæquata certitudine carere fatemur, utpote non validam omnibus et quoad omnia [1].

114. — *b*) Probatur auctoritate Ecclesiæ.

Ad Ecclesiam proprie pertinet discretio inter libros sacros et non sacros: atqui Ecclesia omnes libros canone Tridentino contentos declaravit sacros. Ergo.

Patet minor iterum ex illis Concilii Vaticani verbis: " Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri, cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii (Tridentini) decreto recensentur, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet [2]..... "

Major probatur totius antiquitatis christianæ auctoritatibus, quas hoc celeberrimo effato in compendium redegit S. Augustinus: " Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas [3]. " Ita prius præscripserat Tertullianus, statuens contra hæreticos imprimis quærendum esse " quibus competat fides ipsa, cujus sint Scripturæ, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina qua fiunt christiani; ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ et fidei christianæ, illic erit veritas Scripturarum [4]. "

Cujus doctrinæ ratio hæc est quod inspiratio est aliquod factum internum, unde, excepto ipso inspirato, nulli manifestari potest per se, sed tantummodo per aliquod externum testimonium. Porro testimonium illud ab ipso scriptore sacro cum omni certitudine peti nequit, tum quia non semper habetur, et quidem certo, testimonium illud; tum quia si habeatur, cavendum est ne supponatur id quod probandum est, si huic testimonio tribuatur immediate certitudo ad fidem sufficiens: unde certitudo illa a testimonio divino, mediante Ecclesia, desumenda est.

115. — Ita Canus: " Primum si hujusmodi res (canonicitas seu inspiratio) in contentionem veniat, cum nec ex Scripturis ipsis, nec ex privata cujusvis opinatione sit censura ferenda (quod prius demonstraverat Canus), ex aliquo hanc loco petere necesse est. Non est autem unde commodius atque constantius hujusmodi

[1] Cf. Franzolin, *De Trad.*, th. 21. [2] Const. *Dei Filius*, cap. II.
[3] *Contra Ep. Fund.* Cf. *Cont. Faust.* Lib.. XIII, cap. IV et V. *De mor. Eccles.* Lib. I, cap. XXIX. Cf. Iren. *Cont. Hær.* Lib. III, capp. II, III, IV.
[4] *De Præscr.* cap. XIX.

judicium censuramque petere debemus quam ab Ecclesia quæ est columna et firmamentum veritatis.....

" Item... si in cæteris omnibus hæc via... (scil. testimonii) certissima est ad cognoscendum cujuslibet libri auctorem, cur hæc eadem non erit certa et explorata viro catholico ad intelligendum hunc librum esse Matthæi, illum non esse Thomæ, hanc epistolam esse scriptam a Paulo, illam a Paulo scriptam non fuisse? Ecclesiæ itaque testificatione libri sacri sunt admittendi.

" Quod videtur Joannes Evangelista significasse, cum ait: " Hic " est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scimus " quia verum est testimonium ejus. „ Joannes ergo testimonium perhibet Evangelii, et Ecclesia probat inquiens: " Et sci- " mus, etc. „ Alioquin, quorsum illa numeri tam subita et inopinata mutatio? Apostolus quoque Paulus id manifeste docet in Epistola ad Gal. c. II. Nam cum accepisset Evangelium per revelationem Jesu Christi, et mansisset cum Petro et Jacobo diebus quindecim, ascendit rursum Jerosolymam secundum revelationem, et contulit cum Apostolis et fidelibus Evangelium quod prædicabat in gentibus; seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne forte in vanum curreret aut cucurrisset. Quod si Ecclesiæ probatio non esset necessaria, certe non fuisset sollicitus Paulus ut ascenderet ad conferendum Evangelium, ne forte, etc. Atque, ut Augustinus contra Faustum ait, si apostolus Paulus non inveniret in carne Apostolos, cum quibus conferret Evangelium, Ecclesia illi omnino non crederet. Et Hieronymus in Epistola ad Augustinum, hæc Apostoli verba pertractans: "Ex his, inquit, ostendit se non habuisse securi- " tatem Evangelii, nisi Petri et qui cum eo erant fuisset sen- " tentia roboratum. „ — " Igitur si ipse illuminator Lucæ au- " ctoritatem antecessorum et fidei et prædicationis suæ optavit, " quanto magis eam Evangelio Lucæ expostulem, quæ Evan- " gelio magistri ejus fuit necessaria. „ Ita Tertullianus [1].

" Idem quoque habetur Actorum XV, prosequitur Canus. Cum enim apud Antiochiam dubitaretur an Paulus et Barnabas vere et sentirent et docerent de cessatione legalium, statuerunt fideles ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem. Non ergo unusquisque

[1] *Adv. Marc.* Lib. IV.

per se cognoscit an doctrina ex Deo sit necne, aut ipsa statim doctrina cuivis sese divinam manifestat: sed Ecclesiæ opus est approbatione [1]. „ Hæc Canus qui multo plura et quidem docta habet apud ipsum legenda. Cæterum hoc addidisse sit satis, nempe Ecclesiam nullam fore, si in definienda inspiratione errare posset; de qua tamen ita prædixerat Isaias: " Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: " Venite, ascendamus in mon-
" tem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas,
" et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, et
" verbum Domini de Jerusalem, et judicabit gentes et arguet
" populos multos [2]. „

Ad Ecclesiam ergo jus competit judicare de libris inspiratis: cum proinde judicaverit, ejusdem judicio standum merito est.

116. — *c*) Probatur demum propositio traditione.

Duplici via manifestari traditio potest, scil. *primo* demonstrando Scripturæ libros tamquam canonicos semper habitos esse, vel saltem tamquam dignos qui canoni insererentur; *secundo* afferendo auctoritates veterum de ipsa inspiratione. De utraque nonnihil dicendum.

Κανών (cf. קָנֶה) idem est ac regula, catalogus [3]. Unde Tullius ad Tyronem: " Tu qui κανὼν esse soles scriptorum meorum [4]. „

Ubi de Scriptura agitur, dicuntur canonici, κανονικοί, κανονιζόμενοι, libri illi qui in catalogo inspiratorum inserti sunt; πρωτοκανονικοί, qui ab initio inserti illi catalogo, Ecclesiæ probato, fuerunt; δευτεροκανονικοί, qui postea [5]. Illi ὁμολογούμενοι, isti ἀντιλεγόμενοι ab Eusebio significantissime dicuntur, quia nempe de illis nunquam, de istis autem aliquando habita controversia fuit utrum nec ne inter sacros deputandi forent. Utrique διαθηκόγραφα audiunt.

[1] Canus, *De Loc. Theol.* Lib. II, cap. VII. Cf. Opstræt, *De Loc. Theol.* Diss. I, q. III.

[2] Is. II, 2. Cf. S. Th. et Fabricy *in h. l.*

[3] Suicerus, *Thes. Eccles.* T. II, Col. 40; Danko, *De Script. Sacra,* p. 6; Kraus, *Real. Encycl.* ad verb. *Kanon der hl Schrift.*

[4] Apud auctores profanos significat etiam *saltus mensuram, calamum* circa quem textores filum involvunt; *virgulas* quibus clypeos tenebant; *tabellas* quæ digitis in organis percutiebantur; *annales* quosdam historicos etc. Cf. Budæus, *Diction. græc.*

[5] Cf. Athan. *Ep. Fest.* 39; Rufinus, *In Symb. Apost.;* Hieronymus, *Præfat. in Lib. Salom.* Libri deuterocanonici nonnunquam ἀπόκρυφοι dicuntur.

In veteri Testamento, omnes in canone Tridentino enumerati sunt protocanonici, dummodo excipiantur *primo* libri isti septem, scil. Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Machabæorum primus et secundus; *secundo* hæc fragmenta, videlicet: Estheris septem posteriora capita, nempe a cap. x, 4 ad xvi, 24; libri Danielis c. iii, 24-90, seu oratio Azariæ et canticum Puerorum; c. xiii, seu historia Susannæ; et c. xiv, narratio excidii Beli et Draconis.

In novo Testamento omnes sunt protocanonici, exceptis *primo* sex istis, scil. Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, Epistola secunda Petri, Epistola secunda et tertia Joannis, Epistola Judæ, Apocalypsi Joannis; *secundo*, his fragmentis, scil. Marci c. xvi, 9-20; Lucæ c. xxii, 43-44, seu historia sudoris sanguinei in horto; Joannis cap. viii, 2-12, seu narratione de muliere adultera.

Inter proto et deutero-canonicos ea intercedit differentia quod protocanonici non modo ut inspirati habentur, sed etiam in catalogo inspiratorum solemniter a singula respective ecclesia inscribuntur a principio; deuterocanonici autem tamquam inspirati semper a pluribus in Ecclesia habiti sunt, non autem primitus in prædicto catalogo solemniter acceptati.

117. — Quoad V. T. protocanonicos nulla de traditione dubitatio admitti potest, cum, a principio et absque interruptione, ab utraque ecclesia, judaica scilicet et christiana, ut inspirati fuerint admissi [1]. Neque amplius de novi Testamenti protocanonicis traditio ambigua dici potest, siquidem Ecclesia christiana a principio et absque controversia qua sacros in canone habuit.

Quia autem traditionis monumenta vel præcipua hic adducere non congruit, ne sæpius dicta dicamus, hanc unam auctoritatem referre satis sit, scilicet Synodi Hipponensis, anno 393, quæ ita habet: " Placuit ut præter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicæ Scripturæ: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judicum, Ruth, Regnorum [2] libri quatuor, Paralipomenon libri duo,

[1] Cf. Sixtus Senen. *Biblioth. Sancta*, edit. 1610; Raymund. Martini, *Pugio Fidei*, cum notis Du Voisin; Vincenzi, *Sessio quarta Concilii Trid. vindicata* etc.; Lamy, *Introd.*; Glaire, Gilly etc.

[2] Al.: Regum.

Job, Psalterium Davidis, Salomonis libri quinque [1], duodecim libri Prophetarum, Isaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo. — Novi autem Testamenti Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli apostoli Epistolæ tredecim, ejusdem ad Hebræos una, Petri duæ, Joannis tres, Jacobi una, Judæ una, Apocalypsis Joannis [2]. Ita ut de confirmando isto canone transmarina Ecclesia consulatur; „ vel, ut alias habetur, scil. in Concilio Carthaginiensi anni 419: " Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis, pro confirmando isto canone innotescat, quia a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. „

Porro canon ille acceptatus confirmatusque fuit a Synodis Carthaginiensibus, ann. 397 et 419 [3]; ab Innocentio I, an. 405 [4], ab Hilario, anno circiter 462 [5], a Gelasio, an. 474 [6], etc. [7]. Admisit Concilium Florentinum, definierunt Concilia Tridentinum et Vaticanum.

Notandum est primos illos Conciliorum africanorum Patres testatos esse canonem suum ab antiquis probatum prius fuisse; et præterea utrosque libros, canonicos scil. et deuterocanonicos uno canonicorum titulo donari voluisse, quasi omnes ejusdem ipsis auctoritatis fuissent. Quæ duplex fides toto medio ævo perpetua remansit et integra, ita ut in Concilio Constantiensi ita haberet eximius Joannes de Ragusio: " Imprimis manifestum est Bibliam, quæ est fundamentum totius fidei nostræ et ecclesiasticæ disciplinæ, robur et auctoritatem accepisse ex acceptatione et approbatione Ecclesiæ universalis, secundum re-

[1] Scil. Proverbiorum, Cantici, Ecclesiastis, Sapientiæ et Ecclesiastici. Hi duo Salomoni tribuuntur, juxta usum. Cf. Aug. *De Civit. Dei*, l. XVII, 20.

[2] Non nominatur Baruch, quia referebatur sub nomine Jeremiæ, cujus scriba fuerat. " Sicut scriptum est in libro Baruch, ex ore Jeremiæ prophetæ, „ ajunt Patres Nicæni, apud Labbe, T. II, 191. - Et S. Augustinus adducto Baruch III, 36-38, ait: " Hoc testimonium quidam non Jeremiæ, sed scribæ ejus attribuunt qui vocabatur Baruch: sed Jeremiæ celebratius habetur „ *De Civit. Dei*, L. XVIII, 33.

[3] Vide *Collect. Conciliorum.*

[4] *Epist.* VI *ad Exuperium Tolosanum.*

[5] Ex *Cod. Bibliorum Amiatino.* De cujus ætate cf. *Arch. Stor. It.* an. 1887, disp. 4ª.

[6] *In Concil. Rom.* Alii auctoritatem Damasi adducunt. Cf. Vincenzi, *Sess. Quarta...* P. II, p. 113 et seq.

[7] Ita etiam Leo M.; Synod. Tolet. I; Eugenius IV, *Decret. pro Jacobitis*, an. 1441.

parationem Esdræ, ante tempora Christi. Insuper manifestum est multos in eodem volumine contineri libros, qui apud Judæos in auctoritate non habentur, sed inter apocryphos computantur; qui tamen apud nos in eadem veneratione et auctoritate habentur sicut et cæteri, et hoc non nisi ex traditione et acceptatione Ecclesiæ universalis, quibus contradicere nullo modo pertinaciter licet [1]. „

Quod asserunt simul conciliorum Patres de omnibus una libris, idem facile confirmatur testimonio Patrum seorsim sumptorum, et quidem de singulis libris apocryphis.

118. — De deuterocanonicis nonnihil addendum videtur; imprimisque de deuterocanonicis veteris Testamenti [2].

Postquam confectus fuerat Esdræ canon, inventi sunt codices aliorum librorum, vel etiam librorum jam recognitorum extensiores codices, qui in lucem integriores redierunt δευτεροκανονικῶν, seu secundo-canonicorum nomine, unde et libri et fragmenta deuterocanonica in V. T.

Primo igitur istis auctoritas divina a Judæis, Hellenistis et Alexandrinis passim tributa est, siquidem septuaginta Interpretes eos cæteris inspiratis in sua versione conjunxerunt. Hinc libri illi a Josepho, ab auctoribus Thalmudis et a Rabinis passim allegantur, etsi rarius. Hinc refert Sixtus Senensis Hebræos aliquibus deuterocanonicis usos esse, etsi extra arcam asservarent [3].

Secundo, libri deuterocanonici veteris Testamenti nonnunquam in Novo referuntur. Etenim novi Fœderis scriptores veteris Scripturas sæpius referunt, juxta versionem Septuaginta [4], in qua versione habentur libri deuterocanonici aliis libris sacris permixti. Præterea loci plurimi deprehenduntur in Evangeliis et Epistolis, qui ita concordant cum locis ex libris deuterocanonicis desumptis, ut vix dubium esse possit auctores sacros ad illos locos respexisse, dum scriberent. Nec obstat

[1] Inter *Acta Conc. Const.*

[2] Cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.*, edit. Bass. 1778, *Suppl.* p. 25; Du Voisin, in *Pug. Fidei*, pp. 78-129, edit. Lips.

[3] Vide Lamy, *Introd.* vol. I, cap. III, nn. 16, 17.

[4] " Jure, inquit S. Hieronymus, Septuaginta Editio obtinuit in Ecclesiis, vel quia prima est, et ante Christi facta adventum, vel quia ab Apostolis (in quibus tamen ab hebraico non discrepat) usurpata „ *Ep.* 57. Cf. *Ep.* 121, et *In Is.* VI, 8; XV, 1.

paulisper differre verba, cum constet Apostolos et Evangelistas in referendis V. T. testimoniis sensum quæsisse, non verba. Cf. Tob. IV, 16, cum Matth. VII, 12; II. Mach. VI, 19, cum Hebr. XI, 35; Sap. XIII, cum Rom. I, 17-31; Sap. VII, 26, cum Hebr. I, 3; Eccli. XXIV, 19, cum Jo. VI, 35; Eccli. XXXV, 11, cum II. Cor. IX, 7 [1].

Tertio, Patres et Doctores apostolici, qui Scripturas veteris necnon et novi Testamenti e manibus Apostolorum susceperunt, passim, tum in canonibus suis, tum in quærendis auctoritatibus de fide quoad dogmata explananda aut vindicanda, deuterocanonicos adducunt [2]. Quin potius, nulla de inspiratione deuterocanonicorum veteris Testamenti orta videtur esse controversia, ante sæculum IV, quando scil. primum instituta fuit comparatio canonem hebraicum inter et christianum. Hic quam facillimum foret auctoritates innumeras adducere, nisi deesset locus, quas tamen apud probatos auctores invenies [3].

Vetustiorum Patrum dicta indicasse sufficiat pro re nostra.

Clemens Romanus hic illic pluries libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Judith, Estheris indicat [4]; nonnunquam autem historiam Susannæ tamquam ad Scripturas pertinentem narrat, et Ecclesiastici librum nominat [5]. — Irenæus allegat Susannæ, Beli et Draconis historiam, librum Sapientiæ et Baruch (sub nomine Jeremiæ) refert, et alios indicat [6]. — Tertullianus Ecclesiasticum, Sapientiam, Baruch, Machabæos, historias Susannæ, Judith, Danielis, etc. refert [7]. — S. Cyprianus libros Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici nominat, et historias trium Puerorum, Susannæ, Beli, Machabæorum e Scripturis accepisse

[1] Cf. Lamy, *Introd.*, vol. I, cap. III, n. 20. Adeat lector Indicem auctoritatum V. T. in N. E. relatarum, qui in fine Bibliarum aliquarum invenitur, v. gr. Plon, Parisiis, 1865; vel conferat loca parallela post singulos versus indicata. Egregia de his habes apud Du Voisin, op. cit. pp. 154-180.

[2] Cf. Lamy, Vincenzi, Opp. cit.; Franzelin, *De Script.* Vide iterum apud Natalem Alexandre, *Dissert. de Canone Tridentino*, in *Hist. Eccles.* vol. x, edit. Bassani, 1778. Extat in *Supplemento*.

[3] Plures adducit Lamy, *Introd.*, vol. I, cap. III. Alias et quidem innumeras reperire est in iis antiquorum Patrum editionibus, quibus annectuntur indices ubi relatæ sunt auctoritates Scripturarum in textu operum singulorum explanatæ vel adductæ. Adeas omnino *Opp. PP. Apost.* edit. Funk, Tubingæ, an. 1881; et *Doctrina XII Apost.* edit. ejusd. ibid. an. 1887.

[4] *I. Epist. ad Cor.* IX, 27, 55.

[5] *Epist. ad Virg.* Edit. Beelen, p. 103.

[6] *Adv. Hær.* L. IV, cap. V, 2; XXVI, 3; XXXVIII, 3; XXXV, 1. - Cf. edit. Massuet., *Diss.* III, et ind. loc. Script.

[7] *De Coron.* IV; *Adv. Scap.* VII; *Adv. Val.* VIII; *Adv. Jud.* IV; *De Exhort. cast.* II; *De Monog.* XVII; *De Jejun.* VII.

vult [1]. Ita omnes alii Patres sive apostolici, sive sequiores, quorum testimonia invenies in indicibus Patrologiæ tum græcæ tum latinæ D. Migne, viri nunquam satis pro suis meritis in edendis Patribus laudandi.

Haud secus primi Christiani in usu habuerunt facta in deuterocanonicis relata effigie referre in catacumbis, seu ecclesiis suis, ita ut nihil frequentius in monumentis archæologicis occurrat, quam Daniel inter leones, et tres pueri in flammis orantes; et non raro appareant historiæ Tobiæ, Susannæ, Judith, Machabæorum, Baruch [2], etc.

119. — In novo etiam Testamento, præter canonicos seu regulares libros, aliqui deuterocanonici habentur, hac scil. causa quod scriptores N. T. dum peculiari ratione semper scripserint, juxta temporum et locorum circumstantias, et ad particulares ecclesias scripta sua mandaverint, inde factum est aliquos libros prius in altera, in altera tardius ecclesia cum certitudine divinitatis et inspirationis innotuisse. Qui tardius innotuerunt deuterocanonici vocati sunt.

Horum inspiratio etiam traditione demonstratur sicut et deuterocanonicorum veteris Testamenti.

Antiqui etenim Patres laudant omnes novi Testamenti libros. Irenæus Epistolas ad Philemonem et ad Hebræos tantum omittit, cæteris omnibus relatis [3]. Auctoris anonymi, sæculi II vel III florentis, canon, qui dicitur Muratorii, omnes N. T. libros habet, præter Epistolam ad Hebræos, Epistolam Jacobi et duas Epistolas Petri [4]. Ita plures alii, præsertim Augustinus, qui canonem Concilii Carthaginensis supra relati suum fecit [5]. Ita demum Patres et Synodi orientales [6].

[1] *De mort.* x; *De op. el.* II; *De bono pat.* XVII; *De zelo* IV; *Ad Fort.* v, etc. Vide in edit. Joannis Oxon. indicem loc. S. Script.

[2] Cf. Kraus, *Real encycl.* ad verba *Bibel*, *Daniel* etc. et ad cætera verba huc pertinentia. Cf. Martigny ad verba: Tobie, Suzanne, Machabés etc. Vincenzi, *Sessio Quarta...* p. 184. Cf. Kaufmann, *Rev. des Etudes Juives*, 1887.

[3] Loc. cit. Massuet, *Diss.* III *in opp. Iren.* Cf. *Patres Apost.* edit. Funck.

[4] Murat: *Antiq. Ital.* T. III, p. 850.

[5] *Doctr. Chr.* II, 8. Cf. Franzelin, *De Scr.* th. IX-XVII; Gotti, *Verit. Chr.* t. 1.

[6] Cf. Vincenzi: *Sess.* IV... *vindicata*, pp. 119, 131. Vide etiam Kraus, *Real encyclop.* ad voc. *Kanon;* item W. Smith: *A concise Dictionary of the Bible* ad voc.: *Canon of Scripture,* ubi invenies tabellam ingeniosissime et doctissime confectam qua continentur auctoritates ad confirmandos libros deuterocanonicos V. Testamenti utiles. Cui si addideris auctoritates Conciliorum et Ecclesiarum Orien-

Idcirco agnoscendum est omnes et singulos libros a nobis admissos, antiquitus in canone repositos ac recensitos fuisse. Quia igitur canonicitas inspirationem supponit tamquam effectus causam, hinc probantur inspirati fuisse libri prædicti.

120. — *Quæres* utrum præter libros in canone nostro relatos aliqui alii ut inspirati agnosci possint.

Resp. 1° Nihil repugnare videtur quin oratio Manassæ et libri III et IV Esdræ, quæ in omnibus quasi Bibliis extra canonem adduntur, *in se* inspirati fuerint, licet qua tales hucusque agniti non sint, propter aliquem forsan errorem humanitus inductum. In nonnullis enim codicibus inveniuntur et ab aliquibus Patribus referuntur tamquam pars Scripturæ. De hoc cæterum ad Ecclesiam spectat judicium.

Resp. 2° Certum est aliquos de Scripturis libros deperditos fuisse, quorum memoria in Scripturis habetur, ut sunt libri Samuelis videntis, Nathan prophetæ, Gad videntis [1], Ahiæ Silonitis, Addo videntis [2], Sermonum dierum Regum Judæ [3]; libri quinque Jasonis Cyrenæi [4]; et Carmina quinque et mille et tria millia Parabolarum Salomonis [5]. — Hos autem divinitus inspiratos fuisse quasi compertum est, cum auctoribus inspiratis tribui in ipsa Scriptura videantur. Hæc aliunde quæstio otiosa est [6]; unde ad difficultates.

DIFFICULTATES.

121. — *Obj.* 1° Ecclesia christiana tamquam sacros recipere non potuit libros quos Synagoga non recepit, siquidem, juxta Apostolum, Judæis " credita sunt eloquia Dei; " ita ut Augustinus eos vocaverit Christianorum capsarios, scriniarios, librarios [7], etc., et Hieronymus hæc statuerit in prologo Galeato: " Hic prologus Scripturarum quasi galeatum principium omnibus libris, quos de hebræo vertimus in latinum, convenire potest, ut scire

rientalium, aliasque ejusmodi tabellas pro libris Deuterocanonicis N. Testamenti, protocanonicis Testamenti utriusque, opus egregium perfeceris.

[1] I. Paral. XXIX, 29.

[2] II. Paral. IX, 29.

[3] III. Reg. XIV, 29.

[4] II. Mach. II, 24.

[5] III. Reg. IV, 32.

[6] Cf. Dupin, *Diss. prélim.* Lib. I, cap. I; Origen., *Prol. in Cant.;* Aug., *De Civit. Dei*, Lib. XVIII, cap. XXXVIII.

[7] In Ps. XL; in Ps. LXXXVI, et *Cont. Faust.* Lib. XII, cap. XXIII.

valeamus, quidquid extra hos est inter apocrypha esse reponendum. „ Ita et alii Patres non pauci.

Resp. 1° *Neg. supp.*, quia nullibi jubetur Ecclesia Synagogæ obsequi, licet ipsius hæres agnoscenda sit.

Resp. 2° Etsi libri nonnulli extra canonem Hebræorum positi apud nos sacri nuncupentur, non proinde arguendum est illos Hebræis mere profanos audivisse: quin potius ut sacri passim admittebantur [1]. Ubi autem Hieronymus aliique Patres asserunt inter *apocrypha* demandandos esse libros omnes extra canonem appositos, sic non semper et ubique intelligendi sunt quasi *apocryphis* vel errores tribuant, vel inspirationem negent; sed hoc passim sensu quod scripta sic denominata, deficiente authentico auctoritatis judicio, quasi incerta et indeterminata remaneant, non quidem quoad doctrinalem, sed quoad authenticam comprobationem. Ἀπόκρυφος enim per se nihil nisi *occultus*, *arcanus* est, vel etiam *obscurus*, ita ut apocryphi vocari possint aliqui libri habito respectu ad alios qui per se determinatiores clarioresque fuerint, quo sensu S. Gregorius ait: τοὺς ἄλλους ἀστέρας ἀποκρύπτων φαιδρότητι [2]. Hinc apud Patres antiquos apocrypha scripta opponuntur iis quæ sunt κανονιζόμενα [3], ὁμολογούμενα [4], ὡρισμένα [5], ἐνδιάθηκα [6], δεδογμένα [7], quia scil. ipsa nec *regularia*, nec *explorata*, nec *determinata*, nec *inscripta*, nec *recepta* erant, licet quandoque, propter exclusionem a canone publico, dicta sint νόθα, seu spuria; qua designatione etiam denominari aliquando potuerunt, propter errores inductos. Unde fluit, nisi vehementer fallamur, vocabulum ἀπόκρυφος apud Patres illos generico sensu acceptum esse, ita ut mox significaret librorum aliquorum meram exclusionem a canone, non negata admissionis possibilitate; mox autem tum exclusionem illam, tum impossibilitatem admissionis in canonem, propter inspirationis absentiam. Hinc Eusebius inter ἀντιλεγόμενα numerat epistolas sanctorum Jacobi et Judæ, secundam sancti Petri, tertiam sancti Joannis, Acta S. Pauli, Pastorem Hermæ, Apocalypsim

[1] De Hebræorum testimoniis vide doctiss. Jos. Du Voisin, *Observ. in Proœm. Pugionis Fidei*, p. 115, et seq., edit. Lips. 1687.

[2] De Apocryphis consulere potes, Fabricius, *Cod. pseudepigraph.* V. T.; Tischendorf, *Cod. Apocr.* N. T.; Wetzer, *Kirchenlexicon; zweite Auflage*, Art. *Apokryphen.*

[3] Ath., *Ep. Fest.* 39. [4] Eus., *Hist. Eccl.* Lib. III, 24.

[5] Ath., *Synops.* [6] Orig., *Orat.* [7] Orig., *Cels.* V.

sancti Petri, Epistolam sancti Barnabæ, Constitutiones Apostolicas, etc., etc. [1]. Idcirco Patres nonnunquam dum apocrypha declarant extra canonem posita eademque spuria, iis tamen in sua theologia utuntur, quia nempe ista, licet in se vera, attamen ut talia adhuc determinata non sunt definitione aliqua publica [2].

[1] Cf. Euseb., *Hist. Eccl.* Lib. III, 24.

[2] Hic placet exscribere quæ habet de re nostra doctissime Opstræt: " Cæterum, inquit, etsi de libris quibusdam veteris Testamenti an canonici forent dubitatum fuerit aliquando in Ecclesia, hæc tamen certa et indubitata fuere semper apud omnes:

1° Libros istos ad nos venisse a Judæis;

2° A Christianis omnibus agnitos semper fuisse tamquam qui nullam hæresim vel errorem continerent;

3° Utiles ab iis habitos ad ædificationem et instructionem, datos Catechumenis ad legendum, et lectos publice in quibusdam Ecclesiis;

4° Citatos fuisse ab auctoribus pluribus, iisque antiquissimis, sub nomine Scripturarum;

5° Receptos fuisse ab Ecclesia Africana ut sacros a primis sæculis, ut patet ex testimoniis S. Cypriani, qui sæpius eos allegat;

6° Ab eadem Ecclesia in Canonem relatos fuisse jam inde a sæculo v° cum hac cautione ut ea super re consulerentur Ecclesiæ transmarinæ;

7° Probatam ab Ecclesia Romana Africanarum sententiam, quam deinde omnes Ecclesiæ latinæ amplexæ sunt " (*De Loc. Theol.*, Diss. I, q. III).

Hæc iterum pronuntiat Em. Card. Franzelin: " Si ad vindicandam suisque in fundamentis distinctius intelligendam PP. Tridentinorum definitionem inquiratur modus quo prædicatio ecclesiastica de Canone SS. Librorum diversis ætatibus se habuit, certissimis conficitur argumentis, 1° Ecclesiastico usu et universali consuetudine ad ipsa tempora apostolica pertingente, præter scripturas censionis hebraicæ, etiam reliquos V. T. libros, qui canone Tridentino comprehenduntur, in Ecclesiis christianis susceptos fuisse; 2° Consuetudinem quam diximus ecclesiasticam iis insignem esse characteribus ut hos libros omnes, tamquam ad S. Scripturam pertinentes ab Apostolis Ecclesiæ traditos fuisse demonstret.

" Sensum hujus usus constantis quo Ecclesia omnes scripturæ libros *fideli consuetudine* semper servavit, diserta doctrina et prædicatio ecclesiastica, post obortas controversias, expressius declaravit. Ad hanc declarationem nominatim pertinent SS. Librorum consignati indices, cum ipsa practica consuetudine conspirantes, quibus pastores doctoresque Ecclesiæ, præsertim occidentalis, traditionem de sacri Codicis amplitudine distinctius explicuerunt, et ab obscuratione quæ imminere potuisset, clariorem in lucem vindicarunt; donec ex eadem apostolica traditione acceptum Scripturarum Canonem solemni tandem judicio definiverunt.

" Circa libros V. Testamenti qui in hebraica censione non extant, hic IV et V sæculis erat status quæstionis: 1° Patres complures illius ætatis indicant controversiam aliquam de hisce libris fuisse inter ipsos doctores catholicos; 2° attamen, nullus Patrum rata sententia unquam negavit illos libros inter SS. Scripturas recensendos esse; unde Canones deficientes IV et V sæculi, non ad negationem pertinent, sed ad stadium inquisitionis ante definitivum judicium, et scopum habent complectendi solum libros ab omnibus sine controversia ad-

— Non aliter, nec alio sensu et nos hodie loquimur; dum enim *apocrypha* nominamus simpliciter, duplicem librorum classem intelligimus: aliam nempe qua comprehenduntur libri pii, ab auctoribus forsan inspiratis conscripti, licet inspiratorum albo solemniter non addantur, de quibus supra diximus; aliam vero qua comprehenduntur libri qui nec numerantur nec numerari possunt inter inspiratos. Primæ classi pertinent liber III et IV Esdræ; secundæ, Psalmi Adami et Evæ, Assumptio Moysis, etc.

Quod autem Judæi fuerint Christianorum librarii, ipsisque fuerint " credita eloquia Dei, „ patet quo sensu intelligendum sit: hac scil. exceptione quod omnes libros suos nobis ut sacros conservaverint, licet non omnes ut protocanonicos, ratione in thesi allata; vel quod, etsi omnia veteris Testamenti eloquia eis credita sint, attamen istud strictiori sensu minime intelligendum esse, ut patet ex libris deperditis, quod evenit non ipsorum forte, sed aliorum culpa.

122. — *Obj.* 2° Apud Patres dubitatum est de inspiratione plurium N. T. librorum: porro, cum nulla nova inspiratio in Ecclesia habeatur, impossibile est illud quod aliquando in Ecclesia primitiva dubium fuit, postea certum evadere.

Resp. Concesso nullam amplius in Ecclesia dari inspirationem aut revelationem publicam, negatur consequentia, si quidem Ecclesia ad definienda quæcumque dogmata non inspiratione aut revelatione eget, sed assistentia tantum; quod rursus dicendum est de definienda inspiratione aut canonicitate alicujus libri.

Quod autem aliquando dubitatum fuerit, nihil impedit quominus, facta sufficienti inquisitione, per judicium solemne Ecclesiæ postmodum firmetur vera traditio ad *canonizandos* aliquos libros, et ad excludendos alios, prout factum est in variis conciliis. Fieri utique potest ut unus aut alter de aliquo libro dubitaverit, propter rationes superius allatas: nihil vero impedit quominus, meliori facta luce, omnes simul rem perspiciant, sive ad asserendum sive ad negandum, imprimis ita decernente Ecclesia.

Dices Ecclesiam non accepisse in canone suo omnes Scripturas quas Patres ut inspiratas exhibent, v. gr. librum cui titulus *Pastor Hermæ*, libros III et IV Esdræ, etc.

missos pro divinis, excludendi certo non divinos, designandi controversos, præ quibus canones non conclusi erant, sed postmodum, re eliquata, supplendi. *De Script.* Th. x, xi, xiii. Vide dictorum probationes apud auctorem.

Resp. ex prædictis, Ecclesiam eos ex canone respuisse, eo quod traditio eis sufficienter non suffragaretur, etsi forsan aliqui auctores ecclesiastici eos ut inspiratos agnoverint [1].

123. — *Obj.* 3° Doctrinis in propositione expositis de inspiratione assentiri non possumus, siquidem ipsi auctores sacri fatentur aliquando inspiratione carere inter scribendum: " Cæteris ego dico, non Dominus [2], " inquit Paulus.

Resp. Neg. supp. Pauli autem sensus est: Cæteris ego præcipio, non Dominus. Quin potius Apostolus mox infra addit: " Beatior erit si sic permanserit secundum meum consilium; puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam [3], " nedum se inspiratum neget.

Obj. 4° In Scripturis inveniuntur antilogiæ et errores.

Resp. Neg. supp. simpliciter. Si aliquid erratum specie invenitur, hoc vel falsæ interpretationi, vel amanuensium oscitantiæ tribuendum erit [4].

Obj. 5° Scripturæ dantur ad instruendam fidem: ergo nihil impedit quominus in cæteris, præsertim minutis [5], errare possint, vel inspiratione careant.

Resp. Neg. conseq. utrumque. Etenim minuta non carent sua utilitate, nec tollenda fuerunt, siquidem etiam divinis humana immiscentur, ita ut Deus humana nobilitet, non tollat. Ea cæterum quæ nobis inutilia videntur sua non carent ratione, v. g. authentiam Scripturarum ex circumstantiis comprobandi, antecessorum nostrorum vitæ genus in fide ostendendi, etc.

[1] De canonicitate librorum novi Testamenti hæc habet et probat Card. Franzelin: " Argumenta eadem quibus divinum testimonium traditione conservatum de integro Canone Scripturarum V. T. demonstratur, non minus lucide demonstrant libros omnes N. Testamenti, qui in Decreto Tridentino enumerantur, traditione apostolica, tamquam Scripturas sacras Ecclesiis consignatos fuisse.

" Si quæ sæc. III et IV de aliquot N. T. libris dubitatio incidit, ea, cum libri iidem jam manifesta traditione suscepti erant in Ecclesia, ex adjunctis quibusdam causam habuit et originem, ita ut nec traditionis constantiam interrumpere, nec certitudinem labefactare potuerit, moxque V° jam sæculo universali consensioni penitus cesserit " *De Script.* Thes. XV et XVI. Assertorum probationes apud auctorem require.

[2] I. Cor. VII, 12. [3] I. Cor. VII, 40.

[4] Quoad singulas objectiones ex imputatis erroribus ductas, cf. Lamy, *Introd. vol.* II; Glaire, *Introd.;* Vigouroux, *Manuel;* Graveson, *Tractatus de Scriptura Sacra;* P. Annatus, *Appar.*, lib. II, Weith, Resaver, etc.

[5] Cf. Tob. XI, 9; II. Tim. IV, 15 etc.

Hinc patet cur errores in Scriptura dari nequeant, etiam circa res per se fidei alienas. Adde inspirationem quasi dubiam evasuram esse in rebus fidei, si quoad alia negetur, propter difficultatem res fidei ab aliis discernendi.

Obj. 6° Auctores sacri nonnunquam dubie loquuntur, adhibentes verba *forte*, *fortasse*, *circiter*.

Resp. Dubia illa, si occurrant, etiam a Deo intenta fuisse, quia scil. ei placuit non omnia cum certitudine revelare.

124. — *Obj.* 7° Auctores sacri sæpe sæpius asserunt se ab hominibus excitatos ut scriberent, vel etiam illud ex historia constat, v. g. quoad evangelia Marci [1], Lucæ [2], Joannis [3], etc., imo multo labore indiguerunt [4], quo inquirerent quid scribendum foret.

Resp. Sicut auctoribus sacris duplex concessa est cognitio, *prævia* scilicet et *concomitans*, quarum prior non semper ex revelatione fuit, ita nihil impedit quominus duplex motio admittatur, quarum prima etiam ab homine penderet, et prævia pariter, etiam prioritate rationis, dicenda foret; posterior autem hic et nunc auctorem moveret ad scribendum quæ scribuntur, non autem alia. Ex priore ergo illa motione requiri potuit labor humanus. Quin imo repugnantia nulla dari videtur si ex ultima motione adhibendus esset idem humanus labor, quia sicut gratiæ actuales, etsi intellectum et voluntatem per se supernaturaliter attingant, aliquando tamen per medium externum, v. gr. prædicationem aliquam, procedere possunt; ita illuminatio seu inspiratio, etsi per se intellectum finaliter quærat, attamen aliqua exteriora supponere poterit.

Denique sententiam exponere non piget, quæ hic apposite notanda videtur.

In actione humana, etiam supernaturali vel præternaturali duæ distinguendæ omnino sunt motiones: alia nempe qua homo agat potiusquam non agat; alia autem qua hoc agat et non aliud, etsi forsan utraque motio non nisi virtualiter distinguatur, vel prior posteriorem non præcedat nisi prioritate rationis. Haud secus apud auctores sacros alia concessa fuit motio qua scriberent potius quam non scriberent; et alia qua hæc scriberent, omissis cæteris.

His igitur notatis, videtur omnino sufficere, si posteriorem

[1] Cf. Iren. *Adv. Hær.*, l. III, c. XI.
[2] Luc. I, 1.
[3] Joan. XX, 31.
[4] II. Mach. XV, 39.

tantummodo motionem inspirationi proprie tribueris, priorem autem alteri etiam humanæ illuminationi. Unde colligendum erit v. gr. Paulum motione priori, scil. voluntate litem inter Christianos componendi, persuasum esse ut ad Romanos scriberet potius quam non scriberet; posteriori autem ut ea scriberet, et non alia. Illi quippe qui ita sentiunt, omnia admittunt quæ ad inspirationem passim requiruntur, scilicet *illuminationem in mente et motum in voluntate, quibus auctor sacer scribit ea quæ vult Deus et quomodo vult.* Hinc planum fit, quare Apostoli, passim inspirati, dum apostolico munere fungerentur, inspirati pariter fuerint in scribendo, etsi prius humano motivo ad scribendum impulsi fuissent atque laborassent.

II. De origine Scripturæ quatenus ab homine est.

125. — Hucusque ostensum est Scripturas nostras fuisse ab auctore Deo; hic quærimus quomodo ab homine auctore dicantur, ita ut postquam explanaverimus quid sit inspiratio *active*, seu ex parte Dei, explanetur quid sit *passive*, seu ex parte hominis.

Duo igitur investigabimus, scil. *primo*, quomodo auctores sacri sub motione divina scribant; *secundo*, quinam sint auctores illi.

1. Quomodo auctores sacri sub motione Dei scribant.

126. — Propositio. *Auctor sacer fuit Dei instrumentum quod, physicum, supernaturale et conjunctum, agens actione causæ principalis, etsi propriam eamdemque liberam actionem elicuerit.*

Quæ propositio tamquam corollarium fluit ex ante dictis, unde probari quasi sola explanatione potest.

Auctor sacer dicitur *instrumentum* Dei. Instrumentum autem est causa virtute non propria sed alterius agens. Auctor sacer enim non agit virtute propria, cum virtus scribendi ea quæ scribit non sit ipsius proprietas, nec subordinetur ejus proprietati: imo nec sit appropriatio ejus; siquidem tota pendet a Deo qui impellere et inspirare potest prout et quando voluerit, nec ab homine ulla ratio assignari potest cur alii, non autem cæteri, scribendi inspirationem et motionem accipiant [1].

[1] " Dicitur per se agere quod agit per formam sibi inhærentem, per modum naturæ completæ, sive habeat illam a se, sive ab alia, aut connaturaliter aut violenter, per quem modum dicuntur illuminare sol et luna; calefacere

Hinc David: " Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis [1]. "

Dicitur *instrumentum quod*, qua suppositum Deo moventi serviens, cui conceditur instrumentum *quo*, seu virtus agendi aut motio divina: ita, juxta allatam metaphoram a Davide, calamus est instrumentum *quod* homini scribenti.

Physicum autem instrumentum dicitur quod contradividitur instrumento *morali*. Istud a causa principali inductionem aliquam agendi recipit, vel institutionem, quin ab ea obtineat vim agendi; illud autem vim ipsam agendi, imo actionem a principali causa actu recipit, ut malleus ab artifice. Quæ de inspirationis natura diximus ostendunt sacrum auctorem dici posse et debere instrumentum Dei physicum, prout scil. virtute a Deo hic et nunc obtenta scribentem.

Supernaturale rursus illud diximus quia causis non naturalibus aut artificialibus, sicut naturale aut artificiale instrumentum, inservit, sed supernaturali causæ, i. e. Deo supernaturaliter quoad nos agenti [2].

Dictus denique est auctor sacer instrumentum *conjunctum*, non *separatum*, cum istud agat ut dimissum a causa principali, etsi virtute exinde accepta, sicut v. g. semen ab arbore dimissum arborem gignit per virtutem acceptam ab ipsa arbore, licet separatim. Auctor vero sacer inspirationem non habet nisi a Deo actualiter inspirante, unde agere nequit nisi unitus

ignis et ferrum ignitum. Agere in virtute aliena (est) quando aliquid non operatur ad effectum per formam sibi inhærentem, sed solum in quantum est motum a per se agente „ S. Th., *De Verit.* q. XXVII, a. 4. Cf. 2. 2. q. 171, a. 1. ad 4.

[1] Ps. XLIV, 2. Hic lege sis *Comment.* S. Thomæ in Ps. XLIV, 2; in Is. *Prolog.*, in Matth. x, 20; in Hebr. I, 1.

[2] Non erit inutile hic aliquam respuere doctrinam qua instrumentis naturalibus quædam virtus activa obedientialis quasi nativa tribuitur, apta ad attingendum causæ principalis ejusdemque supernaturalis effectum. Quæ virtus, cum jam in naturalibus, a fortiori in supernaturalibus merum figmentum dicenda est. Virtus enim illa esset in se supernaturalis, quia per se versaretur circa objectum supernaturale (virtus enim speciem ab objecto proprio sumit); esset iterum infinita, quia apta esse deberet ad omnes effectus ad quos Deus eam adhibere posset. Porro repugnat dari virtutem supernaturalem quæ sit proprietas τοῦ esse naturalis, quia *agere* sequitur *esse*. Eadem ratione repugnat virtutem infinitam in *esse* finito inveniri. Quod hic notatum voluimus ad excludendum aliquas phantasias antiquitus nec non et hodie propalatas, non modo circa naturam et proprietates gratiæ *gratum facientis*, sed etiam gratiæ *gratis datæ*; iterumque ad explananda quædam Spiritismi problemata. Sed de his alias tractandum.

et conjunctus remaneat Deo agenti ut motori principali, etiamsi inspiratio quasi continuo concederetur, sicut Apostolis concessa revera dicitur munere suo specialissimo fungentibus.

127. — Quod autem auctor sacer *agat actione causæ principalis*, seu auctoris principis, hoc ex dictis sequitur. Est enim impossibile causam producere effectum, nisi vim producendi habeat vel per modum formæ manentis et propriæ, vel per modum formæ transeuntis et immissæ: ergo vim illam utrolibet ex prædictis modis participare debet auctor sacer, qui reapse causa est, etsi secundaria. Porro eam non participat ut formam propriam et manentem, siquidem hujusmodi participatio ad causam principalem pertinet: ergo eam recipit a causa principali impressam et transeuntem, indeque ad effectum nobiliorem attingendum elevatur.

Confirmatur hac theologica ratione. „ Causa instrumentalis, inquit Angelicus, non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum quo movetur a principali agente [1]. „ Atqui ex Scripturis discimus undenam fuerit ille motus scriptoribus sacris communicatus: fuit scil. a Deo seu a Spiritu sancto impellente et illuminante; ἐκ της τοῦ Θεου Πνευματος ἐνεργείας [2]. Ergo.

Addimus tamen *actionem propriam eamdemque liberam elicuisse.* Etenim „ instrumentum, inquit Angelicus, habet duas actiones: unam instrumentalem secundum quam operatur, non in virtute propria, sed virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi, secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis; facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem nisi exercendo propriam; scindendo enim facit lectum [3]. „ Ratio est quia instrumentum est causa inferior qua utitur causa superior; ergo instrumentum esse nequit nisi sit in genere causæ habeatque vires activas quæ motione actuosa causæ principis ad nobiliores effectus elevari possint; secus enim nihil nisi medium aliquod dicendum foret, de cujus ratione tantummodo est quod sustentet et deferat actionem seu motionem causæ alicujus. Ergo auctores sacri actionem propriam exercent. Hinc quoad actionem instrumentalem, conscii scribunt et judicant hæc et non alia esse scri-

[1] 3. q. 62, a. 1. Cf. *Cont. Gent.* II, cap. XXI.
[2] Theodor., *Præf. in Psalmos.*
[3] 3. q. 62, a. 2.

benda. Hinc quoad actionem propriam, diversitas illa notissima styli, facundiæ, eruditionis, etc. Actioni instrumentali quidem instrumenti tribuendum est quod auctor sacer omnia quæ dictat Deus scribat; actioni autem propriæ quod Scriptura inspirata alio vel alio modo se habeat, sicut calamus scribit actione scribentis, sed quod tersiori, cohærentiori, flexibiliori, etc. modo scribat, hoc etiam ex se ipso habet [1].

DIFFICULTATES.

128. — *Obj.* 1° Cum in re inspirationis Deus sit causa principalis eademque potentissima, videtur superfluere actio propria instrumenti: ergo non est admittenda.

Resp. In instrumentis etiam divinis aliqua propria requiritur activitas, non quidem propter causæ principalis indigentiam, sed quia, juxta Dei providentiam suavissimam, servanda est ratio instrumenti et diversitas a puro medio, præsertim in auctore sacro: idcirco superflua nullatenus dicenda est.

Obj. 2° Doctrina in propositione exposita derogare videtur dignitati inspirationis, dum asserit aliquid humanum in illa inveniri.

Resp. Quidquid ad inspirationem proprie pertinet, id ad Deum refertur; illa autem quæ accidentaliter ad inspirationem adveniunt, ad instrumentum pertinere quidem supradicto modo possunt. Imo, en ratio cur id voluit Deus: “ Quisquis dicit

[1] Ad actionem instrumentalem Auctorum sacrorum referri videtur quod ait Athenagoras: „ *Οἱ κατ' ἔκστασιν τῶν ἐν αὐτοῖς λόγων κινήσαντος αὐτοὺς τοῦ θείου Πνεύματος, ἃ ἐνεργοῦντο ἐξεφώνησαν συγχρησαμένου τοῦ Πνεύματος ὡσεὶ καὶ αὐλητὴς αὐλὸν ἐμπνεῦσαι* „ *(Legat. pro Christ.)*. Ad actionem vero propriam instrumenti reducitur id quod asserit Hieronymus: „ Ac primum de Isaia sciendum quod in sermone suo disertus sit; quippe ut vir nobilis et urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admistum. Unde accidit ut præ cæteris florem sermonis ejus translatio non potuerit conservare „ *(Ep. ad Eustoch.)*. — „ Sermo ejus *(Ezechielis)* nec satis disertus, vero nec admodum rusticus est: sed ex utroque medio temperatus „ *Ibid.* De utraque actione addit: „ Jeremias propheta sermone quidem apud Hebræos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior; sed sensibus par est, quippe qui eodem Spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii a loco ei in quo natus est, accidit. „ Idem porro de omnibus sacris scriptoribus inter se collatis dici posset et apud varios doctores reapse dicitur. Quomodo libere scripserint auctores inspirati, disce ex Sylvio, *Controv.* l. I, q. I, art. 4. Cf. Serarius, *Proleg.* c. IV, q. 21.

Evangelistis certe per Spiritus sancti potentiam id debuisse concedi ut nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero discreparent, non intelligit..... magis per eos fuisse firmandam cæterorum hominum vera loquentium securitatem, „ quia scil. alter alterius auctoritate firmatur [1].

2. Quinam sint auctores sacri.

129. — Dicto qualis sit actio auctorum sacrorum in scribendo, inspirante Deo, nunc dicendum quibus hujusmodi actio competierit.

PROPOSITIO. *Ii sunt auctores sacri quos ut tales agnoscit Ecclesia.*

Non eadem certitudine omnes omnium sacrorum librorum auctores asserit Ecclesia: unde licet absolute affirmet v. gr. S. Paulum esse auctorem quatuordecim Epistolarum ipsi passim tributarum, attamen non nisi dubie loquitur de auctore libri Job, vel Sapientiæ, et aliorum quorumdam. Quapropter propositio illa nostra in hoc sensu accipienda est quo accipit ipsa Ecclesia.

Hoc autem argumento probatur extrinseco et intrinseco.

130. — *a*) Illi dicendi sunt auctores sacri quos ut tales præbet ratio extrinseca vel certa vel probabilis. Atqui auctores qui ut sacri ab Ecclesia admittuntur, tales probantur ratione extrinseca vel certa vel probabili. Ergo.

Patet major, quia illo eodem argumento duplici demonstratur authentia cujuscumque libri, etiam profani, prout videre est apud auctores qui de *arte critica* agunt.

Probatur minor.

Dari imprimis rationem extrinsecam, nempe auctoritatis, nullatenus in dubium revocari potest.

Datur enim primo auctoritas Ecclesiæ quæ certo et quidem jure proprio asserit, licet tamen quandoque authentiam non nisi ut dubiam vel probabiliorem asserat.

Datur secundo auctoritas traditionis et historiæ. Quod argumentum paucis paginis tractari sufficienter dum non possit, hinc ad illos scriptores remittimus qui illud plenius tradiderunt in *Introductione particulari* seu *speciali* ad Scripturam sacram [2].

[1] S. Aug., *De Cons. Evang.* Vide contextum apud S. Doctorem.
[2] Cf. Lamy, *Introd.*, vol. II; Graveson, *De Script. S.*, etc.; Vigouroux, *Manuel.*

131. — *b*) Nec desunt rationes intrinsecæ, dum ubique apparet sive factorum narrationes, sive stylum et sermonem auctoribus apud nos sacris convenire, datis temporibus aliisque circumstantiis, ita ut inde nulla difficultas insolubilis profluat [1]. Qua in re tamen ita caute procedendum est, ut nunquam ex fictitia styli diversitate diversitatem auctorum fictitiam inducamus, prout accidit *Elohistis* et *Jehovistis* in explananda Genesi.

132. — Ergo hisce præhabitis criteriis, isti dicendi sunt auctores sacri:

Moyses, qui scripsit Pentateuchum ;

Josue, qui probabilius librum Josue ;

Samuel, qui probabilius libros Judicum et Ruth ;

Ignotus, qui libros Regum;

Esdras, qui probabilius librum Paralipomenon et librum Esdræ primum ;

Nehemias, qui librum Esdræ secundum ;

Tobias, qui probabilius librum Tobiæ;

Ignotus, qui librum Judith ;

Mardochæus, qui probabilius librum Esther;

Ignotus, qui librum Job ;

David, præcipuus Psalmorum auctor, cum *Asaph*, *Filii Core*, *Eman* et *Ethan* (omissis psalmis qui Moysi et Salomoni tribuendi sunt);

Salomon, qui libros Proverbiorum, Ecclesiastis et Cantici Canticorum ;

Ignotus, qui librum Sapientiæ;

Josue filius Sirach, qui librum Ecclesiastici;

Isaias, qui Prophetias Isaiæ ;

Jeremias, qui Jeremiæ ;

Baruch, qui Baruchi;

Ezechiel, qui Ezechielis;

Daniel, qui Danielis.

Duodecim Prophetæ minores, sic dicti non propter minorem auctoritatem, sed propter minorem oraculorum amplitudinem; scil.: *Osea*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias ;*

Ignotus, qui scripsit libros Machabæorum ;

[1] Cf. Moigno, *Les splendeurs de la foi ;* Gainet, *La Bible sans la Bible*, etc.

Quatuor Evangelistæ, scil. *Matthæus*, *Marcus*, *Lucas* qui et Actus Apostolorum conscripsit, et *Joannes* qui et tres Epistolas, una cum Apocalypsi composuit;

Paulus, qui quatuordecim Epistolas scripsit;

Jacobus, qui unam;

Petrus, qui duas;

Judas, qui unam.

Hi sunt auctores Scripturarum, quales agnoscit Ecclesia, omissis quibusdam disputationibus de quibus adeas illos qui fusius scripserunt.

De difficultatibus nihil addimus, cum ab iisdem notentur et solvantur apud quos inveniendæ sunt omnes propositionis nostræ probationes [1].

§ 2.

De conservatione Scripturæ sacræ.

133. — Postquam dictum sit de Scripturæ sacræ origine, nunc de ejus conservatione nonnihil tractandum est.

Conservatio autem illa attendi potest tum in *textibus primigeniis*, tum in *translationibus* seu *versionibus*.

I. De conservatione Scripturæ sacræ in textibus primigeniis.

Omissis omnibus quæ de linguis sacris passim traduntur apud varios auctores [2], statim demonstrandum est utrumque Testamentum integre in textu primigenio ad nos usque conservatum et transmissum fuisse. Quod intelligendum est de integritate doctrinali, quæ scil. refertur ad res in Scriptura contentas, et de integritate materiali, quæ ad verba ipsa attinet, concessis tamen, præsertim quoad integritatem materialem, multis librariorum mendis. Circa integritatem doctrinalem admitti utique possunt et debent mendæ: quæ tamen non attingunt nisi res levioris momenti, scil. quædam nomina, vel numerationes; vel si majoris momenti asserta afficiunt, nunquam tamen ita sensum deformant ut contrarium veritati dogmaticæ efficiant.

[1] De his omnibus, vide Natal. Alex., *Hist. Eccles.* T. II et III.
[2] Cf. Opstræt, Lamy, etc.

134. — PROPOSITIO I. *Vetus Testamentum integre in textu primigenio ad nos usque pervenit* [1].

Sensu prius exposito sumitur hic integritas.

Probatur autem propositio ratione tum intrinseca tum extrinseca.

a) Ratio intrinseca sic proponi merito potest: Textus veteris Testamenti, qualis invenitur in multis iisdemque summæ antiquitatis et diversæ originis manuscriptis, idem semper et ubique invenitur, demptis illis mendis de quibus supra diximus: ergo integer et incorruptus remanet sensu prius exposito.

Patet consequentia. Illa namque identitas non nisi ex conformitate cum textu authentico provenire potest.

Probatur antecedens. Multi et quidem doctissimi viri manuscripta veteris Testamenti hebraici undique conquisierunt et inter se contulerunt [2]: inter quos eminuerunt Kennicott [3] et De Rossi [4]. Iste plus quingentos codices perlegit, eorumque variantes notavit atque edidit.

Etsi autem magni numeri sint istiusmodi variæ lectiones, proindeque mendæ multæ circa textum habeantur, attamen mendæ quæ in textu hebraico reperiuntur, maximam partem sensum non afficiunt, sed orthographiam dumtaxat, præsertim in nominibus personarum et locorum. Quæ autem sensum afficiunt annotationes sunt ex locis parallelis desumptæ ad elucidandum textum, aut vocum omissiones vel immutationes ex oculorum levitate, ex similitudine litterarum, quod sæpius fit apud Hebræos, aut ex alio aliquo errore vel negligentia provenientes.

Hæ vero mendæ, quantumvis numerosæ, substantiam rei non lædunt, nec fidei aut moribus adversantur [5]. Nullus sane somniavit amanuenses nunquam errasse, vel ex oscitantia, aut ignorantia, vel ex corruptione vetustiorum manuscriptorum tempore aut usu consumptorum, etc.: hoc unum contenditur,

[1] Ita thesim et ponit et probat Opstræt: „ Judæi non voluerunt textum hebraicum corrumpere; et ut voluissent, non potuere; et ut voluissent ac potuissent, non tamen corruperunt „ *De Loc. Theol.* Diss. I, q. V, § I.

[2] De eorum operibus tractant qui *Bibliothecas Sacras* conficiunt.

[3] *De ratione textus hebraici,* Lips. 1756.

[4] *Variæ lectiones V. Testamenti,* Parmæ, 1781-1798.

[5] Cf. Lamy, *Introd.* V. I, c. IV; Cappel, *Critica Sacra;* Morin, *Exercit. Biblicæ,* L. I, *Exercit.* I, c. II; Pezron, *Antiquité des temps;* J. Vossius, *De LXX Interpr.*, etc.

scil. hujusmodi errores vel leves fuisse, vel nunquam ita fuisse omnibus admistos ut error pro veritate acciperetur [1]. Haud secus in auctorum profanorum codicibus et editionibus, v. gr. Ciceronis, Aristotelis, etc. licet variæ lectiones multæ inveniantur, revera tamen dicitur haberi textus authenticus et primigenius: ita et in Scripturis sacris.

135. — *Confirmatur* 1° Integer et incorruptus censeri debet ille liber in quo nihil invenitur quod corruptionis suspicionem inducat, dummodo ille gaudeat sua antiquitate et fama.

Atqui talis se habet textus primigenius veteris Testamenti. Dupliciter namque, scil. vel interpolatione vel mutilatione corrumpi potest aliquis liber. At vero in sacra Scriptura neutra admitti potest, quoad textum veteris Testamenti primigenium: non interpolatio, quia non invenitur in recentioribus manuscriptis quod in vetustioribus desit; nec ibidem aliquid legitur quod sit tempore auctoris recentius et posterius; vel quod a stylo auctoris aut ejusdem indole et doctrina aut patria certo abhorreat; — non mutilatio, quia in textu illo nihil deest quod in antiquis documentis adsit; nec ullus hiatus apparet qui sententiarum seriem interrumpat. Quæ universim dicta confirmantur speciatim apud auctores probatos [2].

Confirmatur 2° Ex mira harmonia inter omnes textus illius partes quoad facta et doctrinam: unde apparet incorruptio.

Confirmatur 3° Ex harmonia inter utrumque Testamentum, ita ut ea quæ in textu primigenio prænuntiata leguntur, in N. T. et in historia facta iterum legantur [3], et *vice versa*.

Confirmatur 4° Ex harmonia textus illius cum historia profana, prout quotidie melius constat, præsertim ex archæologicis inventis [4].

136. — *b*) Probatur ratione extrinseca. Textus V. T. primigenius ad nos usque integre pervenit si historice [5] constet ipsum

[1] Cf. Reinke, *Beiträge zur Erklärung des A. T.*

[2] Cf. Kennicott, Rossi, Reinke, Bruns, etc. Imprimis in textu hebraico leguntur textus, in N. Testamento ab Apostolis vel Christo relati, etsi Judæis maxime contrarii. Cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.* T. III.

[3] Cf. Opstræt, *De Loc. Theol.* Diss. I, q. I, §§ I-II; et Du Voisin, *Observ. in Pug. Fidei*, p. 154-180, edit. Lips. 1687.

[4] Cf. Fillion, *Atlas Archeol. de la Bible.* Cf. Vigouroux, *Manuel* et *Etudes Bibliques;* Moigno, *Splendeurs de la foi;* Gainet, *La Bible sans la Bible.*

[5] Cf. W. Schmit, *A Concise Dictionairy of the Bible*, art. *Old Testament.*

neque a Moyse usque ad captivitatem babylonicam, neque in ipsa captivitate, neque a captivitate usque ad Christum; neque a Christo usque ad nos supprimi aut corrumpi potuisse: atqui res ita prorsus se habet. Ergo.

Patet major ex sufficienti enumeratione partium [1].

Patet ex se consequens.

Probatur minor per partes singulas.

137. — Primo, *ante captivitatem babylonicam* textus ille nec suppressus nec sponte corruptus fuit, neque ex aliquo errore aut casu.

Etenim nulla afferri potest auctoritas historica qua asseratur hujusmodi suppressio aut corruptio. Gratis asserunt recentiores Lengerke, Renan, Ewald, De Wette: sed merito proinde negatur. Auctores quippe illi desiderium phantasiamque suam volunt historiam fieri: sed vano conatu!

Nec ulla assignari potest ratio cur id apud Judæos accidisset [2]. Quin immo in summa veneratione, juxta Moysis præceptum Scripturas habebant, easque speciali volumine juxta Arcam Fœderis reponendas atque custodiendas curabant [3].

Multa præterea habebantur exemplaria, eademque accuratissime transcripta [4], apud reges et principes [5], apud sacerdotes et levitas, omnesque fideles propter frequentissimam lectionem præceptam: ita ut vix admitti potuerit alicujus exemplaris corruptio, nullimode autem omnium simul.

Sed præterea lex tota coram populo ad festum Tabernaculorum congregato, singulis septenniis, legenda erat a sacerdotibus vel levitis; cautumque et præceptum fuerat ut omnis populus Scripturas semper et audiret et meditaretur. Quod ita testatus est Josephus historicus: " Nec satis, inquit, id futurum putavit (Moyses) ut semel, iterum, aut sæpius eam audissemus, nisi hebdomadis quoque singulis ab alio quolibet opere feria-

[1] Cf. Fabricy, qui hic omnino legendus est in suo *Titres primitifs de la révélation*, tres ita numerat epochas, scil. a Moyse ad Christum, a Christo ad Origenem, ab Origene ad sæc. XVI.

[2] Potiores fuerunt rationes cur Judæi Scripturas tunc temporis non corrumperent, quia scilicet exinde probabant 1° Sibi credita eloquia Dei; 2° Se esse populum Dei electum; 3° Jus suum in terram promissam; 4° Legitimas esse leges cæremoniasque suas; 5° Se non immerito in Messiam sperare etc. Cf. Opstræt, *De Loc. theol.* Diss. I, q. V, § I.

[3] Deut. XXXI, 26. [4] De quo vide Du Voisin, in *Pug. Fid.*, p. 104, edit. Lips.

[5] Deut. VI, 7-9; XI, 18-20; XVII, 18; XXXI, 10-13.

tos omnes ad illam, dum recitaretur, audiendam, animoque penitus informandam, convenire juberet [1]. „

Si objiciatur reges aliquando idololatriæ indulsisse, respondeant Thalmudistæ: " Tempore domus primæ (scil. primi templi), quum essent sacerdotes et doctores legis in templo, et lex esset in omnium ore publice, corruptionem contrahere non poterat: nam etsi apud eos essent reges qui idola colerent, nihilominus tamen erant cum eis prophetæ toto illo tempore usque ad excidium, qui populum exhortabantur ad observandam legem [2]. „

Confirmatur quoad Pentateuchum. Inter istum enim et Pentateuchum Samaritanum, quem probabilior sententia [3] ab ipsomet schismatis decem tribuum initio repetendum esse docet, maxima est concordia, nec nisi levioris momenti diversitates apparent: unde sequitur utrumque in textu primigenio conservatum fuisse, cum admitti nequeat Samaritanos aliosque Judæos inter se adversos convenisse ut Scripturam suam immutarent; nec corruptio ab aliis fieri potuisset, quin illico ab aliis animadverteretur atque exprobraretur [4].

Dices: Juxta Eusebium [5], Athanasium [6] et alios, Scripturæ sacræ apud Judæos ita aliquando oblivioni traditæ sunt, ut nec ipse legis mosaicæ liber inveniretur. Ergo.....

Respondendum est auctores illos ita locutos esse opinando, non asserendo, cum alias aliter loquantur. Si autem aliqui in oppositam sententiam abierunt, in errorem tracti sunt ex falsa interpretatione alicujus loci Scripturæ [7], ubi tamen non asseritur Scripturam periisse, sed novum ejusdem exemplar repertum fuisse [8].

138. — Deinde, probatur textum V. Testamenti primigenium *nec in ipsa captivitate babylonica* deperditum aut vitiatum esse [9].

[1] *Contr. Ap.* XI, 175.

[2] Cf. Du Voisin, *Observ. in Pug. fidei*, p. 148, edit. Lips. 1687.

[3] De *Pentateucho Samarit.* cf. Morinus, qui primus illud edidit: *Exercit. in utrumque Pentateuchum Samarit.*; Gesenius, *Comment. de Pentat. Samar. orig.*; Kuhn, *De Pentateuch. Samar.* etc. Cf. Kennicott, *Opp.*, et Smith, *Diction.* art. *Samaritan. Pentateuch.*

[4] Cf. Lamy, *Introd.* T. I, p. 99-105.

[5] *In Psalm.*

[6] *In Psalm. Præf.*

[7] I. Reg. XXII.

[8] Cf. II. Paral. XXXIV, 14.

[9] Hoc tamen notandum quod post captivitatem characteribus in Babylonia usitatis scripti sunt libri sacri, dum antiquitus Samaritanorum litteris scriberentur. Unde Hieronymus: " Certum esse, ait, Esdram scribam legisque doctorem, post captam Jerosolymam et instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum et Hebræorum characteres fuerint „ *Prolog. Galeat.*

Ita imprimis sentiunt veteres. S. Irenæus ait: „ Non est mirabile Deum hoc in eis operatum quando in ea captivitate populi, quæ facta est a Nabuchodonosore, corruptis Scripturis, et post septuaginta annos Judæis descendentibus in regionem suam, et post deinde temporibus Artaxersis Persarum regis, inspiravit Esdræ sacerdoti tribus Levi præteritorum prophetarum omnes renumerare sermones, et restituere populo eam legem quæ data esset per Moysen [1]. „ Haud secus Tertullianus: „ Jerosolymis, inquit, babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum judaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum [2]. „

Ita passim alii Patres dum asserunt Esdram *renovasse, instaurasse, descripsisse, restituisse, edidisse*, etc. Scripturas [3]. Unde supponunt istas tempore captivitatis remansisse incorruptas.

Iterum probatur verisimilitudine. Licet enim omnia forsan Scripturarum exemplaria in templo asservata combusta fuerint in conflagratione ipsius templi, attamen innumera alia habebantur exemplaria apud principes, sacerdotes et populum. Unde plane incredibile, imo moraliter impossibile foret inter Judæos nulla exemplaria asservata esse. Credendum vero omnino est præsertim Jeremiam prophetam, cui summa libertas a Nabuzardan, magistro militiæ regis Babylonis, concessa fuit [4], ita ut ille tabernaculum, arcam, altare incensi abscondere potuerit, sacrorum codicum servandorum immemorem non fuisse.

Nullus præterea sibi facile persuadebit, in prima deportatione, sub Joakim, cum Ezechiel, Daniel, aliique viri abducti sunt; et in secunda sub Jechonia, qui sponte Nabuchodonosori sese tradidit, nullum de Scripturis auferendis et servandis curam habuisse.

Istud demum confirmatur eo quod cum accuratissimam habeamus descriptionem eorum quæ ab hostibus vastata et dispersa fuerunt [5], nulla tamen fit mentio librorum sanctorum.....

[1] Lib. III, cap. XXV.

[2] *De Cultu Fœm.* cap. III.

[3] Cf. Euseb., *Hist. Eccl.* Lib. V, cap. VIII; Chrysost. *In Epist. ad Hebr.* Hom. VIII; Hieron., *Adv. Helv.;* Clem. Alex., *Strom.* Lib. I; Theodor., Hilarius etc. Cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.*, vol. II. In codice Amiatino visitur pictura qua exhibetur Esdras scribens, ibique legitur epigramma:

Codicibus sacris hostili clade perustis,
Esdra Deo fervens hocce reparat opus.

[4] Jer. XXXIX, 11-12; et XL, 1.

[5] IV. Reg. XXV, et Jer. LII.

Ex ipsis denique Scripturis idem demonstratur. Mox enim Esdras se dicit " scribam velocem in lege Moysi [1]; " mox Daniel testimonium Moysi adducit [2]. Idem Daniel invocat Jeremiæ et Baruch prophetias nuper editas [3]. Tobias captivus prophetiam Amos legit [4]. Esdras demum a populo jubetur non scribere, sed afferre librum legis Moysi, et hoc quidem priusquam sacrorum codicum editionem suam curasset [5].

Confirmatur tum ex eo quod nullus apud Hebræos de illa Scripturarum restitutione ab Esdra facta loquatur; tum eo quod sicut apud Samaritanos conservatus est Pentateuchus [6], ita apud reliquos Hebræos, et quidem a fortiori, Scriptura in illa captivitate servanda fuit; tum denique eo quod testatur Josephus Cyro ostensum fuisse proprium nomen in prophetia Isaiæ, tempore captivitatis [7]: ergo asservabantur illæ prophetiæ.

Nec proinde asserendum est Esdram Scripturas deperditas refecisse, sed eum tantummodo codices dispersos collegisse, a mendis expurgasse, eorumque accuratiorem editionem procurasse. Cæterum narrat Josephus hunc apud Judæos obtinuisse morem ut si quæ ingruerent bella, pace iterum composita, a sacerdotibus codices sancti recognoscerentur ac renovarentur: quod officium solis prophetis competebat [8]: nec immerito quis asseret hujusmodi officium Esdræ post captivitatem divinitus collatum esse.

Objici tamen possunt quædam verba nonnullorum doctorum qui Esdræ munus omnia iterum dictandi tribuere videntur. Ita Basilius [9], Leontius [10], etc.

Respondendum est doctores illos, nisi juxta communiorem sententiam explanari debeant (quod plerumque fieri potest), in errorem inductos esse ex textu apocrypho libri IV Esdræ [11], ubi palam asseritur istum libros sacros ex integro restituisse.

De his fusiorem tractationem require apud auctores probatos [12].

139. — Quod autem a *captivitate babylonica usque ad tempora*

[1] I. Esdr. vii, 6. [2] Dan. ix, 11, 13. [3] Dan. ix, 2, 5, 15.
[4] Tob. ii, 6. [5] II. Esdr. viii, 1.
[6] Cf. Smith, *A Concise Dictionary of the Bible*, art. *Samaritan. Pentateuch.*
[7] *Jud. Antiq.* xi, i. [8] *Cont. Ap.* l. i. [9] *Cont. Chil.*
[10] *De Sectis Act.* ii. [11] IV. Esdr. xiv, 21-44.
[12] Natal Alex., *Hist. Eccl.* t. ii, æt. iv, et Diss. iv. Cf. Lamy, *Introd.* t. i, p. 88-89; Glaire, *Introd.* t. i, cap. iii.

Christi sponte non fuerit corruptus Scripturæ primigenius textus multipliciter probatur.

Huc imprimis facit illa Judæorum pietas, qua scriptum Dei verbum prosequebantur, de qua ita Josephus: " Apud nos, inquit, nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium atque inter se pugnantium; sed duo dumtaxat et viginti [1] libri totius præteriti temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Cum enim tot jam sæcula effluxerint, nemo adhuc adjicere quidquam illis, nec demere, nec commutare ausus fuit. Sed omnibus nobis, statim ab ipso nascendi exordio, hoc insitum atque innatum est, Dei ut hæc esse præcepta credamus, iisdemque constanter adhærescamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus [2]. "

Hic facto certissimo alludebat Josephus. Cum enim post ca-

[1] Cum hæc verba ad editionem Esdrinam referantur, aliique non XXII, sed XXIV vel XXVII libros numerent, ita præstat differentiam sententiarum explanare ex verbis doctissimi Sixti Senensis, qui cum et ipse religionem Judaicam professus fuisset, res Judæorum apprime noverat: " Apud Judæos, inquit, Libri sacri qui soli in auctoritate habentur, triplici numerorum varietate supputari solent: 1° Quidam, inter quos Josephus et Philo, supputarunt libros sacros juxta numerum litterarum hebraicarum, ut, sicut apud Hebræos duæ et viginti sunt litteræ, quibus omnia quæ scribi dicique possunt comprehenduntur, ita viginti duo volumina sunt quibus continentur omnia quæ de divinis rebus scribi enuntiarique queant; quam enumerationem secuti sunt inter Christianos Origenes, Epiphanius, Gregorius Theologus, Hieronymus, Ruffinus. 2° Alii ex Judæis (de quorum numero sunt Aben-Ezra et David Kimchi) XXIV libros V. T. recensent, juxta eumdem numerum litterarum, ter tamen repetita littera jod, in honorem divini nominis. Solent enim Judæi nomen Dei quadrilitterum, (quod apud ipsos propter Dei reverentiam lingua et voce proferre nefas est) triplicata littera jod, chaldaico more, conscribere hoc modo ייי. Hanc partitionem nonnulli veterum græcorum, quod aptissime conveniret numero 24 litterarum græcarum, susceperunt; et latinorum plerique, tam prisci quam recentiores, pari studio complexi sunt, respicientes ad mysticum illum numerum 24 Seniorum in Apocalypsi. 3° Rursus Hebræorum nonnulli XXVII libros numerare consueverunt, juxta numerum 27 characterum judaicorum, additis quinque litteris finalibus " (*Biblioth. Sancta*, L. I, cap. II). Ita doctissimus ille Dominicanus, cujus opera nimium a quibusdam in oblivionem mittuntur, nisi forsan tacite expilentur. Qui sane iterum edendus legendusque foret. Idem asserimus de Raymundo Martino, qui in *Pugione Fidei* multas de Scriptura quæstiones auctoritatibus hebraicis doctissime illustravit. Vide editionem Du Voisin, qui librum summa scientia edidit, proprioque auctori restituit, postquam Galatinus turpiter furatus erat.

[2] *Cont. Apion.* L. I, cap. VIII.

ptivitatem babylonicam, Antiochi persecutio sæviret, ita ut juberentur Hebræi omnes librorum suorum codices comburere, omnesque qui conservassent Scripturas capite plectendi forent [1], vanissimus evasit conatus. Tunc ergo restitit populus Dei, ducibusque Machabæis, scripturas suas servaverunt et devotione sua venerati sunt [2]. Ergo integros custodierunt.

Impossibilis præterea fuit spontanea magnique momenti corruptio Scripturæ, cum tunc temporis, post exactam præsertim Septuaginta interpretationem, sacri codices per totam Asiam diffunderentur: unde fieri aliqua corruptio non potuisset absque omnium scandalo et exceptionibus; quæ cum omnino defuerint, signum est integros remansisse apud Hebræos Jerosoymitanos. Hinc Augustinus: " Absit ut prudens quispiam vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ tantum potuisse redat in codicibus tam multis et tam longe lateque dispersis [3]. „

Quod eximie confirmatur Christi testimonio, tum quia Christus dum Judæis sua crimina exprobrat [4], nihil tamen de Scriturarum falsificatione dicit; tum quia discipulos jubet ut rutentur Scripturas [5], et audiant Scribas et Pharisæos [6] sedens super cathedram Moysi: unde utrinque Scripturas non corıptas scienter a Judæis supponit.

140. — Denique probatur Scripturas *non fuisse corruptas a dæis post Christum*, ita ut scil. corruptio, si ab aliquibus tenretur, corrigi vel caveri non posset.

Remanebat enim apud Hebræos sacrorum codicum amor et neratio. Quod testantur Thalmudistæ: " Lex quæ in manibus stris est, inquit auctor *Sepher ikkarim*, ipsa traditione sucssiva a patribus ad filios derivata, eadem est quæ data est ysi in Sinai, sine ulla omnino mutatione [7]. „ Quin imo, m Thalmudistarum tempore, et quidem ex eorumdem præto, exemplaria publicæ lectioni destinata ea sedulitate et litate exscribenda erant, ut profana evaderet illa transcriptio qua una littera deficeret aut redundaret, vel littera litteræ ereret, vel forma litteræ corrumperetur, etc. Jubebantur terea singuli Israelitæ scribere legis librum [8].

I. Mach. cap. I, 59-60. [2] I. Mach. cap. III, 48. [3] *De Civ. Dei*, L. XV, c. XIII.
Matth. III, 7; XII, 34; Jo. VIII, 44, etc. [5] Joan. V, 39. [6] Matth. XXIII, 2.
Du Voisin, *Observ. in Pug. Fidei*, p. 148, edit. Lips. 1687.
d. ibid., pp. 101-111, qui omnino legendus hic est.

Sed rursus impossibilis evasit illa publica Scripturar corruptio, propter exemplariorum et translationum ubique dif fusarum [1]. Tunc enim præter LXX versionem habebantur pr omnium manibus versiones Theodotionis, Aquilæ, Symmachi atque innumeri textus in scriptis doctorum relati : unde co ruptio illa fieri non potuisset quin subito omnes undique r clamarent et insimularent.

Confirmationem hanc addit Hieronymus: „ Si quis, ait, d xerit hebræos libros postea a Judæis esse falsatos, audiat Or genem quid in octavo volumine explanationum Isaiæ h respondeat quæstiunculæ, quod nunquam Dominus et Aposto qui cætera crimina arguunt in Scribis et Pharisæis, de h crimine quod erat maximum reticuissent. Sin autem dixer post adventum Domini Salvatoris et prædicationem Aposto rum libros hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non pot ut Salvator et Evangelistæ et Apostoli ita testimonia pro lerint, ut Judæi postea falsaturi erant [2]. „ Unde Justin „ Quod hi libri, inquit, qui religionis nostræ proprii sun etiamnum apud Judæos asservantur, id Providentiæ div nobis consulentis opus extitit. Nam, ne ex Ecclesia proferen locum suspicandæ fraudis præbeamus hominibus nobis ob ctandi cupidis, ex Judæorum synagogis eos proferri postulam ut ex ipsis libris, qui adhuc apud eos asservantur, clare aperte nostras esse pateat leges, quæ a sanctis viris ad d ctrinam scriptæ sunt [3]. „ Hinc apud Patres passim Judæi cuntur scriniarii, librarii, capsarii, etc. Christianorum.

Idcirco negandum est illos sponte et scienter Scripturis cris corruptionem intulisse.

141. — *Dices* tamen plurimos Patres, inter quos Justinu Irenæus, Chrysostomus, Judæis corruptionem exprobrasse.

Respondetur eos Judæis falsam interpretationem, vel interpr tationem a Septuaginta diversam exprobrasse [4]; non aut

[1] „ Judæos exemplaria omnia adulterasse nego et pernego, in ea quæ christianorum Bibliothecis extabant, neque adeo ipsorum juris essent, qu quam potuisse. „ Simeon Du Muis, *Epist. de Verit. hebr.* P. XVII. Cf. Frunt *Anti. Critic.* P. II, c. XIV.

[2] In Is. VI, 8. Ita perpetuo Hieronymus. Cf. ejusd. *Epist.* Edit. Manut. T pp. 284-285; *ad Lucin.* T. III, p. 46, *ad Damas.*; et pp. 141-142, *ad Suniam*,

[3] *Cohort. ad Græc.* XIII. Cf. *Apol.* XXXI.

[4] Nonnunquam enim in locis ambiguis Judæi sensum admiserunt Ch

textuum vitiationem, ita ut iidem ipsi Patres qui talem illis corruptionem opponunt, eos tamen dicant Christianorum scriniarios, textumque hebraicum nonnunquam adducant.

Si dicas nonnullos recentiores theologos, ex quibus Melchior Canus [1], hanc Massorethis accusationem impingere quod textum primigenium falsaverint, tunc reponendum est nimiam esse accusationem illam; vel si quid veri præ se habeat, id tamen non solum malitiæ ipsorum, sed etiam rei difficultati tribuendum esse [2].

APPENDIX

DE EDITIONIBUS V. T. IN TEXTU PRIMIGENIO.

142. — Imprimis nominanda est illa quam ipsimet auctores sacri confecerunt, et quæ autographis constabat. Autographa vero omnia periisse certum est.

Altera editio Esdræ fuit, quæ complectebatur omnes libros protocanonicos hebraice conscriptos, exceptis fragmentis aliquibus, chaldaice editis, scil. Jerem. x, 11; Daniel. II, 4 - VII, 28; Esdr. IV, 7 - VI, 18 - VII, 12-26. Quæ mox in XXII, mox in XXIV, mox in XXVII libros dividebatur, juxta numerum varium litterarum; vel etiam, ratione materiæ, in *Legem*, *Prophetas* et *Hagiographa*. Postea autem diversimode divisa fuit in libros, sectiones, capita, versus, etc. [3].

Tertia editio textus hebraici facta est ab Origene in suis Hexaplis, ubi primum locum tenebat.

Quarta, et quidem celeberrima fuit Massoretharum qui sæculis VI-X, recensionem novam summa cura aggressi sunt, puncta vocalia et accentus inducentes, quibus antea carebat textus sacer.

Quinta editio curata est sæculo x a R. Aaron Ben Moyses Ben Ascher, cujus codex manuscriptus Alepi asservatur, unde editus

stianis minus faventem. Sic v. gr. Ps. XXI, 17 ad locum: *Foderunt manus meas* duæ habentur lectiones in hebraico: כרן *foderunt* et כארי, *sicut leo*. Judæi hanc potius elegerunt quin textum corruperint. Quinam inter antiquiores recentioresve insimulaverint Hebræos falsitatis, disce ex DD. Lémann, *La question du Messie*, pp. 38-40, in notis. De omnibus prædictis, cf. Fabricy, *Diatribe*, Romæ, 1782, una cum *Specim.* Rossii.

[1] *Loc. Theol.*, L. II, c. XIII.

[2] Eadem occurrit difficultas ad conservandos litterarum inter similium characteres, v. gr. ד et ר, ה et ח, י et ו, etc.

[3] De his adeas pluries relatum Du Voisin, *Observ. in Pug. Fid.*, p. 97, edit. Lips.

est Bibliorum nostrorum textus hebraicus. Ejusdem temporis plures passim asservantur codices in variis occidentalium et orientalium bibliothecis.

Sexta typis mandata fuit Soncini, anno 1488, cura R. Abrahami Ben Chajim.

Septima Complutensis, Compluti, ann. 1514-1517, cura cardinalis Ximenes.

Octava, Venetiis, an. 1518, et an. 1525, et an. 1549, quæ dicitur Bombergiana. Eminet editio anni 1525.

Nona, Antuerpiensis, Antuerpiæ, an. 1569-1572, cura Ariæ Montani.

Decima, Jo. Buxtorfii, Basilææ, an. 1618-1619.

Undecima, Jos. Athiæ, Amstelodami, an. 1661 et 1667.

Duodecima, Everardi Vander Hought, Amstel. an. 1705.

Decimatertia, stereotypa, Aug. Hahn, Lips., an. 1832.

Decimaquarta, stereotypa, C. God. Gulielm. Theile, Lipsiæ, an. 1849.

Hæ videntur textus hebraici præcipuæ editiones. Aliæ quidem notari possent, quæ tamen a notatis parum differunt.

Priusquam vero textus hebraici editiones integræ prodirent, jam plures librorum aliquorum editiones publici juris factæ fuerant, quas indicant eruditi [1]. Sed de his alii.

143. — Propositio II. *Novum Testamentum integre ad nos usque in textu primigenio pervenit.*

Omnes libri novi Testamenti græce scripti sunt, exceptis probabiliter Evangelio secundum Matthæum, et forsan Epistola ad Hebræos, etsi plures utrumque teneant græce scriptum [2]. Istorum tamen textus græcus ut primigenius habetur, tum quia translatio græca primitus facta est, tum quia aliæ versiones ab illa prodeunt, si excipias cum probabilitate syriacam Mat-

[1] Cf. Herbst et Welte, *Einleit*, T. I, Lect. III, c. IV; Lelong, *Biblioth. sacra.* Hic tacere nequeo hanc recentiorum iniquitatem qui dum *Bibliis Polyglottis* vetustioribusque editionibus agunt, nec verbum quidem faciunt de editione *octapla* Psalterii a fr. Augustino Giustiniani anno 1516, typis partim mandata, cum tamen editio illa inter omnes pulcherrima et accuratissima evaserit; auctor autem totam Scripturam eodem modo edere statuerat, quod, *deficiente pecunia*, perficere non potuit. Cf. Huet, *De Claris interpr.*, § XIII.

[2] Aramaice scripsit Matthæus, ut volunt antiqui omnes usque ad Erasmum. Cf. Lamy, *Introd.* T. II, p. 215.

ıæi versionem [1]. Unde propositio nostra de omnibus novi Te-amenti libris intelligenda est.

Novi non secus ac veteris Testamenti αὐτόγραφα seu ἰδιόχειρα, erierunt, nec remanent nisi ἀπόγραφα, etsi sicut Bononienses lim autographa Esdræ apud se habere, ita Venetæ S. Marci, Lao-icenses et Cypriotæ S. Matthæi, Florentini, Tolosani et Patmi ıcolæ S. Joannis, etc. fabulati sint [2]. Quærendum est ergo trum et quomodo transcriptiones illæ textum primigenium eferant, eodem sensu quo pro V. T. inquirebatur.

Probatur ergo propositio nostra ratione intrinseca et extrinseca.

144. — *a*) Quarum prima hæc sit. In manuscriptis enim seu odicibus diversæ originis et ingentis numeri quibus textus græci abentur, sensus idem ubique invenitur: ergo habemus textum ıcorruptum.

Consequentia exinde patet quod identitas nonnisi ex unitate rocedere potest: unitas autem corruptioni opponitur.

Probatur antecedens.

Multi iidemque eruditissimi viri manuscripta et codices græ-os novi Testamenti ab occidente et oriente conquisierunt. Ut mittam Millium, Wetstenium, Bengelium, Griesbachium, etc. tc. sufficiat adduxisse Scholzii auctoritatem, qui recentius estituendæ integritati græci textus laboravit, illorumque la-oribus usus est; auctoritatemque Tischendorfii, qui inter ul-imos huic disquisitioni insudavit.

Scholzius, qui suum *Novum Testamentum græce* Lipsiæ an. 1830 ypis mandavit, DCXLVII codices ex XLVII bibliothecis perlegit, mnesque versiones antiquas, nec non et opera Patrum et Acta onciliorum etsi forsan minus accurate [3] perlustratus est, ut ve-ım textum inveniret, omnesque varias lectiones attente notavit.

Alii docti alia addiderunt, imprimis eruditissimis nec non aboriosissimis operibus totus addictus Tischendorfius, in variis ditionibus suis textus græci, imprimis in septima.

Ex illis omnibus codicibus, LII sunt sæculo X antiquiores, t *uncialibus* litteris scripti; cæteri recentiores et *cursivis* exa-ıti. Inter illos eminent *Vaticanus* et *Sinaiticus*, qui ad sæcu-

[1] Ita sentit Cureton, primus hujus versionis editor; assentit Le Hir; dissen-ınt alii.

[2] Cf. Walton, Scholz, *Opp. passim.*

[3] Cf. Tischendorf, *Nov. Test.* edit. VIII et IX, *Proleg.*

lum IV referuntur; *Alexandrinus*, qui ad initium sæculi V; *Cantabrigiensis* et *Claromontanus*, qui ad sæculum VI [1].

Codices illi omnes in duas classes seu familias dividendi sunt, scilicet in asiatico-byzantinam, et latino-alexandrinam, prout volunt et probant eruditi [2], licet hucusque circa utriusque familiæ originem vix aliquid certi statuere potuerint, nec facile indicari possit cuinam prior antiquitas et securior auctoritas competat [3].

Atqui inter omnes illos codices variis temporibus et locis pertinentes maxima variarum lectionum pars formam tantum, nullatenus sensum immutat; paucæ sunt quæ sensum afficiant, non quidem doctrinam novam aut factum novum inducendo, sed explicationes, vel textus parallelos in textum primigenium inferendo. Unde Scholzius varias lectiones novi Testamenti græci ita enumerat: „ Insunt documentis criticis scriptionis vitia et corruptiones: quædam spectant orthographiam, aliæ insolitas nominum verborumque flexiones; aliæ vocabula a librario male sedulo permutata, aliæ dictionem elegantiorem et planiorem in locum genuinæ lectionis substitutam; aliæ omissiones; aliæ lectiones ex allegorica interpretandi ratione ortas; aliæ nomina propria temere vexata; aliæ supplementa ad loca ex V. T. petita; pleræque illæ corruptiones primum margini adscriptæ erant [4]. „ Unde non immerito colligendum erit: Quotquot occurrunt variæ in manuscriptis codicibus lectiones, tot fere inveni expositiones textus sacri; tantum autem abesse ut varietatum multitudo Scripturæ sacræ auctoritatem minuat, ut potius codicum innumerorum consensus mirus in omnibus quæ religionis substantiam spectant, veritatem divinam multum

[1] Cf. Tischendorf, *N. T. græc. Proleg.* edit. VII et IX, ubi doctissime codices græcos describit. W. Smith, *A Concise Dictionary of the Bible*, art. *New. Test.*

[2] Cf. Eichorn, Griesbach, Scholz, Reiche, Lachmann, Hug. imprimisque Tischendorf. — Cuinam familiæ pertineant codices „ vel ex subscriptionibus, vel ex notis quibusdam margini additis, vel ex menologiis, vel ex picturis quæ in iisdem reperiuntur, vel ex scripturæ conditione, vel denique ex patria versionum et scriptorum, qui cum eorum textu faciunt, conjici potest. „ Scholz. *N. Test. græce, Proleg.* c. III, §§ 22 et 25. Cf. ejusdem auctoris opus cui titulus est *Biblisch. kritische Reise in Frankreich, der Schweiz, Italien, Palästina, und in archipel.* Lips. 1823.

[3] Tischend., *N. Test. græc. Proleg.* p. 63-71.

[4] *N. Testam. græci: Prol. indice*, c. II. Quæ omnia exemplis probat in ipsis *Prolegomenis* c. II. — Addendum est errores nonnumquam irrepsisse ex absentia accentuum et punctorum quibus male supplebatur. Vide Lamy, *Introd.* vol. I, c. IV, sec. II, n. 72.

confirment, Deique curam specialem circa hos libros demonstret. Hæc igitur varietas nedum officiat, magis magisque auctoritatem textus confirmat. Probat enim infinitum prope exemplariorum numerum: atqui evidens est eo majorem esse libri alicujus auctoritatem quo plura habentur libri istius exemplaria [1].

145. — *Confirmatur* 1° Ibi non datur corruptio, ubi non apparet nec interpolatio nec mutilatio, cum omnis corruptio fiat vel inductione extraneorum vel ablatione propriorum.

Atqui in novi Testamenti textu græco nihil invenitur quod alterutram sapiat (præter illas paucas interpolationes homogeneorum textuum de quibus diximus, quasque dignoscere impossibile non est). Etenim interpolatio exinde adesse judicatur, si in textu aliquid legatur quod in vetustioribus codicibus desit; vel quod auctore recentius sit, vel quod ab ejusdem indole, doctrina, patria aut conditione abhorreat [2]; — mutilatio si in textu desit quod in antiquioribus codicibus legitur, vel quod a veteribus textibus referatur: Porro nihil hujusmodi in textu græco novi Testamenti habetur. Ergo.

Confirmatur 2° Ex harmonia inter omnes novi Testamenti partes, quoad facta et doctrinam; ex concordia inter utrumque Testamentum, ita ut in Novo referantur etiam quæ pro Judæis contra Christianos facere viderentur; ex concordia cum historia, geographia, archæologia aliisque securioribus inter hodiernas scientias. Corruptiones namque vix dari possent quæ cum scientiis certis contradictionem non inferrent.

Confirmatur 3° Ex concordia textus nostri cum primis versionibus, cum Conciliorum [3] et Patrum citationibus, etc. [4].

[1] Cf. J. Martianay in variis de re nostra operibus.

[2] Hic imprimis notandum est græcitatem auctorum N. Testamenti apprime circumstantiis loci et temporis convenire. Cf. Beelen, *Grammatica græcit. N. Test.* pp. 12, 22.

[3] Cf. Scholz., *N. T. Prol.* p. VI et VII.

[4] De manuscriptorum origine et diversitate, placet hanc doctissimi Scholzii sententiam referre, unde melius appareat argumenti nostri vis et amplitudo. " Exposita, et multiplici librorum N. T. fortuna et varia materia critica, data est mihi potestas historiæ codicum N. T. confidenter delineandæ... Descripta sunt primo autographa vel ab auctoribus ipsis vel ab eorum scribis exarata, iis in locis, quorum incolis christianis inscripti erant libri nostri. Transcribebantur igitur primo S. Pauli epistolæ ad Thessalonicenses Thessalonicæ, epistola ad Galatas in Galatia, epistolæ ad Corinthios Corinthi, epistolæ ad Ephesios et Timotheum, etiam S. Joannis Evangelium, epistolæ et apocalypsis ecclesiis Asiæ Minoris inscriptæ Ephesi; S. Pauli epistola ad Titum in insula Creta, epistola ad Romanos, S. Marci et S. Lucæ evangelium hujusque acta apostolo-

146. — *b*) Probatur postmodum ratione extrinseca. Ratio hæc sic proponi potest: Textus primigenius novi Testamenti adulteratus non fuit tribus primis Ecclesiæ sæculis; textusque ille cæteris posterioribus sæculis fideliter in Ecclesia exscriptus est, demptis amanuensium levioribus mendis: ergo.

Patet consequentia ex enumeratione completa epocharum. Tria autem prima sæcula ab aliis distinguimus, Scholzii vestigiis inhærentes, quia pro illo primo tempore explicatiora habentur veterum testimonia.

rum Romæ, S. Pauli epistola ad Colossenses et ad Philemonem Colossæ, epistola ad Philippenses Philippi, epistola ad Hebræos, evangelium S. Matthæi et epistola S. Jacobi in Palæstina, et epistolæ S. Petri in Mesopotamia inde ab anno 53 ad annum 70. Hæc apographa describenda curaverunt reliquæ ecclesiæ Græciæ, Asiæ Minoris, Italiæ et Syriæ. Instituta Evangelii, Apostoli et praxa postali epistolarum catholicarum collectione confecta sunt sæculis subsequentibus apographa multa alia in provinciis laudatis, maxime Antiochia, Ephesi, Corinthi, Athenis, Pergami, Tharsi, Beryti, Rhodi, Cæsareæ, Romæ, Mediolani, Carthagine, aliisque domiciliis studiorum ubi plurima describebantur codicesque multiplicari solebant: inter omnes vero urbes eminebant Alexandria, hominum Christianorum frequentia et ecclesia ibi fundata insignis, inde a sæculo III usque ad sæculum VIII præcipua eruditionis christiana *(sic)* sedes; et Constantinopolis, quæ urbs translata ibidem imperii sede inde a quarto Christi sæculo usque ad annum 1453, imperatorum munificentia, bibliothecis numerosissimis comparandis et libris exscribendis sese extulit. Apographa primis duobus sæculis facta, non quidem carebant vitiis librariorum culpa natis, sed hæc exigui momenti erant: mutabantur autem in iis inde ab hoc tempore maxime Alexandriæ plurima corrumpebanturque, ita ut duplex codicum genus distinguere possis, alterum corruptum, alterum integre servatum, sed vitiis librariorum non carentem. Hoc viguit in provinciis Africæ et Europæ orientalis, vel in codicibus græcis, vel in versionibus copticis, latinis, syriaca-jerosolymitana et arabicis, quæ ex illis factæ sunt inde a sæculo III. Post irruptionem Arabum genus codicum græcorum Alexandrinum extra usum venit, sed viguit in versionibus laudatis; a prisco etiam illo calligraphiæ ritu Alexandriæ desitum est, quo factum est ut inter innumeros pene græcos N. T. codices in Europæ bibliothecas exportatos alexandrini aliqui tantum veteres, pauci vero recentiores, qui usui ecclesiastico non adaptati sunt, reperiantur. Pari fere modo dixeris de Palæstina, Phœnice, Syria et circumjacentibus regionibus, quæ eodem tempore a Saracenis subactæ sunt. Contra genus codicum Constantinopolitanum Constantinopoli, in monte Atho aliisque locis et regionibus Europæ orientalis et Asiæ, maxime inde a sæculo VIII augebatur, atque in ambitu imperii byzantini usui ecclesiastico inserviebat. In utroque genere inde a sæculo quarto quintove pauca in Oriente immutata sunt: sed plurima corrumpebantur in Occidente. Cum cognitio linguæ græcæ post seculum quartum rarissima esset in Occidente, consentaneum videtur codices qui deinde exarabantur latinos non ex codicibus græcis fuisse mutatos, et plerasque variantes easque innumeras lectiones codicibus latinis peculiares non codicibus græcis originem debere, sed librariis latinis. „ N. T. *Prol.* c. IX, § 57. *Vide ibid.* pag. III, in nota *m*.

Probatur ergo antecedens quoad primam partem, et quidem multipliciter.

147. — *Primo*, admittenda est imprimis illa Providentia specialis, qua Deus opera sua, imprimis utilia ad salutem, sedulo servat, nec nociva evadere permittit.

Secundo, aderant ex parte Christianorum rationes cur novum Testamentum non corrumperent, et quidem plures. Prima fuit jus et voluntas non profitendi nisi veritatem eamque ex Scripturis incorruptis hauriendi, sive ad illam sibi appropriandam [1], sive ad defendendam [2]. — Altera fuit jussio ab Apostolis accepta libros sacros absque corruptione servandi [3]. — Tertia fuit ne Christiani ab adversariis, præsertim hæreticis, irriderentur, si falsitatis introductæ accusari potuissent. — Quarta fuit ipsamet societatis christianæ honestas.

Tertio, hinc factum est quod Christiani de adulterata Scriptura vix nunquam accusarentur, nisi a Marcione, quem Tertullianus perbelle refellit vetustiorum codicum auctoritate [4]. Cum autem postea S. Hieronymus versionem suam novam aggressus est, quot et quanta improperia non sustinuit, tamquam novator, nisi ut corruptor [5]? Quicumque alius hujusmodi opus tentasset, perficiendo impar fuisset, nisi solus Hieronymus. Quid ergo de inducendis manifeste immutationibus in textum ab omnibus receptum? — Hinc iterum factum est quod veritatis christianæ defensores sedulo notarent et vehementer hæreticis exprobrarent corruptiones ab eisdem N. Testamento illatas [6].

Quarto, Patres autem quarti sæculi confidenter priorum codicum incorruptionem prædicant [7]. Augustinus " vetustiorum codicum veritatem " asserit [8]; Ambrosius refert codices " quos (sæculo II) incorruptos simplicitas temporum servavit et probat [9]; " Hieronymus ita Helvidio: " Stultissime tibi persuasisti græcos codices esse falsatos [10]; " et Origenes doctissimus calumnianti Celso respondebat: " Equidem non novi alios qui Evangelii contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini

[1] I. Cor. VII, 8; Rom. II, 3, etc.
[2] Gal. I, 6; Phil. III, 2, etc.
[3] Luc. I, 2; Apoc. XXII, 18; II. Thess. II, 14.
[4] *Adv. Marc.* IV.
[5] Cf. S. Aug. *De Civit. Dei*, L. XVIII, 43; *Epist.* 71, 82, ad Hier.
[6] Cf. Scholz, *N. T. Prol.* p. V et VI.
[7] Cf. Scholz, *ib.* p. VI.
[8] *Cont. Faust.* L. XXXII, c. XVI.
[9] *In Epist. ad Rom.*
[10] *Adv. Helv.* XVI.

fortasse et Lucani sectatores. Id vero criminis nostræ doctrinæ imputandum non est: in culpa sunt qui Evangelia depravare audent [1]. „ Ita multi alii Patres et Doctores.

Quinto, etsi corrumpere voluissent, non tamen potuissent. Ubique enim vigebat Scripturarum studium [2] inter fideles, imprimisque in illis Atheniensium, Alexandrinorum, Antiochenorum, Ephesiorum, Rhodiorum, Corinthiorum, Romanorum aliorumque florentissimis scholis. Ubique ergo inveniebantur librorum sacrorum collectiones, inde a primo sæculo [3], quæ usui publico in tabulariis, vel armadiis aut bibliothecis proponebantur. Hinc passim in antiquis ecclesiis, utroque altaris latere, fabricabantur *secretaria* quorum uno Eucharistia, altero autem claudebatur Scriptura. Huic posteriori S. Paulinus in sua S. Felicis ecclesia inscripserat:

> Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
> Hic poterit residens sacris intendere libris [4].

Fieri autem nullatenus potuit quod alicubi falsarentur sacri libri quin subito aliunde protestationes orirentur.

148. — *Sexto*, quod eo magis impossibile fuit quod sedulo tunc temporis asservabantur ἀπόγραφα, seu transcriptiones factæ ab autographis Apostolorum; nec aliæ transcriptiones sæpe sæpius publici juris fieri poterant, quin prius a viris doctis emendarentur [5], sive ab autographis sive ab ἀπογράφων factæ fuissent.

Septimo, nec enim ut verum admittatur oportet id quod aliqui volunt, scil. doctores christianos tunc temporis vel aliis curis adeo detentos fuisse, vel critices adeo ignaros remansisse, ut de codicum integritate parum curarent. Legimus enim omnes primi ingenii viros de re summi momenti fuisse quam maxime sollicitos, ita ut de sacrorum librorum integritate passim gauderent, de corruptione dolerent.

[1] *Cont. Cels.* II, XXVII.

[2] In fidelium cœtibus legebantur Scripturæ, sicut factum fuerat in V. T.: « εἶτα φόβος νόμου ᾄδεται, καὶ προφητῶν χάρις γινώσκεται, καὶ εὐαγγελίων πίστις ἵδρυται, καὶ ἀποστόλων παράδοσις φυλάσσεται, καὶ Ἐκκλησίας χάρις σκιρτᾷ » *Epist. ad Diogn.*, c. XI.

[3] II. Petr. III, 15. Cf. Scholz, *N. T. Prol.* p. III. Cf. Petit-Radel, *Recherches sur les Biblioth. anciennes;* Lamy, *De Erudit. Apost.* Vide in Indice ad vocem *Bibliotheca;* Scholz, *N. T. Prol.* p. III.

[4] Epist. XXXII, 16.

[5] Scholz, *N. T. Prolog.* p. II; Lamy, *De erud. Apost.* p. 528, ad vocem *librarii.* Correctores illos vocabant ἀκτινεβάλλοντας vel δοκιμάζοντας. Cf. Strab. *Geogr.* I, 13.

149. — Hinc quandoque ipsis Apostolis curæ fuit ut propria manu libros suos scriberent [1]; si autem calligrapho, notario, seu ταχύγραφῳ dictarent [2], tunc nonnihil propria manu addebant, ut de scripti authentia constaret [3]. Quo autem melius scripta servarentur intacta, calamo et atramento utebantur [4] cum pergamena aut charta. Postea autem libri illi in synaxibus publice legebantur, ut omnes testes forent. Patres vero continuo de corruptela ab hæreticis vel insciis inducta quæruntur; et nonnulli, inter quos eminent Origenes et Hieronymus nulli labori parcunt [5], ut sincerum reficiant textum [6].

150. — Recte ergo asseritur textum græcum tribus primis Ecclesiæ sæculis incorruptum remansisse; unde Hieronymus hæc ad Damasum papam respondebat: " Novum opus me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa

[1] Ad Philem. I, 19; — II. Joan. 12; — III. Joan. 13.
[2] Ad Rom. XVI, 22. [3] I. Cor. XVI, 21; II. Thess. III, 17.
[4] II. Joan. 12; — III. Joan. 13; — II. Tim. IV, 13.
[5] Conf. Scholz, *N. T. Proleg.* pp. VII et VIII.
[6] Ubi agitur de restituendo vero textu primigenio N. Testamenti, numquam e memoria cadere debet Scriptorum sacrorum græcitatem multum ab antiqua differre. Illam ita describit doctissimus Beelen: " Indoles græcitatis N. Testamenti in eo potissimum cernitur, quod universe convenit cum sermone illo græco seriore, qui per imperium macedonicum inde a tempore Alexandri Magni, tam in ipsis Græciæ civitatibus quam in exteris Asiæ et Africæ regionibus imperio Macedonum subjectis, in usu vitæ communis extitit. Quæ græcitas serior (verbis utor Scholtii) ab antiquiori eo maxime differebat, partim quod quæ olim diversis Græcorum dialectis propria fuerant in orthographia, pronuntiatione, flexione nominum atque verborum, genere substantivorum, vocabulorum formis singulisque vocibus promiscue adhibebat, partim haud pauca secundum analogiam recens formata usurpabat. Igitur græcus ille sermo qui inde a tempore Alexandri Magni permixtis dialectis, per imperium Macedonicum pro variis provinciis nonnihil varius, in usu vitæ communis extitit, hic verum veluti fundamentum græcitatis librorum N. T. Altera hellenismi judaici nota in eo consistit, quod non tantum abundat vocabulis locutionibusque nunc hebraizantibus, nunc aramaizantibus, verum etiam quod, ad syntaxim quod attinet, pro græca syntaxi aliquando eam habet verborum structuram, quæ in hebraico aut aramaico sermone usitatur " (Beelen, *Grammatica græcitatis N. Testam.*, p. 12, 22). Quæ notitiæ præ oculis semper habendæ sunt, ubi de variarum lectionum delectu agetur. Quoad rusticitatem et imperitiam loquendi Apostolorum, cf. integrum opus Joan. Lammii, *De eruditione Apostolorum*, quod conscripsit contra nonnullos ipsi crimini vertentes quod de *Joannis Evangelistæ rusticitate et imperitia* locutus esset. Cf. *Lettere inedite di L. Muratori* (Firenze, 1854), pag. 482, etc. Inter antiquos, adeas, si libuerit, Dionysium Alex. apud Euseb. *Hist. Eccl.* VII, 25; — Isidorum Pelusiotam, Lib. IV, epist. 28; — Chrysostomum, *in I. ad Cor.* Hom. III. Cf. Schmit, *A Concise Dictionary of the Bible*, art. *New. Test.* IV: *the langage of the N. T.* et Lamy, cap. XII.

quasi quidam arbiter sedeam: et quia inter se variant, quæ sint illa quæ cum *græca* consentiant *veritate* decernam... Si enim latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria pene quot codices. Sin autem veritas est quærenda de pluribus, cur non ad *græcam originem* revertentes, ea quæ a vitiosis interpretibus male reddita, vel a præsumptoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormientibus aut addita sunt, aut mutata, corrigimus?... De novo nunc loquor Testamento, quod græcum esse non dubium est, excepto apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi hebraicis litteris edidit [1]. „ Et hæc aliquando idem Helvidio reponebat: “ Licet tu mira impudentia hæc in græcis codicibus falsata contendas quæ non solum omnes pene Græciæ tractatores in suis voluminibus reliquerunt, sed nonnulli quoque e Latinis, ita ut in Græcis habentur, assumpserint. Nec necesse est nunc de exemplariorum varietate tractare, cum omne et veteris et novæ Scripturæ instrumentum in latinum sermonem exinde translatum sit, et multo purior manare credenda sit fontis unda quam rivi [2]. „

151. — Probanda nunc est propositio nostra quoad secundam antecedentis partem, scil. textum græcum sufficienter integrum per alia sexdecim sæcula remansisse. “ Non defuisse tamen videntur homines qui textum genuinum mutaverint [3]. Studia enim quæ viri docti in colligendis codicum græcorum, versionum antiquarum et locorum quæ SS. Patres et scriptores ecclesiastici ex N. T. laudant, lectionibus variantibus posuere, testantur: permultum in omnibus fere cujuscumque ætatis libris omissione, repetitione, transpositione, mutatione vocum soni, v. gr. εἶδε et ἴδε... Sed demonstrant etiam hæc studia corruptiones multas a librariis data opera seduloque intrusas fuisse, atque ad hoc genus non dubitem referre maximam variantium lectionum partem. Elaborabant videlicet illi librarii pro more grammaticorum alexandrinorum in his scriptis [4], tamquam in

[1] *Epist. D. Hieron.* Edit. Manut. Romæ. 1566. Tomo III, p. 46. *Ep. ad Damas.* Pluries eadem dicit Hieronymus. Vide ejusd. opp. *in Indice.*

[2] *Adv. Helv.* Cf. Aug. *De Civ. Dei*, L. XV, c. XIII; Ambr. *De Spir. S.*, L. II, c. VI.

[3] Ipsis gentilibus librariis nonnunquam transcribenda committebantur sacra volumina. Cf. Lamy, *De Erudit. Apost.* pp. 676, 679, edit. Flor. 1766.

[4] Vide quæ perspicue adnotat Tischendorf in *Proleg. N. T.* edit. ster. IX^a, p. XII, XIII.

suis [1], i. e. tamquam eorum quibus familiariter usi sunt, et quod hodie aliquis haud cunctanter fecerit in edendo libro civis sui, id sibi licere putabant in illis ut interdum resecarent superflua, adderent necessaria, reponerent meliora, quæ ipsis videbantur. Vires ingenii sui et ipsi experiri voluerunt musisque faventibus cum scriptoribus ipsis contendere, verba eorum amplificando, ornando, omittendo, diversisque modis variando. Quæ ipsi margini tantum adpinxerant, alii vel stultitia, vel pravo voluminum modum augendi studio ducti in textum susceperunt [2]. „ Ita Scholzius, qui postquam dicta multis argumentis confirmaverit, atque codicum duplicem classem, incorruptorum scilicet et corruptorum distinxerit, ita prosequitur: “ Quum N. T. librorum fata cogito tribus primis æræ christianæ sæculis, procul dubio prospera, documenta critica capitibus (præcedentibus) recensita considero, atque animadverto quam prope germano nitori redditos habeamus profanos multos scriptores, quos ex eorumdem librariorum manibus accepimus, non reperio cur de inveniendo textu N. T. genuino desperandum sit. Quod si textum haurire possemus iis ex fontibus qui primis tribus sæculis maxime vulgati erant, extra dubium positum esset nos textum parum diversum habere ab eo quem auctores ipsi scripserint. Tales quidem libros ex his fontibus certis atque genuinis accurate descriptos cur non adhuc habeamus, vix video [3]. „

152. — Probandum igitur est hujusmodi libros accurate descriptos etiamnum haberi.

Primo, hic plures faciunt ex prius allatis rationibus extrinsecis, et ratio quam diximus intrinsecam.

Secundo, habetur auctoritas Ecclesiæ. Quæ pluries mentem suam declaravit, imprimis ubi de emendanda Vulgata agebatur. Etenim “ Pius IV P. M... lectis aliquot S. R. Ecclesiæ Cardinalibus aliisque tum sacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritissimis viris eam provinciam demandavit ut vulgatam editionem latinam adhibitis antiquissimis codicibus manuscriptis, inspectis quoque hebraicis græcisque Bibliorum fontibus, consultis denique veterum Patrum commentariis, ac-

[1] Sciunt omnes non secus egisse illos qui primi libros aliorum typis mandarunt, ita ut rara fides habenda sit editionibus illis quæ *ab incunabulis* sunt.

[2] Scholz, *N. T. Græc. Prol.* p. 8, 9. Lege, si lubet, Eusebium, *Hist. Eccl.* Lib. v, c. xxviii.

[3] Ibid. c. ix.

curatissime castigarent. Quod itidem institutum Pius V prosecutus est [1]. „ Sentit ergo Ecclesia textum græcum ita conservatum esse ut evaderet aliquatenus regula vel ἀντίγραφον ad corrigendam Vulgatam.

Quod cæterum confitentur uno ore doctiores inter interpretes hodiernos, ita ut Scholzius retulerit suaque fecerit hæc Martianæi verba: " Codicum innumerorum consensus mirus in omnibus quæ religionis substantiam spectant veritatem divinam multum *confirmat*, Deique curam specialem circa hos libros *demonstrat*, qui hominum negligentiæ, ignorantiæ et temeritati permisit cutim quasi stringere in levioribus, at vulnera lethalia infligi non sivit [2]. „

Tertio, cur autem reipsa in integritate sua conservati fuerint illi codices, plures sunt causæ. Imprimis fuit ipsius Ecclesiæ cura. Quæ enim de canonicitate Scripturarum adeo in primis quatuor sequioribusque sæculis sollicitam se ostendit, negligens evadere non potuit quoad integritatis bonum, sine quo inutilis evaderet canonicitas et impossibilis. Hinc v. gr., an. 692, in Synodo Quini-Sexta sancitum est sub annualis excommunicationis pœna, " nemini licere V. et N. Testamenti librum sanctorumve et approbatorum præconum et doctorum perdere vel conscindere, vel librorum cauponatoribus, vel iis qui dicuntur unguentarii, vel alii cuicumque ad eum perdendum tradere: nisi vel a tineis, vel ab aqua, vel aliquo alio modo redditus fuerit inutilis [3]. „

Cujus præterea erga Scripturas devotionis multi sane fideles, imprimis doctiores, fuerunt imitatores et æmuli [4]. Hinc pluries S. Hieronymus profitetur sibi longe melius probari codices humiliores sed emendatiores, qui vel veteres essent vel e veteribus exscripti [5], quam pulchriores quidem sed minus correcti; hinc Evangeliorum codices fatetur se emendasse " codicum græcorum collatione, sed veterum [6]. „ Haud secus Theodoretus

[1] Ex *Præfatione ad lectorem in edit. Vaticana anni* MDCXCII.

[2] Cf. Scholz, *op. cit. Præfat.* [3] Can. 68; al. 69.

[4] De privatorum in Scripturas veneratione, plurima extant antiqua monumenta. Sic v. gr. S. Cæcilia Evangelium in pectore gerebat: sic sacra volumina nonnunquam in sepulturis, cum corporibus fidelium recondebantur. Cf. And. Schmit, *De cultu externo Evangeliorum;* Lamy, *De erudit. apostol.* ad voces *Bibliothecarii, Antiquarii* etc.

[5] Cf. varias *Præf. in Job.* Cf. Scholz, *N. T. gr. Prol.* p. CLVI. [6] *Præf. in* IV *Evang.*

omnia Evangelii Tatiani exemplaria quæ in ecclesiis Syriæ usu recepta reperiebat, undique collecta abolevit, atque canonica introduxit [1]. Ita Constantinus ab Eusebio requirit volumina lectu facilia, usui accommoda, et parata a librariis qui et " scite norint scribere et eam artem accurate teneant [2]. „ Ita imp. Constans ab Athanasio [3]. Imo hoc inter legendos codices animadvertimus, sc. librarios etiam menda *antigraphorum* suorum sedulo exscripsisse: unde non immerito colligitur *a fortiori* eos omni sedulitate sæpius saltem textum traditione mandatum retulisse [4].

153. — *Quarto*, quæ omnia mirifice confirmantur argumento quod ita exprimit Scholzius: " Qui textui emendatiori studebant, libros sacros cum codicibus Jerosolymitanis, Cæsareensibus, aliisve contulisse, et ad fidem eorum castigasse passim leguntur, ad quæ ita castigata plura nova exempla concinnabantur. Igitur exempla sæculo quarto posteriora apographa fidelia exemplorum primis sæculis scriptorum putanda sunt, atque exemplaria plurima, quibus Christiani utebantur, servabant textum correctum. Ecclesiæ enim quæ sæculo primo, secundo et tertio Thessalonicæ in Galatia, Corinthi, Ephesi, Colossis, Philippis in Asia proconsulari, Palæstina, et, verbo dicam, in omnibus urbibus et provinciis, in quibus libri nostri primum innotuerant, et sæpe sæpius descripti erant, floruerunt; ordine non interrupto sæculo etiam decimo, undecimo, decimo secundo et tertio steterunt. Steterant ad hoc usque tempus nullo intervallo interjecto, atque summa cum laude græca semper utentes lingua. Quare codices... plerosque, etsi recentes sint, textus illius vulgati testes idoneos habendos esse duxerim. Cujus catenæ testium, si qua vis est perpetua, si omnino haud levior eorum auctoritas est, quam levium conjecturarum, equidem in sententia mea de integritate familiæ codicum constantinopolitanæ... temeritatem reperio nullam, cujus venia mihi petenda sit ab eruditis et gnaris historiæ ecclesiasticæ [5]. „

[1] *Hæretic. fabul. compend.* I, XXX.
[2] Cf. Socrat., *Hist. Eccl.* Lib. I, c. VI.
[3] Cf. Athan. in *Apolog.* I in principio.
[4] Cf. Scholz, *N. T. prol.* p. CLVII. Hinc S. Epiphanius *Contra Marcion.*: " Etsi tu non relinquas Scripturam quemadmodum a Salvatore pronuntiata est, servantur tamen ista loca in Evangelio S. Ecclesiæ... Nihil hoc nobis nocet. Etsi enim absciderit illud, non abscidit a nobis, sed se suosque damno affecit; satis enim refutantur testimoniorum pluralitate. „
[5] Etsi quoad hoc ultimum dictum de familia codicum CP. aliquid objici

154. — *Confirmatur* 1° ex eo quod supersint codices qui ad sæculum quartum non temere referuntur, scilicet Vaticanus et Sinaiticus, et notæ bonæ videntur: unde usque ad tempora quibus triumphum Ecclesia tulit retro ascendere possumus. Utique Diocletianus codices multos destrui fecerat, sed non omnes. Idem servatis servandis, asserendum est quoad codices VI-VIII sæculi [1].

Confirmatur 2° eo quod inde a sæculo III viris doctis curæ fuit recensiones aliquas. Ita Adamantius et Pierius, quorum

posset (Cf. Tischend. *N. T.* ed. VII *Proleg.* pp. 67-71), remanet tamen argumentum doctissimi viri præcipuum.

[1] Quæri merito potest cujusnam familiæ Bizantinæ scilicet vel Alexandrinæ codices utiliores erunt ad constituendum genuinum textum. Huic quæsito responsum dari nondum potest, eo quod inter doctos nondum constet unde procedat utraque familia. Quoad rem tamen grammaticæ potiores videntur Alexandrini. Ita Tischendorf: " Quæ cum ita sint, sequitur exercenti rem criticam summa opus esse cautione in adhibenda classium sive recensionum distinctione, quam ut summam normam aut fundamentum ponere et temerarium et frustra est... Si vero præcipitur in textu ad pristinam integritatem revocando, præsertim si de universo colore grammatico, ut ita dicam, quæritur, primo loco testes habendos esse Alexandrinos, ultimo Byzantinos, id multo minus, in recensionum rationibus positum est, quam in eo quod qui Alexandrinorum nomine audiunt iidem fere testium omnium sunt antiquissimi " (*N. T.* edit. VII[a], p. 68).

Hic placet indicare codicum præcipuorum præcipuas editiones, omissis imperfectioribus.

Alexandrinum ediderunt Woidius, Londini, 1786, et B. H. Cowper, Lond., 1860.

Vaticanum ediderunt Mai et Vercellone, Romæ 1857. Altera editio ad modum fac-simile prodiit 1868-1876.

Cantabrigensem edidit Kipling, Cantabrig. 1793.

Claromontanum, Tischendorf, an. 1852.

Sinaiticum, idem Tischendorf, Petropoli, 1862, et quidem eximia editione.

De codicibus sæculo X antiquioribus hæc habet Lamy: " Hujusmodi codices vel codicum fragmenta ad nostra tempora pervenerunt 52. Ex illis unus dumtaxat, scil. Sinaiticus totum N. T. continet integrum, in tribus aliis quædam partes exciderunt; sexdecim fragmenta pauca continent. Ad Evangeliorum textum pertinent quadraginta unus codices, ex quibus sex integrum textum; tres, fere integrum; decem maximas ejus partes: reliqui fragmenta plura vel pauciora continent. Actuum Apostolorum extant decem codices, quorum quatuor integrum aut fere integrum textum, reliqui fragmenta tantum præbent. Sex codices integre referunt Epistolas Catholicas. Quindecim codices continent vel omnes Pauli Epistolas, vel aliquas tantum; imo quatuor codices solummodo quædam fragmenta præbent. Apocalypsim quatuor denique comprehendunt " (*Introd.* edit. 2[a], T. I, p. 116). — De his omnibus consulatur oportet Tischendorfius: *N. T. græc.* edit. IX in subsidiis criticis. Vide etiam *A Concise Dictionary of the Bible, by W. Smith. fifth edition, art. New Testam.*; ubi præterea invenies *Principles of textual criticism*, i. e. tredecim Canones eligendis variantibus lectionibus utilissimos, dummodo cum criterio et judicio adhibeantur. Cf. etiam Martin, *Les plus anciens Mss. grecs du N. T. (Revue des questions historiques, juillet 1884)*, ubi plura de textuum variantibus invenies.

exemplaribus fidem adhibuit Hieronymus [1]; ita Lucianus et Hesychius, quorum operam tamen reprobat idem Hieronymus [2]; ita Origenes, Hieronymus, Euthalius, Athanasius, etc.

Notandum tamen est nos vix non ignorare quid in recensionibus suis tentaverint illi auctores, etsi sciamus illos de retinendo genuino textu fuisse sollicitos [3].

DIFFICULTATES

155. — *Obj.* 1° Plures Patres, imprimis omnium doctissimus, scilicet Hieronymus, queritur in Evangeliis " omnia esse turbata [4]. "

Resp. Querimoniam illam, huicque similes vel referri non ad textum græcum, sed ad versiones; vel referri ad textum græcum non qualis in vetustioribus codicibus conservabatur, sed qualis in recentioribus a quibusdam adulterabatur. Quam interpretationem ipsemet Hieronymus loco citato indicat, si verba ejusdem integre referantur: agit enim de " latinis exemplaribus, " quæ tot esse dicit quot codices. Unde reverti vult " ad græcam originem, " i. e. " codicum veterum. " Postquam notaverit exinde oriri corruptiones maxime quod librarii " dum quod si in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio quia minus putaverint, addiderunt; vel dum eumdem sensum alius aliter expressit, ille qui unum e quatuor primum legerat, ad ejus exemplum cæteros quoque æstimaverit emendandos, " concludit: " unde accidit ut apud nos mixta sint omnia [5]. "

Integros ergo remanere vult antiquos textus græci codicis, nec reprehendit nisi translationes et recentiores transcriptiones.

Obj. 2° Inter græcos codices inveniuntur diversitates innumeræ, quarum plures summi momenti sunt.

Resp. Numerosissimas esse variantes lectiones fatemur et probarunt eruditi [6]. Harum vero pars longe maxima nihil circa sensum innovat. Si quæ graviores sunt, non constant nisi textibus vel additis vel suppressis, nunquam tamen textus genuini doctrinæ contrariis [7]. Cæterum nonnunquam ibi supponuntur

[1] Cf. *Comment. in Ep. ad Gal.* III, 1; et *in Matth.* XXIV, 36.

[2] *Præf. in Evang.* et *Adv. Ruf.* L. II, 27.

[3] De his cf. qui tractant de *Intr. in Script.*, speciatim Lamy, T. I, edit. 4ª, p. 115.

[4] *Præfat. in Evangel.* [5] Ibid. [6] Cf. Lamy, *Introd.* T. I, edit. 2ª, p. 122.

[7] Diversitates quædam occurrunt textum usualem inter et textum codicum

corruptiones ubi revera non sunt, quod apud multos auctores demonstratur in introductione speciali ad libros sacræ Scripturæ [1].

APPENDIX

DE N. T. EDITIONIBUS IN TEXTU PRIMIGENIO.

156. — Præter antiquas editiones superius enumeratas, scilicet Adamantii, Origenis, etc., istæ videntur [2] enumerandæ.

Prima Complutensis[3], in Polyglotta Ximenes, Compluti, 1517.

Secunda Erasmi, Basileæ, 1516. Duas illas editiones in suis adhibuerunt Aldus, Robertus Stephanus, Elzeviri, etc.

Tertia Br. Waltonii, Londini, 1657.

Quarta Jo. Millii, Oxonii, 1707. Auctor ille spatio triginta annorum, triginta millia variantium lectionum circiter collegit, immenso labore, minori criterio.

Quinta Joan. Bengelii, Tubingæ, 1734. Plane singularis.

Sexta Jo. Wetsteinii, Amstelodami, 1751.

Septima Jac. Griesbachii, Halæ, 1774 et 1796.

Octava M. A. Scholzii, Lipsiæ, 1830.

Nona Card. Lachmanni, Berolini, 1842.

Decima P. Tregelles, Londini, 1856, et postea.

Undecima Const. Tischendorfii, 7ª-9ª ed., Lips., 1859-84.

Duodecima Hansell, Londini, 1864.

Inter omnes illas editiones, aliasque quæ addi possent, eminet Tischendorfiana octava et nona, critices acumine et scientiæ copia, licet aliqua ibidem inveniantur catholico non probanda.

Satis superque ostensum nobis videtur textum antiqui et novi Testamenti cum primigenia sinceritate conservatum esse, nuncque licet cum hisce S. Augustini verbis concludere: " Nihil mihi videtur ab eis (hæreticis) impudentius dici, vel, ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas; cum id in nullis tam recenti memoria extantibus exemplaribus possent convincere [4]. "

Vaticani, Sinaitici, Bezæ, citationibus Origenis confirmati. De his vide Martin, *Les plus anciens manuscrits grecs du N. T. (Questions hist., juillet 1884).*

[1] De quo vide auctores probatos, imprimis D. Martianay, *passim.*

[2] De his cf. Tischendorf, *N. T. Græc. Proleg.*; Smith, *A Concise Dictionary of the Bible, art. N. T. II. The History of the Printed Text.*

[3] Cf. Tischend., *op. cit.* p. 82.

[4] *De utilit. credendi*, c. III.

157. — *Corollarium I.* Ex iis quæ diximus de integritate utriusque Testamenti in textu primigenio conservata magni momenti corollarium sequitur, quoad dignitatem textus illius in interpretandis sacris Scripturis.

Quoad textus enim utriusque dignitatem sequitur *primo* illum esse re et nomine, et quidem per se authenticum, prout patet ex dictis; et hoc quidem duplici titulo, quia scilicet nobis refert non modo res divinitus revelatas, sed etiam verba ipsa quibus, assistente Deo, res expressæ fuerunt, exceptis libris illis, si qui sunt, v. gr. Evangelio secundum Matthæum, quorum nonnisi translationes habemus [1].

Sequitur *secundo* textum illum, cæteris paribus, i. e. nihil specialius decernente vel ratione vel Ecclesia, translationibus seu versionibus per se præponendum esse. Ratio est quia originale imitationibus, causa effectui, præponantur oportet. Ita cæterum perpetuo sentiunt Patres: " Sicut in novo Testamento, inquit Hieronymus, si quando apud Latinos quæstio exorta est, et inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem græci sermonis, quo novum scriptum est Instrumentum; ita in veteri Testamento quando inter Græcos Latinosque varietas est, ad hebraicam recurrimus varietatem, ne quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis [2]. "

Brevius alias dixit: " Ut veterum librorum fides de hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas græci sermonis normam desiderat [3]. " — Nec aliter S. Augustinus: " Cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio [4]. "

158. — *Corollarium II.* Quoad utilitatem ex dictis consequentiæ plures sponte fluunt, et quidem eximiæ, ita ut ille textus summi momenti sit tum iis qui translationes respuunt, tum iis qui easdem admittunt [5].

[1] De his cf. Natal. Alex. *Hist. Eccles.* Sæc. IV, Diss. XXXIX, art. V, ubi plura egregie habentur de authentia textuum primigeniorum.

[2] *Ep. ad Sun.* [3] *Ep. ad Lucin.*

[4] *De Civit. Dei*, L. XV, 13.

[5] Prædictæ utilitates enumerantur et evolvuntur a Melchiore Cano, *De Loc. Theol.* L. II, c. XV, etsi non ita æque de textu primigenio locutus aliquando fuerit. Cf. H. a Porta: *De linguar. orient. præstantia*, Mediol. 1758.

Imprimis utilis est ille textus illis vel contra illos qui translationes diversis rationibus vel ex parte vel ex toto respuunt. Hanc rationem adducunt SS. Pontifices dum medii ævi temporibus perpetuo linguarum orientalium studium commendant et præcipiunt [1].

Sed præterea etiam utilis est illis qui translationibus credunt iisque utuntur. Inservit enim " ad menda ea corrigenda, quæ ex incuria videlicet typographorum, aut eorum qui exscripsere imperitia (aliave causa) obrepserunt; " et iterum " ad evitandum errorem ex latini sermonis amphibologia [2]. "

Nec tamen inutilis erit etiam quoad ea quæ recte in versionibus scribuntur; siquidem multi commodi erit " in his dictionibus explicandis quæ magnam emphasim habent, aut aliquam innatam proprietatem apud Hebræos et Græcos, quam latinus sermo exprimere non valet: hujusmodi dictiones multas cum in hebraicis quæstionibus, tum in Commentariis annotavit Hieronymus; " — " ad accipiendos plures (vel pleniores) sensus catholicos ex eadem Scriptura, præsertim cum apud Græcos et Hebræos est æquivoca (aut sensu amplior) [3]; " — " ad cognoscenda idiomata, phrases et proverbia linguæ alienæ, ut sunt

[1] Clementin. I de Magistris. — In Jure, Clem. Lib. V. Tit. I, c. I. — Clemens Pp. V, a. 1312, in Concilio Viennensi, jussit ut in studiis curiæ Romanæ, Parisien., Oxonien., Bononien. et Salmantino sint magistri catholici scholas regentes in linguis hebraica, arabica et chaldæa. — Ita alias de græca. Turpis ignorantia vel turpior malitia quorumdam est fingere linguarum studium primum deberi illi ætati quam vocant *rinascimento, renaissance.* Consulant *Bullarium Romanum,* ubi calumnias suas clare perspicient refutatas. Ut de ordine Fratr. Præd. verbum faciam, ita a sæculo XIII, signanter ab an. 1259 linguarum orientalium studium in Capitulis generalibus præcipiebatur sive a Pontificibus, sive ab Ordinis moderatoribus (Cf. Brémond, *Bullar. Ord. Præd.* passim; Fontana, *Constitut. Ord. Præd.*, tit. *De studio linguarum).* Tunc celeberrimus fr. Raymundus Martini, cum contra Judæos primum *Capistrum Judæorum* latine scripsisset, postea autem latine et hebraice suum *Pugionem fidei* composuit, opus sane dignum quod rursus typis mandaretur, cum debitis adnotationibus. De his videre potes, si libuerit, Molinier: *Guillem. Bernard de Gaillac et l'enseignement des Dominicains à la fin du XIII siècle (Revue Contemporaine, juillet-août 1884);* Douais, *Essai sur l'organisation des études dans l'ordre des Frères-Precheurs au XIV siècle 1216-1345;* sed imprimis H. a Porta, *De præstantia linguar. orient.*

[2] Canus, *loc. cit.* Vide auctorem. Sic v. gr. sensus vocabuli *os* in hoc textu: " Non est occultatum os meum a te " (Ps. CXXXVIII, 15) indicatur indubie ex voce עצם *os, ossis.*

[3] Cf. *Indicem hebraicorum, chaldaicorum, græcorumque nominum*, qui passim in fine editionum Vulgatæ adjicitur, ubi eorumdem nominum explanatur significatio.

illa: *Ne respicias post tergum;* — et: *Neminem salutaveritis in via;* „ — “ ad intelligenda quædam loca, scilicet quæ vel apertius ab interprete reddi poterant, vel etiam quæ sine linguarum cognitione nequeunt explicari [1]; „ — “ ad quædam vocabula vel hebraica vel græca percipienda, quæ in editione latina remanserunt, vel propter sanctiorem antiquitatis servandam auctoritatem, vel quia in linguam alienam transferri commode non potuerunt [2]. „

Hæ omnes aliæque ejusmodi utilitates et commoditates sponte discernuntur ex conservatione textus primigenii in congrua integritate sua.

II. De conservatione Scripturæ sacræ in translationibus seu versionibus.

159. — Utrumque Testamentum ab antiquo in varias linguas, propter fidelium ubique dispersorum utilitatem et usum translatum est. De hisce versionibus dicendum utrum et quonam sensu rem revelatam referant, proindeque authenticæ vocandæ sint.

Dicemus ergo *primo* de versionibus unius veteris Testamenti; *secundo*, de versionibus utriusque simul, cum nulla inter celebres detur N. T. translatio quæ simul veteris non sit.

Quæ vero hic tractanda veniunt, breviter et succincte pro re nostra dicentur.

160. — PROPOSITIO I. *Dantur versiones veteris Testamenti diversimode authenticæ.*

Quo melius quæstio ista intelligatur, distinguendum est inter varios authentiæ modos, et varias authentiæ certitudines.

Authenticum (a græco αὐθέντης, q. e. auctoritatem habens) in Jure dicitur “ scriptum aliquod quod ex se fidem certam et infallibilem facit in judicio, et supremæ est auctoritatis, ut a nullo rejici vel in quæstionem verti debeat [3]. „ In-

[1] Sic vocem שמים nunc *cœlum*, nunc *cœlos* vertunt; sic vocem יהוה continue *Dominum* interpretantur Septuaginta. Quæ interpretationes textu hebraico perficiuntur. Vide alia innumera apud Bukentop, *Lux de Luce.* Ita explanantur verba *benedicere* pro *maledicere*, *sanctificari* pro *pollui*, *vasa psalmi* pro *instrumenta musica etc.*

[2] Canus, *loc. cit.* lib. II, c. V. Alia habes apud Penzi, *Theol. Rud.* lib. II, c. V.

[3] Julianus Jurisc., *De fide instrumentorum.*

strumentum vero aliquod dici authenticum potest tum *ratione sui*, cum nempe alicujus refert scripturam, vel manu vel jussu ipsius exaratam, quod habetur in ἀυτόγραφῳ; tum *ratione alterius*, scilicet conformitatis cum documento ratione sui ipsius authentico. Ista autem conformitas fieri potest quoad verba et sensum simul, quod habetur in ἀπόγραφῳ; vel quoad sensum tantummodo, ut in μετάφρασει, seu versione.

Porro inter Scripturarum libros nullus ratione sui ita est authenticus ut auctoris ipsam scripturam referat, siquidem auctorum sacrorum autographa jamdiu periisse constat.

Ratione autem conformitatis quoad verba et sensum simul cum documentis sacris ratione sui authenticis, authentici dicendi sunt textus hebraicus quoad vetus Testamentum, et græcus quoad novum, unde et genuini vocantur: de quibus supra.

Ratione demum conformitatis quoad sensum tantummodo, authentica dicenda est fidelis translatio, ita ut scil. textus hebraici et græci doctrinam circa fidem et mores referat, nec non et circa rerum aliarum summam.

Unde in hoc textuum primigeniorum præcellit authentia quod in eisdem verba et sensus referantur auctorum sacrorum, dum in nostris iisdemque fidelibus translationibus sensus tantum primigenius habetur: quod sane sufficit ad pariendam fidem. Quoad verba autem fieri non potest ut authentia alicujus versionis aliquando æquari possit authentiæ textuum primigeniorum.

Sed notandum est authentiam non solum *in se* considerari posse, sed etiam *in sui confirmatione:* quæ si desit, authentia erit *mere intrinseca;* si autem adsit, authentia dabitur *extrinseca*. Confirmatio autem ista esse poterit vel *doctrinalis*, vel *juridica*, prout ex *doctorum opinione*, vel ex *Ecclesiæ judicio* habebitur.

Ecclesia denique judicium proprium edere potest vel *solo publico usu*, vel *sententia solemniori*, unde constet de facto dogmatico authentiæ.

Si autem attendatur ad certitudinem authentiæ, tunc exinde alia oritur distinctio, siquidem authentia non modo certa vel dubia esse potest, sed etiam plus minusve certa, nisi quoad removendam errandi formidinem (cum in omni certitudine errandi formido abesse debeat), saltem quoad mentis assensum pluribus paucioribusve rationibus firmatum. — Rursus eadem-

que de causa plus minusve certum esse poterit utrum sit de fide necne aliquem datum textum haberi authenticum.

His ita præhabitis, vel rationibus humanis vel rationibus fidei constare poterit quomodo Scripturæ earumve translationes sint authenticæ. *Dubie* authenticus erit ille textus de cujus conservatione vel translatione fideli dubitatur; *certe* authenticus erit ille de cujus vel conservatione vel translatione fideli certo constat, qualis est v. gr. textus hebraicus, vel translatio Pagniniana, quæ cum illo certo convenit.

Certitudini, inquam, humanæ addi potest auctoritas fidei tum catholicæ simpliciter, tum definitæ [1].

Fide catholica certum erit aliquem textum esse authenticum, si iste aliquando in tota Ecclesia, vel in aliqua Ecclesiæ parte, approbante auctoritate suprema, acceptus fuerit: cujusmodi est textus Septuaginta, vel etiam textus græcus novi Testamenti, seu demum, ut videtur, versiones Syriaca, Æthiopica, etc.

Certum denique fide definita erit aliquem textum esse authenticum, si talem esse definierit Ecclesia: et hujusmodi est Vulgata nostra, eademque sola, nisi vehementer fallamur. Hoc sensu cæteris textibus præcellit Vulgata, non quod in dubium vocari possit aliorum textuum omnium authentia, sed quod præter alios textus etiam Vulgata sit authentica fidemque in controversiis faciat, unde „ nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat [2]. „

161. — Probatur propositio, imprimis de versione LXX, seu τῶν ό, aut Septuaginta.

Quæ in Ægypto, sæculo III ante Christum, sub Ptolomæo Philadelpho rege (284-247) prodiit. Pentateuchus primo, deinde cæteri libri, ut quidam [3] volunt, translati sunt.

Nonnulli Patres, in errorem narratione Aristeæ inducti, versionem illam dixerunt inspiratam: quod tamen admittendum non est, nec unquam asseruit Ecclesia [4]. Sed vero summæ au-

[1] Vix notandum est Scripturæ textum aut versionem non effici authenticos proprie ab Ecclesia, sed tantum declarari textum aliquem esse fidelem, vel textui primigenio consonum, et menda, siquæ forsan irrepserint, corrigi, atque demum in Officiis divinis vel in disputationibus imperari posse hunc textum.

[2] *Concil. Trid.* Sess. IV.

[3] Inter quos Hieron., *In Ezech.* V, 12 et XVI; *Præfat. in Quæst. hebr. in Gen.*

[4] Multa de hac versione habet Lamy, *Introd.* T. I, c. V. Sed plura require indicata apud Fabricy, *Titres...* T. I, p. 192.

ctoritatis fuit et habenda est, tum quia Judæi in mundum dispersi ea passim usi sunt [1], tum quia " hac translatione Apostoli apostolicique viri nullaque alia usi sunt, hac fidei dogmata doctrinamque suam comprobarunt, hanc in sermonibus et homiliis ad populum enarraverunt, hanc denique solam in Ecclesiarum sinum tutelamque deposuerunt, et Episcoporum fidei commiserunt.

" Neque tantum Ecclesia christiana, ea favente et obstetricante, nata est; sed tenella facta, nullo alio verbi divini lacte quam ex hac translatione expresso potata et educata est; nullo alio cibo sustentata adolevit, brachiaque per universum orbem porrexit. Quadraginta enim annis, hoc est usque ad S. Hieronymum, nullus catholicus aliter vertere quam Septuaginta præscripserunt ausus est. Translationes latinæ quotquot fuerunt, de Septuaginta editione factæ sunt [2]. „

Igitur versio illa dicenda est authentica, quia scilicet rem fidei et morum integre et incorrupte refert, quod constat usu publico.

Hujus versionis codex autographus diu Alexandriæ in Serapeo asservatus, periit. Textus vero, exceptis parvi momenti variantibus, in codicibus, præsertim in Vaticano *B*, Alexandrino *A*, et Sinaitico, qui ad sæculum IV usque referendi sunt, integre conservatus habetur, et quidem in lingua primigenia, scil. in græco communi, unde stylus ejus a stylo N. T. vix differt.

Typis mandata fuit in Polyglottis Complutensibus, Antuerpiensibus et Parisiensibus, aliisque editionibus, præsertim Aldina, Sixtina et Tischendorfiana.

162. — Aliæ fuerunt græcæ translationes, nempe Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, sæc. II a Christo; Quinta, Sexta et Septima Origenianæ recensionis anteriores sæculo III a Christo, quæ, excepta versione Theodotionis quoad libri Danielis partes, ab Ecclesia loco versionis LXX in eodem libro acceptatas, quasi omnes perierunt [3].

Indicandæ iterum occurrunt Paraphrases chaldaicæ Onkelosi (sæc. I post Christum), Jonathanis Ben Uziel (forsan tempore Christi), Pseudo-Jonathanis (sæc. VI vel VII), Ignotorum, Targum Jerosolymitanum. Extiterunt præterea versiones samari-

[1] Tertull., *Apol.* XVIII. [2] Morin., *Exercit. De germ. LXX transl.*

[3] Fragmenta collegerunt Bahrdt (1796), Montfaucon (1714), Simon de Magistris (1772), A. Hahn (1845), Field (1868).

tana, ignoti auctoris (sæc. I), arabica R. Saadiæ Gaon (sæc. X), et aliæ partium arabicæ versiones.

Istæ autem versiones, etsi forsan fideles, non videntur tamen dicendæ *authenticæ*, hoc scil. sensu quod earumdem Ecclesia asseruerit auctoritatem, sed tantum opinione doctorum.

163. — PROPOSITIO II. *Dantur versiones diversimode authenticæ utriusque simul Testamenti.*

Enumerandæ sunt imprimis præcipuæ hujusmodi versiones, inter quas eminet Vulgata, de qua, propter specialem ejusdem auctoritatem, speciatim dicendum occurrit.

a) Versiones fuerunt latinæ, syriacæ, ægyptiacæ, æthiopica, armena, persica, gothica, arabica et slavonica.

Inter *latinas* imprimis nominanda est *Vetus Itala*, quæ ex LXX quoad V. Testamentum procedit. Primis Ecclesiæ temporibus facta est, et tamquam verborum tenacitate et perspicuitate eminens a S. Augustino laudatur. Hanc recensuit Hieronymus.

Nominanda iterum est *Vulgata*, de qua postea.

Multæ aliæ recensendæ forent versiones latinæ recentioris ætatis, quas tamen omittimus, præter illam quam primus fr. Sanctis Pagnini O. P. Lugduni, anno 1527, typis mandavit, quamque summæ fidei fuisse confitentur docti omnes [1].

Syriacæ versiones fuerunt *Pescito*, seu *Simplex*, quæ a discipulis S. Thaddæi confecta dicitur, quæque jam ante sæculum IV, summa auctoritate, et quidem merito, gaudebat; et *Hexaplaris*, quoad V. T., cui adjungitur *Heracleensis* quoad N. T., circa an. 617 ex vetustioribus recensitæ. Quæ ultima magni ponderis est quoad novum Testamentum.

Versiones ægyptiacæ sunt *Coptica* seu *Memphitica*, quæ initio sæculi III in Ægypto inferiori confecta et in usu admissa est; — et *Sahidica* seu *Thebæa*, quæ in Ægypto superiori, medio sæculo III circiter, admissa est: utraque autem multæ auctoritatis.

Æthiopica, sæculo IV, S. Frumentii Æthiopum apostoli tempore effecta, adhuc in usu habetur.

[1] Cf. Echard, *Script. V. P.*, T. II, p. 114 et 824. De aliis versionibus, cf. El. Dupin, *Prol. in Biblia V. T.* Tom. I, Parte II; Richard Simon, *passim* etc. præsertim in *Disquisit. Crit.* c. XXII; D. Calmet, *Biblioth. Sacra.*

Armena a Joseph et Eznik, sæculo v elaborata. Sensum potius quam verba sequitur.

Persica, quæ circa sæculum IX, quoad vetus Testamentum, cura Jacobi Judæi, prodiit; et ante sæculum VI, quoad novum Testamentum. Pluries mendosa, nisi quod Pentateuchum exactissime juxta Massoram refert.

Gothica ab Ulphila Ariano, ante annum 338 facta, cujus fragmenta tantum remanent.

Arabicæ quædam translationes post sæculum VII factæ sunt, quarum tamen editiones accuratæ nondum prodierunt.

Slavonica demum a SS. Cyrillo et Methodio fratribus, sæculo IX effecta est, ut dicitur [1]. De quarum versionum authentia, ex prædictis judicabis.

164. — *b*) *De Vulgata.* — Novam translationem atque recensionem sacrorum librorum aggressus est S. Hieronymus, " non ut interpretationem antiquam reprehenderet, sed ut ea quæ in illa aut obscura sunt aut omissa, aut certe scriptorum vitio depravata manifestiora hac ejus interpretatione fierent [2]. " Ita Hieronymus. Hanc suam editionem ita confecit illustrissimus Doctor, ut partim ex textu primigenio immediate, partim ex veteri Itala emendata acciperet. Protocanonicos V. T., cum libris Tobiæ et Judith ex textu hebraico et chaldaico accepit;

[1] Quia versiones illæ plerumque in Polyglottis continentur, verbum de istis faciendum est.

1. Polyglotta prima sunt *Complutensia*, quæ an. 1514-1517, in 6 vol. Compluti *(Alcalà)* cura Card. Fr. De Ximenes, prodierunt, et continent quoad V. Testamentum, textum hebraicum, Septuaginta, Vulgatam, Targum Onkelosi, quoad N. Testamentum, textum græcum et Vulgatam.

2. Postea prodierunt *Antuerpiensia*, seu *regia*, in 8 vol. in fol. Antuerpiæ, anno 1569-1572, impensis Philippi II et cura Ariæ Montani. Complectuntur quantum ad V. Test., textum hebraicum ex recensione Complutensium et Bombergi, Targum Onkelosi, cum aliis paraphrasibus, Septuaginta, Vulgatam; — quoad N. Testamentum, textum græcum, Vulgatam et Syriacum. Additus est textus græcus cum versione S. Pagnini.

3. Tertio prodierunt *Parisiensia*, cura Mich. Le Jay, anno 1628-1645, in 10 vol. fol. — Præter supradicta continet versiones Syriacam et Arabicam, et versionem Samaritanam Pentateuchi in veteri Testamento; — in novo autem additur versio Arabica. Sed menda plura animadvertuntur.

4. Demum prodierunt *Londinensia*, seu *Waltoniana*, cæteris præstantiora, anno 1653-1657, cura Brian Walton, in 6 vol. fol. cum apparatibus doctissimis. — Antea impressis accedunt, quoad V. Testamentum versio Persica Pentateuchi, Æthiopica Psalterii et Cantici; quoad N. Testamentum Persica Evangeliorum, et Æthiopica.

[2] *Prol. in Job.*

libros autem Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, et Machabæorum duos, sicut et totum novum Testamentum ex recensione et correctione veteris Italæ. Psalterium vero a B. Hieronymo ex hebraico translatum nunquam admissum est in Vulgata (etsi hodie adhuc illud Ecclesia Romana in Vaticano usui habeat), sed ejus loco receptum est Psalterium ab eodem Doctore castigatum, juxta Origenis hexaplarem editionem [1].

Hæc sacrorum librorum nova editio, mox in Ecclesia passim recepta est, ita ut *Vulgata* brevi audierit. A sæculo autem octavo sola in usu habita fuit apud occidentales, eaque usi sunt omnes medii ævi doctores.

Ex illa autem frequentia, variæ lectiones multæ in codicibus ortæ sunt, quas emendare studuerunt Alcuinus ejusque discipuli; postea autem Dominicani Parisienses; demum correctores romani recentiores, quibus pontificiis editionibus cura fuit [2].

Multi Vulgatæ remanent codices, inter quos imprimis notandi sunt *Fuldensis*, omnium forsan antiquissimus, utpote sæculi VI; *Amiatinus*, anni 716 [3]; *Gothicus*, Alcuino anterior; *Vallicellianus*, Alcuino contemporaneus; *Paullinus*, revisione Alcuiniana recentior.

Vulgatam vero a Synodo Tridentina authenticam declaratam esse norunt omnes [4]. Ita enim Tridentini Patres: „ Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei si ex omnibus latinis editionibus quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat ut hæc ipsa vetus et vulgata editio quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat [5]. „

165. — De illa Vulgatæ authentia multum disputarunt theologi,

[1] Alias notitias require apud Lamy, Glaire, Vigouroux, etc. et præsertim Natal. Alex., *Hist. Eccl.* Sæc. IV, art. I, II, III, IV.

[2] Cf. *Biblia sacra*, edit. Romæ 1861, cura P. Vercellone. Cujus cf. *Dissert. academ.*

[3] De quo vide *Arch. Stor. Ital.* an. 1887, fasc. 4.

[4] De his vide Vercellone, *Variæ Bibliorum lectiones;* J. De Azevedo, *Pro vulgata SS. Bibliorum lat. editione;* Vincenzi, *Sess.* IV *Conc. Trid. vind.;* Calmet, *Diction.* art. *Vulgate;* W. Smith, *A Concise Dictionary of the Bible,* art. *Vulgate;* Hady, *De Bibliorum textibus originalibus,* etc. Lamy, Glaire, etc.

[5] Sess. IV. *Decret. de editione et usu sacrorum Librorum.*

ex quibus alii contra alios voluerunt non amplius aliquem vel textibus primævis, vel translationibus uti posse. Quæ sententia vix a stultitia excusari potest, nec unquam Ecclesiæ fuit.

Diximus autem in Vulgata referri doctrinam revelatam circa fidem et mores. Hoc autem sic accipiendum est quod nunquam in Vulgata contineatur doctrina doctrinæ revelatæ quoad fidem et mores contraria; et quod doctrina fidei et morum in Vulgata contenta universim conformis sit omnino doctrinæ in textibus primigeniis relatæ. Utrum vero omnes et singuli Vulgatæ textus, etiam fidei et moribus pertinentes, semper et ubique totum eodemque modo textus primigenii sensum referant, hoc nunquam definitum est, nec, nisi prius expurgatis quibusdam mendis, definietur. Sic v. gr. dum in Vulgata legitur: " Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; *ipsa* conteret caput tuum [1]; „ multi legendum existimant: " *Ipse* conteret caput tuum [2]; „ hancque lectionem solam censent esse veram, neque in hoc reprehendendi sunt.

Alios hujusmodi locos indicare non esset difficile [3], quod tamen officium doctioribus sponte remittimus, propter rei difficultatem, et integram Ecclesiæ hac in re servandam auctoritatem. Recte ergo inter recentiores sic statuit Vercellone: " (authenticam) non eo sensu declaravit Concilium Tridentinum vulgatam editionem ut significaret nullum vel levissimum mendum in illam irrepsisse; multoque minus ut eamdem originalibus textibus præferret, sed ut testaretur Vulgatam præ omni-

[1] Gen. III, 15.

[2] Ita in textu hebraico, ubi legitur הוא is, ille; non היא ea, illa. Unde Septuaginta vertunt αὐτός, scil. *ille* homo; Pagninus habet *ipsum*, scil. *ipsum germen seu semen*. Bellarminus vero notat " editionem Vulgatam varie habere: quosdam codices habere *ipse*; neque esse contra Vulgatam editionem, si convincatur debere legi *ipse* vel *ipsum* „ (*De Verbo Dei*, L. II, cap. XII). De quo eruditissimum opusculum scripsit P. Patritius, S. J.: " De הוא h. e. *de Immaculata Mariæ origine a Deo prædicta Disquisitio*, „ in qua invicte demonstravit " In Gen. III, 15, e criticis rationibus, ex orationis contextu, ex materia effici legendum esse *ipse* „ (Romæ 1853). Non est igitur ratio cur tremuli cum D. Malou aliisve eidem affinibus exclamemus, si tollatur *ipsa*: " La Vulgate Latine nous induit en erreur? Dieu nous garde de le dire et même de le penser! „ (*De l'Imm. Conc.* ch. VIII). Alia require apud Franzelin, *De Script.* p. 471, ed. 1ª.

[3] Vide Natal. Alex., *Hist. Eccles.* Sæc. IV. Dissert. XXXIX, art. V et VI, cum Dissertatione XL, contra Frassenium, ubi recenset doctissimus auctor plus quam CIII textus in Vulgata emendandos, non quidem auctoritate privata, sed auctoritate Ecclesiæ. Cf. Franzelin, *De Script.*, Th. XVIII, XIX.

bus latinis editionibus quæ tunc circumferebantur in universum egregie præclareque originales textus reddere; nunquam in substantialibus deficere, nihil a revelata doctrina absonum continere, nihilque a pietate alienum [1]. „

“ Nec obstat quod Concilium approbaverit omnes libros sacros “ integros cum omnibus suis partibus prout in Vulgata “ habentur, „ quod objiciunt immoderati nostræ Vulgatæ patroni; nam hæc verba quibus Concilium voluit coercere novatorum licentiam qui non omnes sacros libros qui in Vulgata continentur, neque omnes ipsorum partes ut canonicam Scripturam suscipiebant, neque hodie etiam suscipiunt, apposite ad hunc consilii scopum sunt accipienda; ita scilicet quasi voluerit Concilium cogere Christianos omnes ad suscipiendos tamquam Scripturam sacram omnes libros qui in Vulgata continentur, cum omnibus ipsorum capitibus et singulis partibus notabilibus et substantialibus: de his enim erat inter catholicos et hæreticos controversia, sive hæc sint dogmatica sive moralia, sive prophetica, sive historica, non autem quasi voluerit canonizare singulas voces et minima quælibet, quæ magis particulæ quam partes dici possunt, super quibus litem non movebant hæretici [2]. „

Corollarium I. Ecclesiæ decretum non fuit tantum *disciplinare*, quo scilicet privatis auferretur jus editionem suam eligendi [3]; sed etiam *dogmaticum* de facto authentiæ.

Corollarium II. Ex dictis sequitur authenticis Scripturis uti tum Hebræos, tum Græcos, tum Latinos, licet authentiæ diversæ.

166. — *Dices* Synodum Tridentinam jubere ut Vulgata “ in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur [4]; „ unde rejiciendi videntur ceteri textus omnes.

[1] *Variæ Lect. Vulg.* T. II, p. VI. Cf. Bellarm., *De Verbo Dei*, L. II, c. X.

[2] De Azevedo, *Pro Vulgata* XVI. De usu Vulgatæ cf. Cornely, *Intr.* n. 176.

[3] Menda in Vulgata remanere fatetur editio Vaticana anni MDXCII, in præ-ione, quam iterum refert editio Romana anni MDCCCLXI. Cf. Natal. Alex., *t. Eccles.* Sæc. IV. Diss. XXXIX; Fabricy, *Des Titres primitifs de la Révélation*, I, p. 169; Calmet, *Diction.* art. *Vulgate;* Glaire, *Introd.* T. I, c. IV; Lamy, *In-*. T. I, c. V; Beelen, *De Sent. circa multipl. Scripturæ sensum litteralem*, p. 57-60; avicino, *Hist. Concil. Trid.* Lib. VI, cap. XVII. Vide opp. Martianay, Ferraud, chini, Vincenzi, etc. P. Vercellone circa 480 menda in sua editione DCCCLXI correxit, etc. ut videre est in tabella ab ipso confecta.

[4] Conc. Trid. Sess. IV.

Resp. Neg. conseq. Ita enim et quidem recte respondet Salmeron, qui ipsemet Concilio interfuit: „ Nihil de exemplaribus aut græcis aut hebraicis agebatur; tantum inter tot latinas editiones, quas nostra sæcula parturierunt, quænam ex illis præstaret sermo erat... Liberum autem reliquit (S. Synodus) omnibus qui Scripturas profundius meditantur fontes græcos aut hebraicos, quatenus opus sit, consulere [1]. „

167. — *Quæres* igitur 1°: Utrum ad textus græcum aut hebraicum necessario recurrendum sit.

Resp. Dist. Aliquid dupliciter necessarium dici potest, scilicet ad sufficientiam vel ad excellentiam. Porro non est necessarium ad textus illos recurrere, unde habeatur Scripturarum sufficiens cognitio, quæ ex Vulgata haberi potest; recurrendum vero est illi qui cognitionem excellentem ac perfectam desiderat et prosequitur. Unde aliquid Melchiori Cano aliisque concedimus, aliquid vero negamus [2].

168. — *Quæres* 2°: Utrum et quomodo legi possint Scripturæ in versionibus lingua vernacula editis?

Resp. Legi posse versiones quas catholici viri, cum S. Sedis approbatione, adnotantes ediderunt. Ita Benedictus XIV, qui die 3 junii 1757 istud de hoc protulit decretum: „ Si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ aut editæ, cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur. „ Quod decretum confirmaverunt Pius VII et Pius VIII. Illud ita innovavit Gregorius XVI: „ Ea Regulæ (IV) nova subinde propter perseverantes hæreticorum fraudes cautione constrictæ, ea demum auctoritate Benedicti XIV adjecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum quæ ab Apostolica Sede approbatæ aut cum annotationibus desumptis ex doctis catholicisque viris editæ sunt [3]. „

Scripturæ lectio passim olim permissa in vulgari idiomate [4], postea hæreticorum fraudis cavendæ causa, nonnisi cum restrictionibus concessa fuit.

[1] *Proleg.* III.
[2] *De Loc. Theol.* Lib. II, cap. XII et XIII.
[3] *Epist. 8 maji 1844.*
[4] Cf. Opstræt, *De Loc. Theol.* Diss. I, q. XI; Malou, *La Lecture de la Bible en langue vulgaire;* Kraus, *Real Encyclop.*, art. *Bibel,* II.

ARTICULUS II.

DE SCRIPTURIS FORMALITER ACCEPTIS.

169. — Hic, ut diximus, agitur de Scriptura quoad doctrinam seu sensum in ea contentum.

Quantum apud varios auctores hac de re disputetur nullus est qui ignoret. Quia vero opiniones omnes ventilandi nec locus nec tempus patent, atque aliunde persuasum nobis omnino est disputationes illas ex æquivocationibus quamplurimum oriri, eo quod scil. de rerum vocumque definitionibus prius non conveniant illi, hinc nos quæstiones statim aggredimur, sententiam nostram proponentes simulque vindicantes, rati nos paucis revera contradicturos, si propositionum termini recte probeque perpendantur.

Ne quis tamen ex verborum brevitate suspicetur minoris esse momenti hanc tractationem, advertendum est istam maxime pertinere ad scientiam artemve illam quæ dicitur Hermeneutica, ab ἑρμενεύειν, seu interpretari, exponere, sicque quasi per antonomasiam dicta, *ars vel scientia sacras Scripturas interpretandi, audit* [1]. — Interpretatio autem quæcumque ad hoc est ut sciatur utrum et quinam habeantur in Scriptura sensus, seu quinam mentis conceptus in libro interpretando lateant.

Hoc vero prænotandum est, scil. dum in aliis libris distingui potest inter sensum libri et sensum auctoris, siquidem auctori nonnunquam deficiunt verba quibus sensum seu conceptum rite exprimat et significet, in Scripturis nullam hujusmodi dari posse distinctionem, prout patet ex iis quæ superius de inspiratione dicta sunt: unde sensus libri sacri alius esse nequit quam ipsius Dei sensus.

Tria igitur inquiramus, scilicet primo: *quales sint Scripturæ sensus;* secundo, *quomodo explanentur;* tertio, *quænam sit vis probandi.*

[1] Cf. Aug., *De Doctr. Christ.* Lib. I, cap. I, n. 1; Ranolder, *Herm. Bibl.* Cap. I; Güntner, *Herm. Bibl.* Cap. I. Hic legendus P. Patritius, *de Interpr. Script.;* alia habes apud Cornely, *Introd.* n. 193 et seqq. qui præterea consulendos auctores tibi recensebit.

§ I.

Quales sint Scripturæ sensus.

170. — Ut autem quæstioni nostræ faciamus satis, animadvertatur oportet sensum alicujus libri considerari posse respectu habito vel *ad mentem auctoris*, cui primo inest; vel *ad objectum* quod refertur et exprimitur; vel *ad terminos* seu expressiones quibus significatur.

De sensibus Scripturæ triplici hocce respectu agendum nobis est.

I.

De sensibus Scripturæ respectu habito ad mentem divinam.

De his tractandum est primo, *in genere;* secundo, *in specie*, pro objecti gravitate.

1. De sensibus Scripturæ respectu habito ad mentem divinam agitur, et quidem in genere.

171. — Propositio. *Si considerentur sensus Scripturæ quoad mentem Auctoris, scil. Dei, tres dantur, nempe: alius quem Deus vult explicite exprimere, alius quem implicite exprimere intendit, alius demum quem nec explicite nec implicite exprimere voluit.*

Præter illos tres enumeratos sensus nullus supponi hic posse videtur, cum nulla alia dari possit hypothesis.

Probatur propositio quoad singulas partes:

A. Sensum *explicitum* dicimus quem Deus exprimere et a nobis cognosci voluit, seu qui in propositione terminis sive propriis sive metaphoricis traditur, etsi forsan propositio illa duos sensus, scilicet alium litteralem, alium mysticum includat, ut infra dicemus.

Hunc porro dari sensum in Scripturis perspicua res est, siquidem in omnibus libris invenitur, ubi sensus aliquis invenitur. Ille quidem necessarius est, nec sine illo aliquis alius datur unquam.

B. Sensum *implicitum* vocamus illum qui non in se, sed in alio continetur, quia scil. vel præsupponitur vel consequitur.

Hunc autem in Scripturis occurrere sensum, multipliciter patet et probatur:

a) Imprimis ex S. Scriptura ubi legimus Apostolos, præsertim vero S. Paulum ex antea revelatis arguisse. Et hoc præterea habetur testimonium: " Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia [1]. " Quæ omnia sane fieri nequeunt, nisi Scriptura quasi per consequentias applicari possit omnibus boni et mali, veri et falsi aspectibus.

b) Idem habetur ex innumeris Patrum et Doctorum exemplis, qui semper et ubique ex Scripturis per eductas conclusiones, etiam dogmatice veritatem propugnaverunt, falsitatemque respuerunt.

c) Demum, si in quolibet legendo libro ex explicite dictis veritates quamplurimas educere licet, eædemque ipsi auctori non immerito tribuuntur, dum rite educantur; haud secus, v. gr. si nobis revelent Scripturæ Christum fuisse non Deum modo, sed etiam hominem, exinde colligere pronum erit et licitum, imo et debitum, Christum fuisse risibilem. Quod eo magis de Scriptura asserendum est quo earumdem auctor majora uno intuitu complexus est infallibiliter.

172. — C. Sensibus prædictis tertius additur, nempe *accommodatus*, qui nec explicitus nec implicitus dici potest, neque in Scripturis reapse continetur. Hoc utuntur maxime prædicatores antiqui, præsertim S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Bernardus, dum conceptus suos sive alludendo, κατὰ κόλλησιν; sive extendendo, κατὰ ἔκβασιν, verbis S. Scripturæ exprimunt. Quem Cajetanus et alii non male *transsumptivum* dicunt. Hunc admittendum sensum probatur

a) Primo ex ipsius Scripturæ auctoritate. Non enim raro in Scripturis ex eisdem ipsis referuntur prædicto sensu auctoritates. Ita v. gr. de temporis sui Judæis dixit Isaias: " Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me [2]; " quæ accommodatione aliqua pronuntiavit Christus de Scribis et Pharisæis sibi coætaneis [3]. Ita rursus verba illa quæ apud Zachariam leguntur: " Duæ olivæ super candelabrum aureum [4], " atque de Jesu filio Josedech et de Zorobabele dicta sunt, iterum ab apostolo Joanne in laudem Enoch et Eliæ accommodantur [5].

[1] II. Tim. III, 16.
[2] Is. XXIX, 13.
[3] Matth. XV, 8.
[4] Zach. XV, 3.
[5] Apoc. XI, 4. Cf. Vasquez, I. Part. Disp. XIV, cap. I et V.

b) Adduci iterum potest auctoritas Ecclesiæ quæ sæpe sæpius hujusmodi accommodationes adhibet, dum v. gr. plurima de æterna Sapientia prius dicta de B. V. Maria pronuntiat. Quod ita testatur Ecclesia: „ Ipsissima verba quibus divinæ Scripturæ de increata Sapientia loquuntur,..... consuevit (Ecclesia) ad illius Virginis primordia transferre [1]. „

c) Ita Patres et Doctores. Sic Augustinus illud Apostoli: „ Littera occidit, spiritus autem vivificat [2], „ per accommodationem intelligit de littera et sensu Scripturæ; S. Gregorius, illud Genesis: „ Fecit Deus duo luminaria magna [3], „ intelligit de Pontifice et Imperatore; Bonifacius VIII vero illud Lucæ: „ Ecce duo gladii hic [4], „ interpretatur accommodando de duplici Pontificis auctoritate, spirituali scil. et temporali [5].

d) Demum confirmatur ex natura rerum, dum quotidie aliis libris eodem modo utimur, aliorum verba usurpantes quibus sensus nostros proprios tradamus. Quod tamen debitis cautelis tentandum est, ut infra dicetur.

2. De sensibus Scripturæ respectu habito ad mentem divinam, et quidem in specie.

173. — Hic igitur de triplici prædicto sensu agendum est, quem nempe vel *explicite*, vel *implicite*, vel *neque explicite neque implicite* Deus in Scripturis tradere voluit.

1. De sensu quem Deus voluit explicite tradere.

De quo sensu nobis dicendum occurrit quænam sit ejusdem *natura*, et quænam *extensio*. Unde propositio duplex.

174. — Propositio I. *Sensus quem Deus explicite tradere voluit in Scriptura, fuit duplex: alius litteralis, alius mysticus.*

Hoc est prænotandum quod „ Auctor rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest disponere in figuram alterius; et secundum hoc in Scriptura manifestatur veritas dupliciter: uno modo secundum

[1] Bulla *Ineffabilis*. Cf. Passaglia, *De Immac. Concept.* Sec. IV et alibi passim.
[2] II. Cor. III, 6.
[3] Gen. I, 16.
[4] Luc. XXII, 38.
[5] De his cf. Becanus, *Analogia Veteris et Novi Testamenti*, cap. VI.

quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus litteralis; alio modo secundum quod res sunt figuræ aliarum rerum, et in hoc consistit sensus spiritualis [1]. „ Sensus litteralis autem exprimi potest vel verbis propriis, vel verbis translatis seu metaphoricis, prout explanat idem Angelicus juxta ipsius verba superius relata, ex Commentario in Epistolam ad Galatas [2], et supponitur ex supra dictis.

Sensus litteralis, græce κατὰ ῥητόν, κατὰ ῥῆσιν, κατὰ γράμμα, aliquando vocatur *simplex*, *historicus*, *immediatus*, etc. atque definiendus est *mentis divinæ conceptus quem ex intentione Spiritus sancti verba Scripturæ sive propria sive metaphorica per se significant.*

Sensus vero spiritualis, græce κατὰ διάνοιαν, κατὰ νοῦν, κατὰ θεωρίαν, qui et *mysticus*, *typicus*, *realis*, *mediatus*, *allegoricus*, etc. [3], definiendus est: *Mentis divinæ conceptus quem ex intentione Spiritus sancti res ipsæ per se significant; verba autem non per se, sed per res ipsas.*

Nunc probanda thesis quoad utrumque sensum.

175. — A. *Prima pars.* Dari sensum litteralem in Scripturis, qualem definivimus, nullus nisi insulse negare vel in dubium vocare potest. Sensus enim litteralis est ille quem verba proprie vel metaphorice significant. Atqui absurdum est verba non significare illum sensum quem ita significant: Ergo in Scripturis et ubique datur sensus litteralis. Hinc est quod omnes sensum illum, si recte definiatur, uno ore accipiunt et asserunt.

176. — B. *Altera pars* probatur contra plures hodiernos ratio-

[1] S. Thomas, Quol. VII, q. 14. Cf. S. Bonav., *Brevil.* 5.

[2] En textum integrum: " Per *litteralem sensum* potest aliquid significari dupliciter, scilicet secundum proprietatem locutionis, sicut cum dico: *homo ridet;* vel secundum similitudinem vel metaphoram, sicut cum dico: *pratum ridet;* et utroque modo utimur in sacra Scriptura, sicut cum dicimus quantum ad primum quod *Jesus ascendit;* et cum dicimus quod *sedet a dextris Patris,* quantum ad secundum, et ideo sub *litterali* includitur parabolicus seu metaphoricus „ *In Epist. ad Gal.* IV, Dist. VII. Cf. Sixt. Sen., *Biblioth. S.* p. 2-31, edit. Colon. 1577.

[3] Significatum vocabulorum istorum, prout cunctis obvium, explanandi nobis mens non est: magis tamen arridere vocabulum *mysticus* fatemur, quia universalius simul et expressius videtur ad indicandam rem occultam et absconditam. Cæterum sciunt omnes hujusmodi vocabula apud Patres et theologos vario sensu passim usurpari. Aliquando sensus litteralis dicitur metaphoricus; metaphoricus autem vocatur mysticus, spiritualis, allegoricus, etc. Hinc nisi de eorum sensu apud varios singulosque auctores quæsieris, præsertim antiquos, quam facillime in interpretationes erroneas incides. Sensum *typicum* et *mysticum* egregie aliquando invicem opposuit S. Gregorius: ὥσπερ ἐστὶν ἃ τῶν Ἑβραικῶν τυπικῶς μὲν παρ᾽ ἐκείνοις τελούμενα, μυστικῶς δὲ ἡμῖν ἀποκατιστάμενα. De his cf. doctam commentationem Bannezii, *in I. q. 1, art. 10, Dub. prim.* et Sylvii, *ibid.*

nalistas qui supernaturalia negantes, proindeque ipsas prophetias, imo earumdem possibilitatem, sensum mysticum negare debent. Probatur tamen, et quidem multipliciter.

a) " Certum est secundum fidem catholicam Scripturam sacram sub una littera duos sensus continere. „ Ita doctissimus Bañez [1], cui concinunt multi theologi [2]. Cur autem assertum illud ad fidem pertinere dicatur, ratio est quia in Scripturis et in Ecclesiæ doctrina continetur.

S. Paulus apostolus asserit " per allegoriam [3] dicta „ esse quæ narrantur in Genesi de Agar et de ejus filio Ismaele [4], ita ut pariter de Synagoga intelligenda sint, quia nempe sicut Agar ancilla cum filio repudiata fuerat, Sarah autem cum filio Isaac apud Abraham remanserat, ita repudianda erat Synagoga et acceptanda Ecclesia Christiana.

Haud secus alias idem Apostolus, postquam multa disseruerit de mari Rubro, nube, esca, etc. addit: " Hæc autem in figura facta sunt nostri.... Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram [5]. „ Ita demum ex Scripturis constat Adamum, Melchisedech, Moysen, etc. fuisse typos Christi; quin immo dicendum est Vetus Testamentum Novi figuram fuisse [6].

Patet ergo ex fide dari sensum mysticum in Scripturis.

b) Ita sentiunt theologi et Doctores communiter, prout quisque novit. Ex his ergo solum Angelicum adducimus, qui ita aliorum suamque doctrinam exprimit et explanat: " Auctor sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia quod ipsæ res significatæ per voces etiam significant aliquid [7]. Illa ergo

[1] *In I. q. 1, a. 10.*

[2] Quorum plures relatos invenies apud Bukentop, *De Sensibus Scripturæ.*

[3] Gal. IV, 24.

[4] Gen. XXI, 10.

[5] I. Cor. X, 1-11.

[6] Innumera loca Scriptüræ adduci possent, quæ apud auctores indicatos invenies. Cf. Exod. XII, 46, et Joan. XIX, 36; Deut. XXV, 4, et I. Cor. IX, 9; Oseæ XI, 1, et Matth. II, 5. Cf. Rom. V, 14; Hebr. VII, 3; XI, 1; I. Petr. III, 20-21, etc. Cf. 1 2. q. 107, a. 1, 2, et 3.

[7] Quod ita intelligendum est ut proprietas illa scientiæ sacræ sit quoad modum simul et quoad naturam rei. Nihil enim impedit quominus homo res vel personas ordinet ad alias aliquas significandas vel personas vel res; ut fit v. gr. in apo-

prima significatio qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis; illa significatio qua res significatæ per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur et eum supponit [1]. „

177. — *Confirmatur* 1° Quæ doctrina monumentis archæologicis exhibetur, Christum v. gr. sub figura Moysis, Jonæ, etc. repræsentantibus [2].

Confirmatur 2° Quia inde augetur dignitas S. Scripturæ, magisque manifestatur Dei sapientia et bonitas, cum summa potentia, quibus omnia suaviter et fortiter disponit, attingens a fine usque ad finem.

Hujus tamen partis propositionis nostræ nulla dari potest ratio demonstrativa *a priori*, cum omnia hic pendeant e voluntate Dei; unde ejus testimonio sive in Scripturis, sive in decretis, vel in usu Ecclesiæ standum est.

Confirmatur 3° Auctoritate Synagogæ judaicæ, quæ sensum

logis et comœdiis. Non potest tamen eas ordinare cum prævisione futuri, eventusque certitudine. Cajetanus addit: " Cum accommodare res ad significandum, nihil aliud sit quam facere res esse non solum res, sed signa aliarum rerum, dupliciter intelligi potest res fieri signa: uno modo in ipsa generatione rerum, ut scilicet simul fiant ad hoc ut sint res et signa aliarum rerum; alio modo adventitiæ, ut res jam factæ accipiantur ut signa. — Si accommodatio rerum ad hoc ut sint signa sumatur hoc secundo modo, non est proprium Dei, nec excedit hominis facultatem accommodare res ad significandum; nec est proprium hujus scientiæ quod res significent, quoniam res gestæ narratæ in aliis historiis possunt ab homine interpretari ut signa aliarum, non solum per modum imitationis, ut gesta fortia antiquorum imitanda sint a successoribus; sed per modum significationis, ut scil. gesta illa ut signa habeantur. Si autem sumatur accommodatio rerum ad significandum primo modo, dupliciter potest intelligi, scil. universaliter et particulariter. Si particulariter, sic non excedit hominis potestatem: nam quilibet potest facere aliquos actus, vel aliquod artificiale, et faciendo illa intendere per illa significare aliam rem, ut patet. Sed quod omnia quæ narrantur gesta in tot historiis, ut res ad doctrinam aliquam spectantes, ut sic sint ex sui constitutione signa aliarum rerum, hoc excedit humanam facultatem, hoc Dei est proprium, in hoc hæc doctrina cæteras scientias excellit.

" Est igitur sensus litteræ (S. Thomæ) quod accommodare res universaliter spectantes ad doctrinam ad hoc ut signa sint cum fiunt, est proprium hujus doctrinæ, quia hoc a solo auctore hujus doctrinæ fieri potest „ (in I. q. I, a. 10).

Quæ illustrissimi Interpretis verba memoriæ mandanda sunt, tum ad intellectionem sanam Doctoris Angelici, tum ad faciliorem responsionem cavillationibus adversariorum faciendam. Vide etiam quæ habet Angelicus, in *Quodl.* VII, a. XVI.

[1] I. q. 1, a. 10.

[2] Cf. Kraus, *Real encycl.* ad vocem *Jesus Christus bildliche Darstellungen; Scenen des A. Test.* ubi egregie plura quoad Christum referuntur exempla.

mysticum semper professa est. " Judæi antiqui, ait Rosenmüller,... in ea erant sententia quidquid magnum, eximium, mirabile de certis quibusdam hominibus in V. Testamento dictum esset, id multo magis et sensu maxime proprio pertinere ad Messiam [1]. „ Neque in hoc errabant Judæi. Etsi enim typi illi quoad nos et in ordine executionis priores antitypo, scilicet Christo forent, iste tamen prior in mente Dei tum ordine intentionis, tum ordine dignitatis fuit, et apud nos esse debuit. Unde Christus præcelluit figuris illis tum gradu dignitatis, tum gradu causalitatis: gradu quidem dignitatis, quia res significata dignior est signo; gradu autem causalitatis, quia typi et figuræ non extiterunt nisi propter Christum: " porro propter quod unumquodque tale et illud magis, „ ut fert axioma philosophicum: ergo mirum non est si apud Hebræos quidquid egregie gestum esset a Patriarchis ad Messiam eminenter referretur.

DIFFICULTAS

178. — *Objicies:* Multiplicitas sensuum confusionem inducit in Scripturas interpretandas.

Resp. Angelicus: " Multiplicitas horum sensuum non facit æquivocationem aut aliam speciem multiplicitatis, quia sensus isti non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet, sed quia ipsæ res significatæ per voces aliarum rerum possunt esse signa. Et ita etiam nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum; non autem ex his quæ secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in *Epistola contra Vincentium Donatistam* [2]. „

179. — PROPOSITIO II. *Sensus litteralis est perpetuus, sed unicus; sensus vero mysticus non absolute perpetuus, sed duplex.*

Prius quam probetur assertum, nonnulla sunt notanda.

De prima parte multum disputatur. Aliqui recentioris ætatis theologi asserunt plures simul dari sensus litterales; alii autem, præsertim hodierni, negant cum antiquioribus.

Hic cæterum omittitur quæstio de possibilitate absoluta illius

[1] Apud Patritium, *De Interpr. S. Script.*
[2] *I. q. 1, a. 10 ad 1^m^.*

multiplicitatis, utrum nempe, Deo sic ordinante, plures simul dari possint sensus litterales; nec agitur nisi quæstio facti, utrum videlicet reipsa plures dentur.

Supponitur demum quæstionem dari de sensu vere litterali, nec istum multiplicari si comitetur sensus mysticus, vel sensus consequens, vel sensus translatus aut accommodatus.

1° His præmissis, probatur prima pars, et quidem quoad primum ejusdem assertum, scilicet:

180. — *A*. Sensum litteralem esse perpetuum. Quod ex prædictis patet, siquidem sensus litteralis ille est quem immediate sive propriis sive metaphoricis verbis exprimere intendit Deus. Repugnat autem Deum non semper et ubique aliquid exprimere. Ergo [1].

181. — *B*. Probatur ejusdem primæ partis alterum assertum.

a) In his quæ a voluntate Dei libera pendent, judicandum est juxta ipsius Dei testimonia: atqui dari plures sensus litterales sub eadem Scriptura nullibi testatur Deus, nec ejus Ecclesia. Ergo illud non est asserendum.

Confirmatur. Res æstimandæ sunt juxta leges ordinarias, nisi de derogatione authentice constet: atqui in libris passim aliis non nisi sensus unus litteralis passim habetur: ergo.

b) Probatur auctoritate theologorum. Veterum quidem sententiam ita resumit doctissimus Beelen: „ Multiplicem in sacris Scripturis sensum (scil. litteralem) ab Ecclesia non doceri, nullo Scripturæ exemplo probari, ignotum esse sanctis Patribus, a theologis scholasticis refelli, nec aliud denique, qualecumque tandem habere fundamentum, quam effatum quoddam Augustini, quo is tamen nequaquam certo affirmat uni eidemque Scripturæ plures interdum subjectos esse sensus litterales, sed tantum significat se opinari id fieri posse; quam opinionem cum Burgensi sequitur alicubi in suis scriptis S. Thomas, licet hic alibi eidem opinioni aperte contradicat [2]. „

S. Thomam pro unitate sensus litteralis propria sententia stetisse in dubium vocari nequit, cum ipse, ut in Scripturis vitetur confusio, requirit ut *una vox multa non significet*, ut omnes sensus *fundentur super unum litteralem*, ut patet ex supra relatis verbis: Nulla datur confusio, inquit, „ quia sensus isti (scil.

[1] Ita Sylvius *in* 1^{am}, *q. 1, a. 10.*
[2] *De multipl. S. Script. sensu*, p. 129.

spiritualis, cum allegorico, anagogico et tropologico) non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet.... Nulla confusio sequitur in S. Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scil. litteralem [1]. „

Inter recentiores vero theologos, qui in Scripturistica scientia maxime audiendi sunt [2], plurimi, seu longe plures negant multiplicitatem illam, inter quos Patritius [3], Beelen [4], etc. His præiverant alii [5], inter quos eminet Estius, cujus hac in re auctoritas omni exceptione major agnoscitur, cujusque argumenta hic subjicimus:

" Dicere quod plures sint ejusdem Scripturæ sensus litterales, tale est ac si quis diceret vocem æquivocam simul stare pro pluribus suis significatis: nam litteralis sensus est qui per voces immediate significatur; illud autem pro absurdo habent dialectici [6].

" Sensus litteralis est ut fundamentum; igitur unum in unaquaque Scriptura esse oportet, et non plures, mysticis tamen sensibus qui plures esse possint, substratum: quomodo in ædificio fundamentum, cum sit unum, cæteris ejusdem ædificii partibus substernitur.

" Omnes sensus ejusdem Scripturæ coordinati esse debent: atqui non erunt omnes coordinati, si plures sint ejusdem Scripturæ sensus litterales. Nam hujusmodi sensus, neque ordinem inter se habebunt, neque ad sensum aliquem diversum. Non quidem inter se, quia nullus eorum alio prior est; sunt enim omnes æque primo intenti, sed nec ad alium sensum, quia non fundantur in alio, cum ipsi sint primi.

" Postrema ratio sit ea quæ sumitur a communi sensu seu conceptione, quam vocant, Interpretum Scripturæ sacræ. Videntur enim omnes eo animo accedere ad interpretandas et expo-

[1] *I. q. 1, a. 10 ad 1m et in corp. art.*

[2] Ratio est quia de sensu litterali magis curant. Olim vero pluribus hoc objici potuit: " Irrationabile videtur spiritualem intelligentiam in libro aliquo quærere, et historiam penitus ignorare „ (Christianus Drutmarus, *In Matth. prol.)*.

[3] *De Interpr. S. Script.*

[4] *Diss. theol. de multipl. S. Script. sensu.*

[5] Vide quam caute procedat Bañez *in Comment. in Im q. I, a. 10, dub. 7.* Ex tribus ejus conclusionibus hæc legitur: " Non invenitur satis exploratum quod secundum fidem sit certum aliquem locum Scripturæ necessario intelligendum in duplici sensu litterali. „

[6] Cf. S. Th. III. q. LX, a. 3 ad 1m.

nendas secundum litteram Scripturas, ut unum aliquem sensum, verum, germanum, ab auctore intentum, in unoquoque loco Scripturæ quærant, inveniant, tradant, ad unum colliment: et ubi diversi a diversis auctoribus sensus traduntur, inquirit lector studiosus quis eorum germanum sensum auctoris attigerit: nempe persuasus eum sensum unum esse, non plures. Equidem nullum interpretem legi, qui exponens locum aliquem Scripturæ sacræ, et plures ac diversos, ut fit, sensus afferens, diceret: uterque sensus litteralis est, ac primo intentus a Spiritu sancto, dumtaxat excepto recenti quodam auctore, alioqui docto, apud quem id semel tantum reperi, ut eum in dijudicando litterali sensu cujusdam Scripturæ laboraret, tandem diceret utrumque litteralem [1] esse. „ Ita eximius ille vir qui non scholastica disciplina modo, sed etiam multis aliis eruditus, scientiam maximam gravi ingenio addidit. Notet lector priores tres ab ipso adductas rationes non esse nisi commentarium et paraphrasim textus sancti Thomæ prius relati.

Confirmantur prædictæ rationes eo quod nisi admittatur unitas sensus litteralis, impossibile est ex Scripturis adversarios convincere, dum sensui nostro litterali sensum suum eumdemque litteralem opponent [2].

182. — 2° Probatur altera pars propositionis, et quidem quoad primum ejusdem assertum, scil.

A. Sensum mysticum non esse in Scripturis perpetuum.

Quæstio *figuristas* inter et *antifiguristas* disputatur, illis quidem asserentibus, istis autem negantibus.

Probatur quoad vetus Testamentum. Si enim sumatur V. T. quasi *in genere*, ita ut ad minuta quæque descensus non fiat, ubique dari dicendus est, præsertim respectu ad novum Testamentum, quia passim admittitur Testamentum vetus fuisse figuram perfectionis futuræ, ut supra indicavimus, quo sensu verissimum erit illud:

Vetus Testamentum in Novo patet,
Novum Testamentum in Vetere latet.

Si autem descendatur ad quæque et singula minuta, dari non censetur, tum quia nulla est ratio asserendi ex Scripturis, nec

[1] Estius, *Orat. Theol.* XVIII.
[2] Plura vide apud varios auctores, præsertim Beelen, *Dissert.* l. c.

ulla ex traditione aut ratione. Rectissime ergo Augustinus: " Mihi autem sicut multum videntur errare qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud præter id quod eo modo gestæ sunt, significare arbitrantur, ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt [1]. „ Nec objicienda sunt Apostoli verba: " Omnia in figura contingebant illis [2], „ scil. Judæis; cum Apostolus scripserit non " omnia, „ sed " hæc omnia, „ illa nempe quæ prius enumeraverat.

Quoad novum Testamentum autem in quo sensum mysticum dari saltem ex parte negaverunt. Sed affirmandum est illum revera dari, licet allegoria frequentius forsan in veteri occurrat. Hanc sententiam " certam, „ dicit Bañez [3]. Multa namque in Evangeliis et Apocalypsi explanari possunt et debent, reveraque explanantur apud Patres sensu spirituali, v. gr. ingressus Christi in Jerusalem, destructio Jerusalem præfigurans destructionem universalem, etc.

Hinc nihil mysterii in litteris Scripturæ latet, nihil in singulis vocibus, nihil in genealogiis etiam Christi, vel in prophetiis litteralibus, nihil in exemplaribus aut symbolis (quæ apud Græcos graphice dicuntur ὑποδείγματα vel σύμβολα, tum μνημόσυνα, tum πείθανα, tum μετάστατικα, tum δεικτικά); sed tantum in typis, seu in personis, rebus, eventibus, quæ solus Deus ordinare voluit ad aliud significandum et prænuntiandum, seu præfigurandum.

183. — *B.* Probatur ejusdem secundæ partis alterum assertum. Licet sensus mysticus per se sit typorum seu rerum, attamen haberi consequenter potest et sensus mysticus verborum. Etenim dum Spiritus sanctus *directe*, *immediate* et *proxime* intendit de typo dicere, id nempe quod verba in sensu litterali præ se ferunt, ita *directe* simul, sed *remote* et *mediate*, i. e. mediante sensu litterali, vult aliquid de antitypo dicere [4]. Sed verba usurpata *indirecte* tantummodo præferunt sensum mysticum, quia non ratione sui, sed ratione alterius Scripturæ illum asserentis, menti legentis antitypum exprimunt. Eadem denique verba *remote* et *mediate*, id est mediantibus typis per

[1] *De Civit. Dei*, L. XVI, c. II, et XVII, c. III.
[2] I. Cor. x, 11. [3] *In I. q. I, a. 10. Dub. 3.*
[4] Hic cf. S. Th. *Quodl.* a. 14-16, et 2 2, q. 173, a. 2 ad 2; cum *Comm.* Cajet.

verba significatis, sensum mysticum significant. Definitur itaque sensus spiritualis verborum, " ille quem sub sensu litterali delitescentem, exprimere per res Spiritus sanctus *directe* intendit, etsi *remote*, seu *mediate;* verba autem *indirecte* præferunt, nec simul nisi *mediate* et *remote.* " Hinc advertit Paulus ea quæ de Isaaco et Ismaele narrantur in V. Testamento esse per *allegoriam dicta* [1]; Ratio est quia sensum spiritualem ex typis, sive ex typorum spirituali significatione accipiunt verba; quod scilicet verba Scripturarum rem de qua *mystice* dicta sunt, designent, id non per se, sed per spiritualem significationem rerum exhibent, unde in sensum spiritualem accipiuntur; nec alia ratio assignari potest existentiæ sensus eorumdem spiritualis.

Cujus doctrinæ summa hæc est nempe quod verba typos seu sensum litteralem significant non solum *in se*, id est in sua propria natura consideratos, sed etiam *formaliter ut signa aliarum rerum:* unde idem sermo et res figurantes et res figuratas complectitur, ita ut apud auctores sacros quandoque una et eadem sententia de utrisque simul proferatur, quandoque unus idemque sermo, sed alternis vicibus, de singulis habeatur; quandoque demum ea quæ ad antitypa pertinent prædicentur translatis typorum nominibus ad antitypa significanda.

Ex dictis diversitates istæ et similitudines assignari possunt inter utrumque mysticum sensum, rerum scilicet et verborum: *primo*, sensus mysticus rerum rebus subest; verborum autem verbis; *secundo*, sensus mysticus rerum rebus ab ipso Spiritu sancto rerum auctore inditus est: sensus autem mysticus verborum Scripturis ab eodem qua Scripturarum auctore; *tertio*, ille immediate inditus est a Spiritu sancto: iste autem mediate, i. e. mediante sensu litterali; *quarto*, ille a nulla re dependet: iste a significatione verborum; *quinto,* ille existere potuisset absque Scripturis: iste sine verbis existere non posset [2].

Quia tamen sensus mysticus verborum a sensu mystico rerum pendet, iste autem non ubique in Scripturis habetur, ut diximus, inde est illum non ubique in Scripturis inveniri, nec nisi ubi invenitur ipsemet rerum sensus mysticus.

[1] Gal. IV, 21.

[2] Ita fere Patrizi, *De Int. Script.* nn. 341-363.

DIFFICULTATES

184. — *Obj.* 1° contra primam partem. Patres aliquando negant dari sensum litteralem in nonnullis textibus, v. gr. in illis verbis Christi: " Ego sum vitis, vos palmites. "

Resp. Patres hic vocant sensum litteralem qui nonnisi metaphoricus est, quemque, si sumatur *qua talis*, seu *reduplicative ut sic*, non potest asseri de subjecto aliquo. Ita in allato exemplo non datur sensus litteralis, quia Christus non est proprie *vitis*, nec nos proprie *palmites* sumus.

Obji. 2° S. Augustinus hæc habet: " Cum alius dixerit: Hoc sensit (Moyses) quod ego; et alius: Immo quod ego; religiosius me arbitror dicere: Cur non utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non omnia illa vidisse credatur, per quem unus Deus sacras Litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit?... Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitavit cum ea scriberet quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest [1]. "

Resp. primo. S. Augustinum in his similibusque locis intelligendum esse de sensu *consequenti*, aut aliquo sensu connexo, v. gr. allegorico, tropologico, etc. quem ratiocinando eruere possumus. Quod aperte ipse alias profitetur: " Si contextio Scripturæ, inquit, hoc voluisse Scriptorem non repugnaverit, adhuc restabit quærere utrum et aliud non potuerit. Quod si et aliud potuisse invenerimus, incertum erit quidnam eorum ille voluerit, et utrumque sentire voluisse non inconvenienter creditur, si utrique sententiæ certa circumstantia suffragetur [2]. " Unde S. Augustinus, probe sciens nos quæsituros in Scripturis ea quæ Deus in eis contineri voluit et non alia; nec Deum voluisse in eis contineri omnia quæ ipse novit, requirit ut sensibus admittendis " certa circumstantia suffragetur. " Ergo juxta sanctissimum subtilissimumque Doctorem, ex illis admittendis sensibus excluduntur *primo* sensus qui Scripturis vel aliis sensibus catholicis repugnarent; *secundo*, sensus qui ita dispares essent ut

[1] *Confess.* L. XII, c. XXVI.

[2] *De Gen. ad litt.* L. I, cap. XIX.

eisdem nullatenus suffragaretur circumstantia litteræ. Sensus igitur illi diversi, juxta S. Augustinum admittendi, sunt diversi non contradictione, non contrarietate, non mera disparitate, sed sicut consequentia diversa est a principio, effectus a causa.

Aliud cæterum est dicere plures sensus in Scripturis *inveniri sub littera, vel secundum litteram*, quod, interprete S. Thoma [1], professus est Augustinus; et aliud plures sensus *litterales* quales definivimus, in eadem littera inveniri: quod nunquam asseruit Hipponensis Doctor.

Resp. secundo, S. Augustinum aliquando intelligendum esse de illis obscuris Scripturarum locis, quorum sensus ex regulis ab ipso traditis erui certo nequit ita ut sit unus: et hoc quidem, non ratione ipsarum Scripturarum, sed ratione ignorantiæ humanæ; quod ita ipse S. Doctor profitetur: " Quando ex eisdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet quid senserit ille qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum Scripturarum doceri potest [2]. "

185. — *Obj.* 3° Ita pronuntiat sanctus Thomas: " Quia auctor sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus, *Confess.* XII, si etiam secundum litteralem sensum in una littera S. Scripturæ plures sint sensus [3]. " Et alibi: " Vitandum est ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum ita cogere velit, quod alios sensus, qui in se veritatem continent, et possunt, salva circumstantia litteræ, Scripturæ aptari, penitus excludentur [4]. "

Resp. S. Thomam qui Augustini doctrinam refert, haud secus esse intelligendum. Quin potius ipse Augustinum in sensu nostro explanat, dum relata ejusdem de pluribus sensibus doctrina, scil. de sensibus litterali, allegorico, anagogico et tropologico, addit tres ultimos hos sensus *fundari super unum*, scil. *litteralem* [5],

[1] I. q. I, a. 10.
[2] *De Doctr. Christ.* III, 26.
[3] I. q. I, a. 10.
[4] *De Potent.* q. IV, a. 1.
[5] I. q. I, a. 10. Hic mirari satis non possum ego scholasticæ addictissimus insulsam plurium scholasticorum agendi rationem, qui S. Thomæ doctrinam (quod et alias accidit) sequi putantes pervertunt. Plures namque relato S. Thomæ articulo fulti contendunt Angelico arrisisse doctrinam de pluralitate sensuum litteralium, de qua tamen ne verbum quidem tradit S. Thomas. Cuique legenti patet S. Thomam hoc reprobare, scilicet quod " Scriptura sub una littera non

quia nempe comprehenduntur sub *spirituali* sensu, qui et ipse *fundatur super unum litteralem.* Unde cum S. Doctor asserit non esse inconveniens " si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturæ plures sint sensus, „ nihil addit de pluralitate sensuum litteralium simul existentium; sed asserit tantum compossibilem esse aliorum sensuum existentiam præter litteralem, etsi tamen *secundum*, id est *juxta* sensum litteralem, ita ut scilicet iste sit quasi regula aliorum simul ac principium. Quam interpretationem eximie explanat S. Doctor responsionibus *ad primum* et *secundum.*

Dum autem addit non *penitus excludendos* esse sensus alios qui admitti possunt, *salva circumstantia litteræ,* vel agit de sensu litterali ambiguo, qui cum certitudine nondum cognoscitur, unde expressius ait S. Doctor sensus hujusmodi non esse *penitus* excludendos; vel agit de aliis sensibus qui sub litterali continentur, præsertim de sensu consequenti.

Ergo calumniantur, meo judicio, Augustinum et Thomam qui ex ipsorum doctrina Scripturis inferre volunt, subque earum littera intelligunt quidquid falsitatem in se non includat, vel eisdem non sit contrarium, quasi hæc omnia intenderit Spiritus sanctus.

186. — *Obj.* 4° Plures Scripturarum textus referri posse qui litterali sensu de duplici objecto interpretandi sunt. Ita v. g. illud:

habeat plures sensus, qui sunt..... litteralis, allegoricus, tropologicus,..... et anagogicus. „ Ostendit enim dari sensum qui significatur vocibus, seu litteralem, et sensum qui significatur rebus per voces significatis, seu spiritualem. " Hic autem sensus spiritualis trifariam dividitur, „ scilicet in allegoricum, anagogicum et tropologicum. Et addit S. Doctor verba in objectione relata, quæ supra explanamus. At vero prædicti scholastici sedulo omittunt responsiones *ad primum* et *ad secundum*, ubi Angelicus sensum manifestat, asserens *una voce multa non significari; omnes sensus fundari super unum litteralem; unde nulla confusio sequitur in S. Scriptura; historiam, ætiologiam, analogiam ad unum sensum litteralem pertinere etc.* Confirmari potest doctrina thomistica de unitate sensus litteralis, his ipsius Angelici verbis quibus exponit quæ requirantur ad evitandam ambiguitatem signi: " Tunc signum est ambiguum præbens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum unum non ordinatur ad aliud; sed quando significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum, sed certum, sicut hoc nomen homo significat animam et corpus, prout ex eis constituitur humana natura. „ (III. q. LX, a. 3 ad 1m). Ille autem interpretationis error quem dolemus forsan ex illo usu provenit articulos S. Thomæ in plures *conclusiones* dispertiendi. Etsi enim aliqua commoda præbeat illa methodus, hoc tamen habere potest incommodi quod singulæ partes minus per contextum explanentur. Ex eadem nimia interpretum subtilitate orta pariter est linguarum et rerum confusio de Scripturæ sensibus.

" Ego hodie genui te, „ tripliciter ad litteram exponi solet, de generatione æterna *in Psalmo* II [1]; de generatione temporali in *Epistola ad Hebræos* [2]; et de resurrectione in *Actibus* [3]. Nec aliter plures alios textus diversimode interpretantur Patres quoad litteram, et quidem non immerito.

Resp. neg. supp. Omnes namque textus ab adversariis passim allati optime explanari possunt, si admisso unico textu litterali, admittantur sensus connexi, i. e. *consequens*, *spiritualis*, etc.; unde prudenter fatetur Bannezius exploratum non esse si aliquis textus Scripturæ duplici sensu litterali intelligendus sit [4].

Si constet ex Patribus aliquos alio sensu, aliquos alio eumdem textum interpretatos esse, et quidem expositionem litteralem prætendentes, inde colligendum est dubium haberi circa naturam sensus litteralis, non circa ejusdem in se unitatem. Cæterum diversæ illæ interpretationes quam facillime plerumque conciliantur, si recurratur ad sensum consequentem vel spiritualem, dummodo non agatur de expositionibus inter se contradictoriis, sed tantum de interpretamentis non incompossibilibus.

Quoad allatam vero probationem, respondeo verba illa intelligenda esse litterali sensu de generatione æterna Verbi. In *Psalmo* ita intelligenda esse omnes admittunt, et contextu probatur, dum Dei filius omnium Dominus asseritur ratione generationis æternæ. Ita in *Actibus Apostolorum*, ubi Apostolus assignat rationem cur Deus Filium e mortuis suscitaverit, i. e. propter generationem æternam, non temporalem, ut patet. Ita demum in *Epistola ad Hebræos*, in qua indicatur ratio cur Christus angelis præcellit, scil. non generatione temporali, sed æterna [5].

Unde sedulo in memoria tenendum est " quod varietas sensuum quorum unus ab alio non procedit facit multiplicationem

[1] Ps. II, 7.
[2] Hebr. I, 5, et V, 5.
[3] Act. XIII, 33.
[4] *In* I[m] q. I, a. 10, Dub. 7.
[5] Ita inter alios interpretatur S. Thomas, licet aliqui thomistæ illo textu utantur ad probandam multiplicitatem sensuum litteralium. Sic enim habet *In Ps.* II: " *Ego hodie genui te:* id est æternaliter; „ et *In Epist. ad Hebr.* cap. I. Lec. III, et c. V, Lec. I: " Tria possunt notari: *Primo*, modus originis, in verbo *dixit;* — *secundo* singularitas filiationis, ibi *Filius meus es tu;* — *tertio* ejus æternitas: *Ego hodie genui te.* „ Si aliquis interpretaretur de generatione temporali, hoc non fieret nisi sensu analogico.

quia nempe comprehenduntur sub *spirituali* sensu, qui et ipse *fundatur super unum litteralem.* Unde cum S. Doctor asserit non esse inconveniens " si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturæ plures sint sensus, „ nihil addit de pluralitate sensuum litteralium simul existentium; sed asserit tantum compossibilem esse aliorum sensuum existentiam præter litteralem, etsi tamen *secundum*, id est *juxta* sensum litteralem, ita ut scilicet iste sit quasi regula aliorum simul ac principium. Quam interpretationem eximie explanat S. Doctor responsionibus *ad primum* et *secundum.*

Dum autem addit non *penitus excludendos* esse sensus alios qui admitti possunt, *salva circumstantia litteræ*, vel agit de sensu litterali ambiguo, qui cum certitudine nondum cognoscitur, unde expressius ait S. Doctor sensus hujusmodi non esse *penitus* excludendos; vel agit de aliis sensibus qui sub litterali continentur, præsertim de sensu consequenti.

Ergo calumniantur, meo judicio, Augustinum et Thomam qui ex ipsorum doctrina Scripturis inferre volunt, subque earum littera intelligunt quidquid falsitatem in se non includat, vel eisdem non sit contrarium, quasi hæc omnia intenderit Spiritus sanctus.

186. — *Obj.* 4° Plures Scripturarum textus referri posse qui litterali sensu de duplici objecto interpretandi sunt. Ita v. g. illud:

habeat plures sensus, qui sunt..... litteralis, allegoricus, tropologicus,..... et anagogicus. „ Ostendit enim dari sensum qui significatur vocibus, seu litteralem, et sensum qui significatur rebus per voces significatis, seu spiritualem. " Hic autem sensus spiritualis trifariam dividitur, „ scilicet in allegoricum, anagogicum et tropologicum. Et addit S. Doctor verba in objectione relata, quæ supra explanamus. At vero prædicti scholastici sedulo omittunt responsiones *ad primum* et *ad secundum*, ubi Angelicus sensum manifestat, asserens *una voce multa non significari; omnes sensus fundari super unum litteralem; unde nulla confusio sequitur in S. Scriptura; historiam, ætiologiam, analogiam ad unum sensum litteralem pertinere etc.* Confirmari potest doctrina thomistica de unitate sensus litteralis, his ipsius Angelici verbis quibus exponit quæ requirantur ad evitandam ambiguitatem signi: " Tunc signum est ambiguum præbens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum unum non ordinatur ad aliud; sed quando significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum, sed certum, sicut hoc nomen homo significat animam et corpus, prout ex eis constituitur humana natura. „ (III. q. LX, a. 3 ad 1m). Ille autem interpretationis error quem dolemus forsan ex illo usu provenit articulos S. Thomæ in plures *conclusiones* dispertiendi. Etsi enim aliqua commoda præbeat illa methodus, hoc tamen habere potest incommodi quod singulæ partes minus per contextum explanentur. Ex eadem nimia interpretum subtilitate orta pariter est linguarum et rerum confusio de Scripturæ sensibus.

" Ego hodie genui te, " tripliciter ad litteram exponi solet, de generatione æterna *in Psalmo* II [1]; de generatione temporali in *Epistola ad Hebræos* [2]; et de resurrectione in *Actibus* [3]. Nec aliter plures alios textus diversimode interpretantur Patres quoad litteram, et quidem non immerito.

Resp. neg. supp. Omnes namque textus ab adversariis passim allati optime explanari possunt, si admisso unico textu litterali, admittantur sensus connexi, i. e. *consequens, spiritualis*, etc.; unde prudenter fatetur Bannezius exploratum non esse si aliquis textus Scripturæ duplici sensu litterali intelligendus sit [4].

Si constet ex Patribus aliquos alio sensu, aliquos alio eumdem textum interpretatos esse, et quidem expositionem litteralem prætendentes, inde colligendum est dubium haberi circa naturam sensus litteralis, non circa ejusdem in se unitatem. Cæterum diversæ illæ interpretationes quam facillime plerumque conciliantur, si recurratur ad sensum consequentem vel spiritualem, dummodo non agatur de expositionibus inter se contradictoriis, sed tantum de interpretamentis non incompossibilibus.

Quoad allatam vero probationem, respondeo verba illa intelligenda esse litterali sensu de generatione æterna Verbi. In *Psalmo* ita intelligenda esse omnes admittunt, et contextu probatur, dum Dei filius omnium Dominus asseritur ratione generationis æternæ. Ita in *Actibus Apostolorum*, ubi Apostolus assignat rationem cur Deus Filium e mortuis suscitaverit, i. e. propter generationem æternam, non temporalem, ut patet. Ita demum in *Epistola ad Hebræos*, in qua indicatur ratio cur Christus angelis præcellit, scil. non generatione temporali, sed æterna [5].

Unde sedulo in memoria tenendum est " quod varietas sensuum quorum unus ab alio non procedit facit multiplicationem

[1] Ps. II, 7.
[2] Hebr. I, 5, et V, 5.
[3] Act. XIII, 33.
[4] *In* I[m] q. I, a. 10, Dub. 7.
[5] Ita inter alios interpretatur S. Thomas, licet aliqui thomistæ illo textu utantur ad probandam multiplicitatem sensuum litteralium. Sic enim habet *In Ps.* II: " *Ego hodie genui te:* id est æternaliter; " et *In Epist. ad Hebr.* cap. I. Lec. III, et c. V, Lec. I: " Tria possunt notari: *Primo*, modus originis, in verbo *dixit; — secundo* singularitas filiationis, ibi *Filius meus es tu; — tertio* ejus æternitas: *Ego hodie genui te.* " Si aliquis interpretaretur de generatione temporali, hoc non fieret nisi sensu analogico.

locutionis [1], „ quod est inconveniens. Si autem plura in eodem textu intelligenda sunt, hoc fieri potest ita ut omnes sensus ab uno procedant, et non aliter, juxta illud Angelici effatum: " Auctor principalis sacræ Scripturæ est Spiritus sanctus, qui in uno verbo S. Scripturæ intellexit multo plura quam per expositores sacræ Scripturæ exponantur vel discernantur; nec est etiam inconveniens quod homo qui fuit auctor instrumentalis S. Scripturæ in uno verbo plura intelligeret, quia Prophetæ, ut Hieronymus dicit super Osee, ita loquebantur de factis præsentibus, quod etiam intenderunt futura significare: unde non est impossibile simul plura intelligere *in quantum unum est figura alterius* [2]. „

Sed præterea quum adversarius supponat ex ipsis Scripturis probari posse sensuum litteralium multiplicitatem, quia nempe aliquis textus vario sensu simulque litterali ibidem pluries referatur, hic notandum ducimus Scripturas in ipsis Scripturis adduci posse non modo sensu litterali, sed etiam consequenti, vel spirituali, aut alio; immo et sensu *accommodatitio.* Ita cum doctis theologis et nos censemus. " Quæstio est, inquit Becanus, cur Christus et Apostoli, quando citant testimonia Mosis et Prophetarum, citent ea in sensu tantum litterali? An aliquando etiam in sensu mystico vel per accommodationem? Respondeo: Quædam citant in sensu litterali, quædam in sensu mystico, (quædam) per accommodationem. „ Et post adducta exempla primi et secundi generis, addit: " Exempla tertii generis. Primum Zach. IV, 3: " Duæ olivæ super candelabrum aureum. „ Quod secundum litteram intelligitur de Jesu filio Josedech, et de Zorobabele duce Juda. At Apostolus per accommodationem applicat duobus testibus Enoch et Heliæ, qui ab Antichristo interficiendi sunt (Apoc. XI, 14). Vide Vasquez I. P., Disp. XIV, c. I.

" Secundum Isaiæ XXIX, 13: " Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. „ Quod secundum litteram intelligitur de illis Judæis qui erant tempore Isaiæ. At Christus accommodat Scribis et Pharisæis sui temporis (Matth. cap. XV, 8). Vide Vasquez, ibid. cap. V [3]. „ Quod aliis testimoniis confirmari utique posset.

[1] S. Th. *Quodl.* VII, q. VII, a. 14, ad 1m. [2] Ib. ad 5m.
[3] *Analogia Vet. ac Novi Test.* Cap. I, q. VI.

Quum autem auctor qui hujusmodi textus refert et approbat et ipse sit inspiratus, inde sequitur textus illos duplicem auctoritatem sortiri posse: alteram qua consequentes, spirituales, vel accommodatos, si conferantur ad librum illum unde extrahuntur; alteram qua litterales, si considerentur in illo libro ubi rursum divinitus asseruntur.

Obj. 5° Contra primum assertum secundæ partis. Vetus Testamentum dicitur " umbra, „ novum autem " veritas. „ Ergo nulli dantur in novo Testamento typi.

Resp. Non dari quidem typos in N. Testamento quoad Christum, saltem post ejus mortem; dari autem posse quoad effectus Redemptionis in hac et in altera vita, v. gr. quoad Ecclesiam, quoad cœlorum felicitatem, etc.

2. De sensu quem Deus voluit exprimere implicite in Scripturis sacris.

187. — Cum Philosophus istud effatum pronuntiaverit: " Qui dixit unum, quodammodo multa dicit, „ verba hæc ita interpretatur Angelicus: " Qui dicit unum, quodammodo dicit multa, scil. in potentia, secundum quod conclusiones sunt potentia in principiis: ex uno enim principio multæ conclusiones sequuntur [1]. „ Quod fit per argumentationem, i. e. per orationem illam qua unum ex alio infertur, quia scilicet illud vel tamquam particulare in universali, vel tamquam universale in particularibus, vel tamquam simile in simili includi supponitur. Contentum autem ex continentibus analysi vel inductione colligitur, prout docent logici.

Haud secus res se habet in Scripturis sacris, et sensus ille eductus vocatur *consequens*. Unde sit:

188. — Propositio. *In propositione explicite revelata contineri possunt propositiones aliæ in illis implicite contentæ.*

Probatur multipliciter.

a) Ex ipsis Scripturis, in quibus legimus auctores sacros ex antea revelatis arguere. Exemplo eidemque præclaro sit quasi tota Epistola ad Hebræos, qua Apostolus Christum Patriarchis,

[1] *Quodl.* vii, a. 16, ad 3m. Hic legendus Joannes Ragusinus qui de his egregia dixit an. 1433 in Concilio Basil. ap. Labbe, *Concil.* T. xii, col. 1026-1037, præsertim in vii *Supposit.*

Sacerdotibus, Angelis præcellere ex veteri Testamento arguendo probat. Ita passim multoties in Scripturis.

b) Haud secus Patres et Doctores qui veritatem propugnant, erroresque refellunt, non quidem semper textibus explicitis, sed sæpius conclusionibus *a simili* vel *a repugnanti* eductis, v. g. contra monophysitas, monothelitas, etc.

c) Probatur ratione. In Scripturis enuntiantur propositiones tum generales in quibus particularia continentur; vel particulares, ex quibus compositis induci potest veritas: ergo illæ veritates educi argumento possunt per *consequens* et *consequentiam*. Quod ex infra dicendis clarius patebit.

Confirmatur eo quod nullus liber omnes omnium assertorum suorum principia et consequentias simul enucleat.

3. De sensu quem Deus neque explicite neque implicite exprimere voluit in Scripturis.

189. — Ille proprie est sensus humanus quem homo exprimere voluit verbis Scripturæ sacræ.

Attamen nullus sibi licitum unquam putavit omnia quæcumque libuerint inspiratis verbis exprimere: unde inquirendum est quodnam sit sensus accommodati fundamentum.

190. — Propositio. *Sensus accommodatus neque in univocatione, neque in æquivocatione, sed in analogia cum Scripturis fundatur.*

Probatur per partes ex Logices principiis.

Imprimis patet non inniti terminorum nec mentalium nec vocalium univocationi. Univocus enim terminus est qui juxta eamdem significationem pluribus tribuitur: unde in Scripturis non quidem accommodatum sensum, sed litteralem, spiritualem vel consequentem parit et refert.

Non sufficere autem ad sensum accommodatum meram terminorum æquivocationem nihil minus certum videtur.

Imprimis namque, si sufficiat æquivocatio ad interpretationem accommodatam, tunc non erit ista nisi verborum lusus et amphiboliarum coacervatio. Ratio est quia æquivocatio terminis mentalibus inesse nequit, cum terminus mentalis rem unam ita repræsentet ut alterius esse nequeat, sed tantummodo sensibilibus: unde si æquivocatio sufficiat ad interpretationem

accommodatam, patent undique portæ ad quascumque phantasias et elucubrationes. Quas tamen ita prohibuit Tridentina Synodus: " Sacrosancta Synodus... temeritatem illam reprimere volens qua ad profana quæque æque convertuntur et torquentur verba et sententiæ S. Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc et similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii pœnis per episcopos coerceantur [1]. "

Unde non sufficit ille interpretationis modus cujusque ingenio relictus, quo nonnisi æquivocationem adhibueris.

191. — Hinc imprimis sequitur fundandam esse interpretationem illam in analogia, quæ media intercedit univocationem inter et æquivocationem, et qua terminus mentalis aut vocalis plura respicit in significatione nec omnino eadem, nec omnino diversa; vel demum qua rationes significat simpliciter diversas, aliquo tamen respectu similes [2].

Duplex autem datur analogia: alia scilicet *proportionis*, alia *attributionis*.

Analogia proportionis habetur quando idem terminus pluribus tribuitur rebus, ratione alicujus convenientiæ quam habent illæ respectu alicujus effectus vel modi, quo invicem extrema conveniunt. Ita ridere dicuntur homo et pratum. Hac analogia proportionis præsertim admittuntur metaphoræ, quibus terminus, cæterum in se univocus, e propria ad aliam significationem transfertur. Hujusmodi analogia quam frequentissime utuntur oratores, hac utuntur et interpretes accommodantes.

Analogia autem attributionis est qua terminus aliquid principale significat, unde derivatur aliqua denominatio et attributio in alia quæ ordinem ad illud involvunt. Ita cibus dicitur sanus a sanitate quæ in animante est. Ista autem denominatio dupliciter fieri potest, prout eximie explanat Suarezius: " Observandum est duobus modis generatim loquendo posse aliquam

[1] *Sess.* IV.

[2] Vide Goudin, *Philosophia Logic. min.* I. P., q. I, a. 2. Legendus S. Thomas, I. q. XIII, a. 5 et 10. Imprimis Cajetanus *De analogia nominum.*

rem denominari per attributionem ad aliam. Unus est quando forma denominans in uno extremo tantum est intrinsece, in aliis vero solum per extrinsecam habitudinem, quo modo dicitur sanum absolute de animali, et de medicina per attributionem ad animal. Alter est quando forma denominans intrinsece est in utroque membro, quamvis in uno absolute, in alio vero per habitudinem ad aliud, ut ens dicitur de substantia et accidente: accidens enim non denominatur ens extrinsece ab entitate substantiæ, sed a propria et intrinseca entitate, quæ talis est ut tota consistat in quadam habitudine ad substantiam [1]. „

Ex hisce modis duobus prior tantum pertinet proprie et requiritur ad interpretationem accommodatam; posterior autem ad sensum consequentem investigandum per se inservit.

Hujus alterius asserti hæc est ratio, quia scilicet in ista analogia, denominatio, prout sumpta ab intrinseca forma, semper propriissima erit et quandoque essentialis; nec posterius analogatum per principalius necessario definiendum erit, sed per se definiri poterit [2]. In hujusmodi præterea analogia datur conceptus communis, et quidem formalis atque objectivus, cum omnia analogata reapse una eademque ratione conveniant: unde propter hujusmodi conceptum, ex illa analogia haberi potest demonstrationis medium. Quæ cuncta ad sensum consequentem inveniendum prorsus faciunt.

Secus vero in priori analogia. In ista enim denominatio nonnisi improprie et extrinsecus secundario significato tribuitur: unde significatum istud non per se definitur, sed per principalius, quia non denominatur tale nisi ab extrinseca forma [3]. Hinc non datur conceptus omnibus analogatis communis, nec proinde potest esse medium demonstrationis, quia medium demonstrationis ex conceptu accipiendum est, ut melius postea dicemus.

Hæc altera analogia attributionis proprie ad interpretationem accommodatam pertinet, nisi cujusque licentiis nulla regula imponenda esse dicatur.

[1] *Disp. Metaph.* Disp. XXVIII, sect. 5.
[2] Cf. S. Th. *De verit.* q. II, a. 11; Cajet. *In I.,* q. XIII, a. 6.
[3] Cf. S. Th. I. q. XIII, a. 6.

II.

De sensibus Scripturæ, respectu habito ad objectum.

192. — Propositio. *Scripturæ sensus, si considerentur respectu habito ad ea quæ in eisdem continentur, sunt quinque, scilicet : historicus, propheticus, allegoricus, anagogicus et tropologicus.*

Sensus propositionis est unumquemque ex prædictis tribus sensibus, scil. explicitum, implicitum et accommodatum, esse etiam posse historicum, propheticum, etc.

Historicum autem dicimus sensum qui res gestas narrat; propheticum, qui res gerendas; allegoricum, qui credenda proponit; anagogicum, qui speranda; tropologicum, qui facienda. Quas significationes præ se ferunt ipsamet vocabula, siquidem ducuntur ab ιστορέω, inspicio; προφημί, prædico; ἀλληγορέω, alia innuo; ἀνάγω, sursum fero; τρόπους λέγω, de moribus dico.

Probatur propositio.

a) Auctoritate theologorum.

Duo enim priores sensus, historicus nempe et propheticus, ab aliquibus recentioribus, non male significatu prædicto inducuntur. Ratio est quia non secus ac cæteri, ut mox dicturi sumus, proprium objectum habent [1].

Tres vero posteriores sensus passim ab interpretibus admittuntur, sive universaliori significatu, sive strictiori adnexione ad sensum litteralem, mediante sensu typico, juxta illos tritiores tritissimosque versiculos:

Littera gesta docet; quid credas, allegoria;
Moralis quid agas; quo tendas anagogia.

Nec ratio est cur idem non asseratur cum de sensu consequenti, tum de accommodato, siquidem isti et credenda, et speranda, et agenda referre prorsus possunt [2].

193. — *b*) Idem ex rerum natura statuitur. Scripturæ enim nihil aliud sunt quam " Historia mundi conditi, rerumque a mundo condito gestarum, non tantum usque ad consummationem sæculi; sed et gerendarum in futuro sæculo [3], " imprimis quoad supernaturalia.

[1] Cf. Patrizi, *De Interpr. Script.*

[2] Serarius sensum *catagogicum* invexit ubi de inferno agitur. Qui tamen superfluit, siquidem ubi de cœlo ibi de inferno per oppositum agi potest.

[3] Opstræt, *De Loc. theol.* Diss. I, q. VII; Graveson, *De Script. Sacr.* p. II, § IV; p. III, § III; Penzi, *Theol. Rud.* Lib. II, cap. II.

Atqui in iis omnibus patet admittendam esse hanc rerum distinctionem, qua discernantur ea quæ speciali providentia fecit ipse Deus, ab iis quæ exequuntur homines. Deus autem quoad supernaturalia agit exterius tum per facta mirabilia, quibus potentiam propriam ostendit; tum per prophetias, quibus ostendit scientiam. Scriptura ergo facta illa *sensu historico* narrat; istas autem *sensu prophetico.* Homo autem, præsertim in supernaturalibus, de quibus in Scriptura agitur specialius, virtutibus fidei, spei et charitatis ducitur: ubi igitur Scriptura indicat vel fide credenda, vel spe expectanda, vel charitate agenda, sensum vel *allegoricum*, vel *anagogicum*, vel *tropologicum* præ se fert. Unde S. Bonaventura, etsi strictiori sensu, dixit: " Intellectus Scripturæ mysticus est tripartitus: nam alius allegoricus, alius anagogicus, alius tropologicus, quorum primus servit fidei, secundus spei, et tertius charitati [1]. „

DIFFICULTAS

194. — *Obj.* Nova est illa sensuum divisio: ergo falsa.

Resp. Dist. Nova est quoad formam et ex parte, *Trans.;* quoad rerum naturam, *Neg.* et *neg. conseq.* — Facile namque est ostendere primi nominis theologos propositioni nostræ favisse. Haud secus v. gr. Bañez fatetur sensum allegoricum in sensu litterali et in sensu mystico inveniri posse: " Advertat theologus, ait, duplicem esse allegoriam, ut docet Augustinus, lib. XV *de Trinit.*, cap. IX, alteram in vocibus, alteram in rebus. Allegoria in vocibus nihil aliud est quam longa quædam et continuata metaphora. Exemplum est *ad Rom.* XIII: " Hora est jam nos de somno surgere. „ Et hæc allegoria ad sensum litteralem pertinet, sicut et oratio parabolica, sicut D. Th. in solut. ad 3. Altera vero allegoria est in rebus ipsis gestis, et litteraliter significatis, quando eadem res significata et gesta aliam rursus ex divina institutione significat. Et hujusmodi allegoria pertinet ad sensum mysticum [2]. „

Audacius Opstræt: " Quadruplex distingui potest sensus lit-

[1] *In Ps.* CXVIII, cap. VIII, a. 3. Aliam hujus distinctionis rationem habes apud *S. Th.* 1ª q. I, a. 10. De qua vide Bañez, *in h. l.* — Cf. Clem. Alex., *Strom.* II.

[2] In Iªᵐ q. I, a. 10.

teralis: Historicus, moralis seu tropologicus, allegoricus, anagogicus „..... “ Trifariam dividitur sensus mysticus, in tropologicum, seu moralem, in allegoricum et in anagogicum [1]. „

Ita quisque pro ingenii indole aliter vel aliter sensus prædictos accepit; nec nos aliud hic pro modulo nostro tentamus nisi strictiorem vetustioris doctrinæ explanationem [2].

III.
De Scripturæ sensibus respectu habito ad expressionis modum.

195. — Propositio. *Scripturæ sensus, si consideretur respectu habito ad expressionis modum, erit vel proprius, seu* κατὰ λέξιν; *vel translatus, seu metaphoricus,* κατὰ τρόπον.

Assertum hoc nostrum rursus intelligendum est de omnibus prædictis sensibus.

Probatur.

a) Ex Scripturarum auctoritate. Nisi enim præter ea quæ verbo proprio exprimuntur, et sensu proprio interpretanda sunt, plurima sensu metaphorico seu translato interpretatus fueris, innumera absurda Scripturis contineri fatendum erit, ut puta Deo manus competere, Christum esse leonem, etc. Ergo ipsæmet Scripturæ sensum metaphoricum et translatum necessario admitti jubent.

b) Ita interpretata est utraque Ecclesia, judaica scilicet et christiana.

c) Haud secus perpetuo Patres et Doctores, dum v. gr. interpretantur Christi parabolas, vel anthropomorphitarum insanias refellunt, et in aliis hujusmodi fere innumeris.

Confirmatur ex archæologia, siquidem et ipsa artium monumenta metaphoras præbent, v. g. dum Christum forma pastoris induunt. Utriusque porro signi, scripti nempe et figurati, eadem est ratio.

196. — *d*) Probatur ratione. Etenim “ aliquid significari potest dupliciter, scilicet secundum proprietatem locutionis, sicut cum dico: Homo ridet; vel secundum similitudinem vel metapho-

[1] *De Loc. Theol.* Diss. I. q. VII.

[2] Quanam verborum farragine involvantur hujusmodi quæstiones disce inter recentiores ex Th. Le Blanc d'Ambonne, *Le langage symbolique des saintes Ecritures;* ex Stoppani: *Sulla Cosmogonia Mosaica*, passim.

ram, sicut cum dico: pratum ridet [1]. „ Sensus nempe proprius habetur ubi sumuntur verba in significatione obvia et naturali, atque sensu proprio objectis adnectuntur, ut in his: " Filius Dei sum [2]; „ translatus autem, ubi verba non significatione propria sed similitudinaria objecto adhibentur, ut in istis: " Ego sum vitis, vos palmites [3]. „ Haud secus habebitur sensus translatus in allegoriis, ubi metaphora per integram sententiam continuatur; et in parabolis, ubi ipsamet allegoria tamquam factum aliquod narratur: " Parabola (enim) est sermo similitudinarius, qui aliud dicit et aliud significat [4]. „

Attamen ad pariendum sensum metaphoricum requiri videtur metaphoram non ita in usu receptam esse, ut non amplius cum significato idem esse appareat, sicut aliquando in *catachresi* evenit. Dum enim nominantur v. gr. *cornua altaris*, non habetur sensus proprie metaphoricus, siquidem metaphora illa adeo frequens evasit ut immediate, et absque comparationis ope, phantasia ad significatum perveniat.

His ita positis, patet omnes et singulos ex prædictis Scripturarum sensibus verbis metaphoricis exprimi posse, indeque sensum translatum haberi.

Cæterum " conveniens est S. Scripturæ divina et spiritualia sub similitudine corporalium tradere. Deus enim omnibus providet secundum quod competit eorum naturæ. Est autem naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet. Unde convenienter in Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium, et hoc est quod dicit Dionysius, cap. I *Cœl. Hier.*: Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. — Convenit etiam sacræ Scripturæ quæ communiter omnibus proponitur, secundum illud ad Romanos, cap. I: " Sapientibus et insipientibus debitor sum, „ ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei [5]. „

[1] *S. Th. In Is.* XIV, in princ. Cf. *Epist. ad Gal.* cap. IV, Lec. VII.
[2] Matth. XXVII, 43. [3] Joan. XV, 5. [4] S. Th. *In Is.* XIV.
[5] *S. Th.* I. q. I, a. 10. – Cf. *Cont. Gent.* III, cap. 110. *Quodl.* IV, q. 1. Cf. Bañez, In 1am q. I, a. 10, ubi undecim et quidem egregias affert et explanat rationes cur Scriptura metaphoris utatur.

Ergo et in Scripturis invenietur sensus metaphoricus simul et proprius.

Dices vix intelligi posse usum metaphoræ in sensu consequenti, cum iste per argumentationem educatur; nullatenus autem arguendum sit per metaphoras.

Resp. neg. supp. Sensus namque ipse consequens, etsi rarius, exprimi aliqua metaphora potest, sicut ostendit et ipse Christus, dum collegit nos esse *palmites*, aut *oves*, quia ipse fuit *vitis* vel *pastor*.

§ 2.

Quomodo explanandi sunt Scripturæ sensus.

197. — Quia autem, juxta Augustinum, „ duæ sunt res quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi quæ intelligenda sunt [1], et modus proferendi quæ intellecta sunt, „ de utroque nobis agendum occurrit.

I.

Quomodo inveniendi sunt Scripturæ sensus.

Vix prodesset didicisse utrum et quinam sensus in Scripturis lateant, nisi et disceremus eosdem haurire et gustare: in quo plurimum peccant hodierni, dum Scripturæ *bibliographiam* optime callent, exterioraque apprime noscunt, vix autem proficiunt in illo studio, quia Scripturarum cortica contenti, medullam despiciunt. Unde, cum hodierni antiquos superent in illa extrinseca eruditione, multum tamen ab antiquis, præsertim doctioribus, in illa rerum intrinsecarum scientia superantur. Quis, precor, penitius apostoli Pauli Epistolas investigavit, indeque copiosiores doctrinæ thesauros asportavit quam Thomas Angelicus? Quod et tu aliquatenus consequeris, dummodo hæc ejusdem Angelici monita præ oculis habeas: „ Quædam disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit; et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur; alioquin si nudis [2] auctoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor

[1] *Doctr. Chr.* L. I, c. I.

[2] Plures *Quodlibetorum* editiones stulte habent *nullis*.

ram, sicut cum dico: pratum ridet [1]. „ Sensus nempe proprius habetur ubi sumuntur verba in significatione obvia et naturali, atque sensu proprio objectis adnectuntur, ut in his: " Filius Dei sum [2]; „ translatus autem, ubi verba non significatione propria sed similitudinaria objecto adhibentur, ut in istis: " Ego sum vitis, vos palmites [3]. „ Haud secus habebitur sensus translatus in allegoriis, ubi metaphora per integram sententiam continuatur; et in parabolis, ubi ipsamet allegoria tamquam factum aliquod narratur: " Parabola (enim) est sermo similitudinarius, qui aliud dicit et aliud significat [4]. „

Attamen ad pariendum sensum metaphoricum requiri videtur metaphoram non ita in usu receptam esse, ut non amplius cum significato idem esse appareat, sicut aliquando in *catachresi* evenit. Dum enim nominantur v. gr. *cornua altaris*, non habetur sensus proprie metaphoricus, siquidem metaphora illa adeo frequens evasit ut immediate, et absque comparationis ope, phantasia ad significatum perveniat.

His ita positis, patet omnes et singulos ex prædictis Scripturarum sensibus verbis metaphoricis exprimi posse, indeque sensum translatum haberi.

Cæterum " conveniens est S. Scripturæ divina et spiritualia sub similitudine corporalium tradere. Deus enim omnibus providet secundum quod competit eorum naturæ. Est autem naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet. Unde convenienter in Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium, et hoc est quod dicit Dionysius, cap. I *Cœl. Hier.:* Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. — Convenit etiam sacræ Scripturæ quæ communiter omnibus proponitur, secundum illud ad Romanos, cap. I: " Sapientibus et insipientibus debitor sum, „ ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei [5]. „

[1] *S. Th. In Is.* XIV, in princ. Cf. *Epist. ad Gal.* cap. IV, Lec. VII.

[2] Matth. XXVII, 43. [3] Joan. XV, 5. [4] S. Th. *In Is.* XIV.

[5] *S. Th.* I. q. I, a. 10. — Cf. *Cont. Gent.* III, cap. 110. *Quodl.* IV, q. 1. Cf. Bañez, In 1am q. I, a. 10, ubi undecim et quidem egregias affert et explanat rationes cur Scriptura metaphoris utatur.

Ergo et in Scripturis invenietur sensus metaphoricus simul et proprius.

Dices vix intelligi posse usum metaphoræ in sensu consequenti, cum iste per argumentationem educatur; nullatenus autem arguendum sit per metaphoras.

Resp. neg. supp. Sensus namque ipse consequens, etsi rarius, exprimi aliqua metaphora potest, sicut ostendit et ipse Christus, dum collegit nos esse *palmites*, aut *oves*, quia ipse fuit *vitis* vel *pastor*.

§ 2.

Quomodo explanandi sunt Scripturæ sensus.

197. — Quia autem, juxta Augustinum, " duæ sunt res quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi quæ intelligenda sunt [1], et modus proferendi quæ intellecta sunt, „ de utroque nobis agendum occurrit.

I.

Quomodo inveniendi sunt Scripturæ sensus.

Vix prodesset didicisse utrum et quinam sensus in Scripturis lateant, nisi et disceremus eosdem haurire et gustare: in quo plurimum peccant hodierni, dum Scripturæ *bibliographiam* optime callent, exterioraque apprime noscunt, vix autem proficiunt in illo studio, quia Scripturarum cortica contenti, medullam despiciunt. Unde, cum hodierni antiquos superent in illa extrinseca eruditione, multum tamen ab antiquis, præsertim doctioribus, in illa rerum intrinsecarum scientia superantur. Quis, precor, penitius apostoli Pauli Epistolas investigavit, indeque copiosiores doctrinæ thesauros asportavit quam Thomas Angelicus? Quod et tu aliquatenus consequeris, dummodo hæc ejusdem Angelici monita præ oculis habeas: " Quædam disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit; et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur; alioquin si nudis [2] auctoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor

[1] *Doctr. Chr.* L. I, c. I.

[2] Plures *Quodlibetorum* editiones stulte habent *nullis*.

ram, sicut cum dico: pratum ridet [1]. „ Sensus nempe proprius habetur ubi sumuntur verba in significatione obvia et naturali, atque sensu proprio objectis adnectuntur, ut in his: “ Filius Dei sum [2]; „ translatus autem, ubi verba non significatione propria sed similitudinaria objecto adhibentur, ut in istis: “ Ego sum vitis, vos palmites [3]. „ Haud secus habebitur sensus translatus in allegoriis, ubi metaphora per integram sententiam continuatur; et in parabolis, ubi ipsamet allegoria tamquam factum aliquod narratur: “ Parabola (enim) est sermo similitudinarius, qui aliud dicit et aliud significat [4]. „

Attamen ad pariendum sensum metaphoricum requiri videtur metaphoram non ita in usu receptam esse, ut non amplius cum significato idem esse appareat, sicut aliquando in *catachresi* evenit. Dum enim nominantur v. gr. *cornua altaris*, non habetur sensus proprie metaphoricus, siquidem metaphora illa adeo frequens evasit ut immediate, et absque comparationis ope, phantasia ad significatum perveniat.

His ita positis, patet omnes et singulos ex prædictis Scripturarum sensibus verbis metaphoricis exprimi posse, indeque sensum translatum haberi.

Cæterum “ conveniens est S. Scripturæ divina et spiritualia sub similitudine corporalium tradere. Deus enim omnibus providet secundum quod competit eorum naturæ. Est autem naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet. Unde convenienter in Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium, et hoc est quod dicit Dionysius, cap. I *Cœl. Hier.:* Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. — Convenit etiam sacræ Scripturæ quæ communiter omnibus proponitur, secundum illud ad Romanos, cap. I: “ Sapientibus et insipientibus debitor sum, „ ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei [5]. „

[1] *S. Th. In Is.* XIV, in princ. Cf. *Epist. ad Gal.* cap. IV, Lec. VII.
[2] Matth. XXVII, 43. [3] Joan. XV, 5. [4] S. Th. *In Is.* XIV.
[5] *S. Th.* I. q. I, a. 10. — Cf. *Cont. Gent.* III, cap. 110. *Quodl.* IV, q. 1. Cf. Bañez, In 1am q. I, a. 10, ubi undecim et quidem egregias affert et explanat rationes cur Scriptura metaphoris utatur.

Ergo et in Scripturis invenietur sensus metaphoricus simul et proprius.

Dices vix intelligi posse usum metaphoræ in sensu consequenti, cum iste per argumentationem educatur; nullatenus autem arguendum sit per metaphoras.

Resp. neg. supp. Sensus namque ipse consequens, etsi rarius, exprimi aliqua metaphora potest, sicut ostendit et ipse Christus, dum collegit nos esse *palmites*, aut *oves*, quia ipse fuit *vitis* vel *pastor*.

§ 2.

Quomodo explanandi sunt Scripturæ sensus.

197. — Quia autem, juxta Augustinum, " duæ sunt res quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi quæ intelligenda sunt [1], et modus proferendi quæ intellecta sunt, " de utroque nobis agendum occurrit.

I.

Quomodo inveniendi sunt Scripturæ sensus.

Vix prodesset didicisse utrum et quinam sensus in Scripturis lateant, nisi et disceremus eosdem haurire et gustare: in quo plurimum peccant hodierni, dum Scripturæ *bibliographiam* optime callent, exterioraque apprime noscunt, vix autem proficiunt in illo studio, quia Scripturarum cortica contenti, medullam despiciunt. Unde, cum hodierni antiquos superent in illa extrinseca eruditione, multum tamen ab antiquis, præsertim doctioribus, in illa rerum intrinsecarum scientia superantur. Quis, precor, penitius apostoli Pauli Epistolas investigavit, indeque copiosiores doctrinæ thesauros asportavit quam Thomas Angelicus? Quod et tu aliquatenus consequeris, dummodo hæc ejusdem Angelici monita præ oculis habeas: " Quædam disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit; et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur; alioquin si nudis [2] auctoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor

[1] *Doctr. Chr.* L. I, c. I.

[2] Plures *Quodlibetorum* editiones stulte habent *nullis*.

quod ita est; sed nihil scientiæ vel intellectus acquiret; sed vacuus abscedet [1]. „ Quam doctrinam præ oculis semper habuit Angelicus in interpretandis Scripturis, unde et ipse quoad *intelligentiam* textus magister omnium dicendus est.

Quo ergo melius Scripturarum sensum intelligamus, id est *intus legamus*, hic indicandum occurrit primo quænam *obstacula removenda sint*, secundo *quænam media adhibenda* ad intellectionem illam adipiscendam.

I. De removendis obstaculis quoad Scripturarum intellectionem.

198. — Impedimenta hæc tum ex *parte legentis*, tum ex *parte libri* dari possunt: unde de utrisque tractandum venit.

Propositio I. *Impedimenta ex parte legentis sunt quæ vel prohibent divinam gratiam Scripturæ intelligendæ necessariam; vel humanam actionem perturbant.*

Ad intelligentiam cujuscumque veritatis, at vero *a fortiori* ad intelligentiam veritatis supernaturalis, necessaria est Dei gratia [2]: atqui peccatum impedit gratiam: ergo imprimis vitandum est peccatum.

Impedimenta autem quæ ipsam hominis perturbant et lædunt operationem sunt vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis.

Ex parte intellectus occurrit imprimis ignorantia, non quidem ipsius Scripturæ quæ nondum cognita supponitur, sed ipsius rei religionis, et aliarum scientiarum religioni attinentium: unde nec ipsa necessitas cognoscendi apparet.

Ex parte autem voluntatis impedimenta sunt vitia et passiones, præsertim superbia [3], quæ primo ipsius intelligentiæ exercitium imminuunt, et secundo respuunt Scripturæ doctrinam prout sibi ipsis contrariam: unde et vincendæ sunt passiones.

199. — Propositio II. *Impedimenta ex parte Scripturæ sunt vel a verbis, vel a rebus, vel ab utrisque simul.*

Difficultates ex verbis oriuntur vel quia ignoratur lingua qua scriptus liber fuit: unde discendæ sunt linguæ quibus libri

[1] *Quodl.* XII, art. 18. — Cf. *Cont. Gent.* Lib. I, cap. II. [2] Cf. *Sap.* I, 1-6.
[3] Cf. Aug., *De Doctr. Christ.* Lib. II, c. III. — Serm. VIII (vel CCXXXVI). — Bernardus, *De vita Solit.* cap. X. In quo peccant hodierni qui hoc præjudicio Scripturis incumbunt quod in eis nihil contineatur quod non intelligant.

sacri conscripti fuerunt, et linguæ viciniores; vel quia, etsi cognoscatur lingua, tamen litterarum characterumque forma ignoratur, quod sæpe sæpius evenit in antiquis codicibus: unde discenda quandoque est palæographia.

200. — Difficultates nonnullæ ex rebus littera significatis procedunt. Quandoque enim res narratæ vel intellectum humanum omnino superant, qualia sunt mysteria; vel admodum difficiles intellectu sunt, v. gr. peccatum originale, etc.: hic errores vitabuntur si theologiam prius didiceris. Quandoque sunt res simpliciter humanæ: earum vero ita ignorantur circumstantiæ temporis et loci, modus, indoles, etc. ut minus clare et perspicue intelligi possint, nisi antiquitatis scientiam calleas.

201. — Ex illis difficultatibus sive verbo, sive rei propriis, oritur et alia utrique communis, seu ad verba et ad sensum respiciens. Etenim minus cognita re ipsa de qua agitur, minus innotescit signum seu verbum; cæterum minus cognitis circumstantiis illis quibus informata fuit auctorum imaginatio in scribendo, inde minus innotescit et ipse modus significandi et objectum significatum, quia minus perspectæ habebuntur et verbi mentalis et verbi oralis significationes. Hinc troporum, metaphorarum, immo omnium *figurarum verbi et sensus*, de quibus rhetorici agunt, obscuritates et ambiguitates perdiscere debebis, et linguarum ac usuum cognitione et collatione auferre.

Quæ omnia jamdiu exposuerat S. Doctor Augustinus, quidquid hodierni sese quasi artis criticæ inventores jactitent: " Homo præmunitus scientia linguarum, inquit, ne in verbis locutionibusque ignotis hæreat, præmunitus etiam cognitione quarumdam rerum necessariarum, ne vim naturamve earum quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret, adjuvante etiam codicum veritate, quam solers emendationis diligentia procuravit; veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque solvenda [1]. "

II. De mediis adhibendis ad intellectionem sacræ Scripturæ.

202. — Duo sunt illa media, scil., *discere* et *inquirere;* accipere ab alio, et invenire propriis viribus [2]. " Præexistunt in nobis,

[1] *De Doctr. Christ.* L. III. Cf. *Cont. Faust.* XI.
[2] Cf. 2. 2. q. XLIX, a. 4.

quod ita est; sed nihil scientiæ vel intellectus acquiret; sed vacuus abscedet [1]. „ Quam doctrinam præ oculis semper habuit Angelicus in interpretandis Scripturis, unde et ipse quoad *intelligentiam* textus magister omnium dicendus est.

Quo ergo melius Scripturarum sensum intelligamus, id est *intus legamus*, hic indicandum occurrit primo quænam *obstacula removenda sint*, secundo *quænam media adhibenda* ad intellectionem illam adipiscendam.

I. De removendis obstaculis quoad Scripturarum intellectionem.

198. — Impedimenta hæc tum ex *parte legentis*, tum ex *parte libri* dari possunt: unde de utrisque tractandum venit.

Propositio I. *Impedimenta ex parte legentis sunt quæ vel prohibent divinam gratiam Scripturæ intelligendæ necessariam; vel humanam actionem perturbant.*

Ad intelligentiam cujuscumque veritatis, at vero *a fortiori* ad intelligentiam veritatis supernaturalis, necessaria est Dei gratia [2]: atqui peccatum impedit gratiam: ergo imprimis vitandum est peccatum.

Impedimenta autem quæ ipsam hominis perturbant et lædunt operationem sunt vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis.

Ex parte intellectus occurrit imprimis ignorantia, non quidem ipsius Scripturæ quæ nondum cognita supponitur, sed ipsius rei religionis, et aliarum scientiarum religioni attinentium: unde nec ipsa necessitas cognoscendi apparet.

Ex parte autem voluntatis impedimenta sunt vitia et passiones, præsertim superbia [3], quæ primo ipsius intelligentiæ exercitium imminuunt, et secundo respuunt Scripturæ doctrinam prout sibi ipsis contrariam: unde et vincendæ sunt passiones.

199. — Propositio II. *Impedimenta ex parte Scripturæ sunt vel a verbis, vel a rebus, vel ab utrisque simul.*

Difficultates ex verbis oriuntur vel quia ignoratur lingua qua scriptus liber fuit: unde discendæ sunt linguæ quibus libri

[1] *Quodl.* XII, art. 18. — Cf. *Cont. Gent.* Lib. I, cap. II. [2] Cf. *Sap.* I, 1-6.

[3] Cf. Aug., *De Doctr. Christ.* Lib. II, c. III. — Serm. VIII (vel CCXXXVI). — Bernardus, *De vita Solit.* cap. X. In quo peccant hodierni qui hoc præjudicio Scripturis incumbunt quod in eis nihil contineatur quod non intelligant.

sacri conscripti fuerunt, et linguæ viciniores; vel quia, etsi cognoscatur lingua, tamen litterarum characterumque forma ignoratur, quod sæpe sæpius evenit in antiquis codicibus: unde discenda quandoque est palæographia.

200. — Difficultates nonnullæ ex rebus littera significatis procedunt. Quandoque enim res narratæ vel intellectum humanum omnino superant, qualia sunt mysteria; vel admodum difficiles intellectu sunt, v. gr. peccatum originale, etc.: hic errores vitabuntur si theologiam prius didiceris. Quandoque sunt res simpliciter humanæ: earum vero ita ignorantur circumstantiæ temporis et loci, modus, indoles, etc. ut minus clare et perspicue intelligi possint, nisi antiquitatis scientiam calleas.

201. — Ex illis difficultatibus sive verbo, sive rei propriis, oritur et alia utrique communis, seu ad verba et ad sensum respiciens. Etenim minus cognita re ipsa de qua agitur, minus innotescit signum seu verbum; cæterum minus cognitis circumstantiis illis quibus informata fuit auctorum imaginatio in scribendo, inde minus innotescit et ipse modus significandi et objectum significatum, quia minus perspectæ habebuntur et verbi mentalis et verbi oralis significationes. Hinc troporum, metaphorarum, immo omnium *figurarum verbi et sensus*, de quibus rhetorici agunt, obscuritates et ambiguitates perdiscere debebis, et linguarum ac usuum cognitione et collatione auferre.

Quæ omnia jamdiu exposuerat S. Doctor Augustinus, quidquid hodierni sese quasi artis criticæ inventores jactitent: " Homo præmunitus scientia linguarum, inquit, ne in verbis locutionibusque ignotis hæreat, præmunitus etiam cognitione quarumdam rerum necessariarum, ne vim naturamve earum quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret, adjuvante etiam codicum veritate, quam solers emendationis diligentia procuravit; veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque solvenda [1]. "

II. De mediis adhibendis ad intellectionem sacræ Scripturæ.

202. — Duo sunt illa media, scil., *discere* et *inquirere;* accipere ab alio, et invenire propriis viribus [2]. " Præexistunt in nobis,

[1] *De Doctr. Christ.* L. III. Cf. *Cont. Faust.* XI.
[2] Cf. 2. 2. q. XLIX, a. 4.

inquit Angelicus, quædam scientiarum semina, scilicet primæ conceptiones intellectus..... Quando ex istis universalibus cognitionibus mens educitur ut actu cognoscat particularia, quæ prius in potentia et quasi in universali cognoscebantur, tunc aliquis dicitur scientiam acquirere.

" Sciendum tamen est quod in naturalibus rebus aliquid præexistit in potentia dupliciter: uno modo in potentia activa completa;..... alio modo in potentia passiva..... Scientia præexistit in addiscente in potentia non pure passiva, sed activa: alias homo non posset per se ipsum acquirere scientiam. Sicut ergo aliquis dupliciter sanatur, uno modo per operationem naturæ tantum, alio modo a natura cum adminiculo medicinæ, ita etiam est duplex modus acquirendi scientiam: unus, quando naturalis ratio per se ipsam devenit in cognitionem ignotorum, et hic modus dicitur inventio; alius quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur disciplina [1]. "

Sed vero, " quamvis modus in acquisitione scientiæ per inventionem sit perfectior ex parte recipientis scientiam, in quantum designatur habilior ad sciendum; tamen ex parte scientiam causantis est modus perfectior per doctrinam, quia docens qui explicite totam scientiam novit, expeditius potest ad scientiam inducere, quam aliquis induci possit ex se ipso, per hoc quod cognoscit scientiæ principia in quadam communitate [2]. "

Igitur prius dicendum est de medio acquirendi Scripturæ scientiam quod est *per doctrinam;* postea de medio quod est *per propriam inquisitionem.*

1. De medio Scripturas intelligendi, quod est per disciplinam.

203. — Quia disciplina a magistro accipitur, notandum est magistrum esse posse vel *authenticum*, qui solemniter et publice constituitur ad docendum; vel *doctrinalem*, qui etsi ad docendum publice non constituatur, attamen tantæ scientiæ et auctoritatis esse potest, ut sapienter prudenterque audiendus sit. De utroque dicendum.

[1] Q. Disp. *De Magistro*, a. 1.
[2] Quæst. Disp. *De Magistro*, art. II ad 4m.

1. De magisterio authentico circa intelligendas Scripturas.

204. — Propositio. *Magisterium authenticum ad intelligendas Scripturas competit Ecclesiæ circa res fidei et morum.*

Hic Ecclesiam intelligimus societatem illam vivam et spiritualem, a Christo institutam, quæ in veritatis supernaturalis semita absque errore ducitur, quæque sensum suum exprimere potest tum ore Summi Pontificis, tum Conciliorum aut Patrum consensu, tum etiam omnium subditorum explicita vel implicita professione [1], etc., sive *directe* asserendo, sive *indirecte* contraria damnando.

Probatur.

a) Ita imprimis asserit ipsa Ecclesia, unde vaticanum Concilium: " Quoniam quæ sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinæ Scripturæ, ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, nos idem decretum renovantes, hanc illius mentem declaramus, ut in rebus fidei et morum [2], ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari [3]. "

b) Ita Patres passim docuerunt: " Ego Evangelio non crederem, inquit Augustinus, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas [4]. " Et addit: " Quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat [5]. "

[1] Qualis esse debeat Patrum, vel theologorum aut fidelium consensio, infra dicetur ubi de *auctoritate Ecclesiæ*.

[2] Circa alia enim Ecclesia vix profert judicium, v. gr. quoad Chronologiam, Geographiam, etc.

[3] Const. *Dei Filius*, c. II. Cf. *Concill. Milev.* II, c. II; *Trull.* Can. 19; *Trid.* Sess. IV.

[4] *Cont. Epist. Fundam.* c. V. — Cf. *Cont. Faust.* L. XI, cap. II et in fine operis.

[5] *Cont. Crescon.* L. I, c. XXXIII. Cf. Iren. *Cont. hær.* L. III, c. III; Tertull. *De Præscr.* cap. XIX-XXI; Orig., *In Matth.* Tract. XXIX, n. 46; Clem. Alex., *Stromat.* L. VII, cap. XVI, XVII; Hieron., *Ad Eustoch.*; Basil., *De Spirit. S.* c. XII, etc.

quod ita est; sed nihil scientiæ vel intellectus acquiret; sed vacuus abscedet [1]. „ Quam doctrinam præ oculis semper habuit Angelicus in interpretandis Scripturis, unde et ipse quoad *intelligentiam* textus magister omnium dicendus est.

Quo ergo melius Scripturarum sensum intelligamus, id est *intus legamus*, hic indicandum occurrit primo quænam *obstacula removenda sint*, secundo *quænam media adhibenda* ad intellectionem illam adipiscendam.

I. De removendis obstaculis quoad Scripturarum intellectionem.

198. — Impedimenta hæc tum ex *parte legentis*, tum ex *parte libri* dari possunt: unde de utrisque tractandum venit.

Propositio I. *Impedimenta ex parte legentis sunt quæ vel prohibent divinam gratiam Scripturæ intelligendæ necessariam; vel humanam actionem perturbant.*

Ad intelligentiam cujuscumque veritatis, at vero *a fortiori* ad intelligentiam veritatis supernaturalis, necessaria est Dei gratia [2]: atqui peccatum impedit gratiam: ergo imprimis vitandum est peccatum.

Impedimenta autem quæ ipsam hominis perturbant et lædunt operationem sunt vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis.

Ex parte intellectus occurrit imprimis ignorantia, non quidem ipsius Scripturæ quæ nondum cognita supponitur, sed ipsius rei religionis, et aliarum scientiarum religioni attinentium: unde nec ipsa necessitas cognoscendi apparet.

Ex parte autem voluntatis impedimenta sunt vitia et passiones, præsertim superbia [3], quæ primo ipsius intelligentiæ exercitium imminuunt, et secundo respuunt Scripturæ doctrinam prout sibi ipsis contrariam: unde et vincendæ sunt passiones.

199. — Propositio II. *Impedimenta ex parte Scripturæ sunt vel a verbis, vel a rebus, vel ab utrisque simul.*

Difficultates ex verbis oriuntur vel quia ignoratur lingua qua scriptus liber fuit: unde discendæ sunt linguæ quibus libri

[1] *Quodl.* XII, art. 18. — Cf. *Cont. Gent.* Lib. I, cap. II. [2] Cf. *Sap.* I, 1-6.

[3] Cf. Aug., *De Doctr. Christ.* Lib. II, c. III. — Serm. VIII (vel CCXXXVI). — Bernardus, *De vita Solit.* cap. X. In quo peccant hodierni qui hoc præjudicio Scripturis incumbunt quod in eis nihil contineatur quod non intelligant.

sacri conscripti fuerunt, et linguæ viciniores; vel quia, etsi cognoscatur lingua, tamen litterarum characterumque forma ignoratur, quod sæpe sæpius evenit in antiquis codicibus: unde discenda quandoque est palæographia.

200. — Difficultates nonnullæ ex rebus littera significatis procedunt. Quandoque enim res narratæ vel intellectum humanum omnino superant, qualia sunt mysteria; vel admodum difficiles intellectu sunt, v. gr. peccatum originale, etc.: hic errores vitabuntur si theologiam prius didiceris. Quandoque sunt res simpliciter humanæ: earum vero ita ignorantur circumstantiæ temporis et loci, modus, indoles, etc. ut minus clare et perspicue intelligi possint, nisi antiquitatis scientiam calleas.

201. — Ex illis difficultatibus sive verbo, sive rei propriis, oritur et alia utrique communis, seu ad verba et ad sensum respiciens. Etenim minus cognita re ipsa de qua agitur, minus innotescit signum seu verbum; cæterum minus cognitis circumstantiis illis quibus informata fuit auctorum imaginatio in scribendo, inde minus innotescit et ipse modus significandi et objectum significatum, quia minus perspectæ habebuntur et verbi mentalis et verbi oralis significationes. Hinc troporum, metaphorarum, immo omnium *figurarum verbi et sensus*, de quibus rhetorici agunt, obscuritates et ambiguitates perdiscere debebis, et linguarum ac usuum cognitione et collatione auferre.

Quæ omnia jamdiu exposuerat S. Doctor Augustinus, quidquid hodierni sese quasi artis criticæ inventores jactitent: " Homo præmunitus scientia linguarum, inquit, ne in verbis locutionibusque ignotis hæreat, præmunitus etiam cognitione quarumdam rerum necessariarum, ne vim naturamve earum quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret, adjuvante etiam codicum veritate, quam solers emendationis diligentia procuravit; veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque solvenda [1]. "

II. De mediis adhibendis ad intellectionem sacræ Scripturæ.

202. — Duo sunt illa media, scil., *discere* et *inquirere;* accipere ab alio, et invenire propriis viribus [2]. " Præexistunt in nobis,

[1] *De Doctr. Christ.* L. III. Cf. *Cont. Faust.* XI.
[2] Cf. 2. 2. q. XLIX, a. 4.

quod ita est; sed nihil scientiæ vel intellectus acquiret; sed vacuus abscedet [1]. „ Quam doctrinam præ oculis semper habuit Angelicus in interpretandis Scripturis, unde et ipse quoad *intelligentiam* textus magister omnium dicendus est.

Quo ergo melius Scripturarum sensum intelligamus, id est *intus legamus*, hic indicandum occurrit primo quænam *obstacula removenda sint*, secundo *quænam media adhibenda* ad intellectionem illam adipiscendam.

I. De removendis obstaculis quoad Scripturarum intellectionem.

198. — Impedimenta hæc tum ex *parte legentis*, tum ex *parte libri* dari possunt: unde de utrisque tractandum venit.

Propositio I. *Impedimenta ex parte legentis sunt quæ vel prohibent divinam gratiam Scripturæ intelligendæ necessariam; vel humanam actionem perturbant.*

Ad intelligentiam cujuscumque veritatis, at vero *a fortiori* ad intelligentiam veritatis supernaturalis, necessaria est Dei gratia [2]: atqui peccatum impedit gratiam: ergo imprimis vitandum est peccatum.

Impedimenta autem quæ ipsam hominis perturbant et lædunt operationem sunt vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis.

Ex parte intellectus occurrit imprimis ignorantia, non quidem ipsius Scripturæ quæ nondum cognita supponitur, sed ipsius rei religionis, et aliarum scientiarum religioni attinentium: unde nec ipsa necessitas cognoscendi apparet.

Ex parte autem voluntatis impedimenta sunt vitia et passiones, præsertim superbia [3], quæ primo ipsius intelligentiæ exercitium imminuunt, et secundo respuunt Scripturæ doctrinam prout sibi ipsis contrariam: unde et vincendæ sunt passiones.

199. — Propositio II. *Impedimenta ex parte Scripturæ sunt vel a verbis, vel a rebus, vel ab utrisque simul.*

Difficultates ex verbis oriuntur vel quia ignoratur lingua qua scriptus liber fuit: unde discendæ sunt linguæ quibus libri

[1] *Quodl.* xii, art. 18. — Cf. *Cont. Gent.* Lib. i, cap. ii. [2] Cf. *Sap.* i, 1-6.

[3] Cf. Aug., *De Doctr. Christ.* Lib. ii, c. iii. — Serm. viii (vel ccxxxvi). — Bernardus, *De vita Solit.* cap. x. In quo peccant hodierni qui hoc præjudicio Scripturis incumbunt quod in eis nihil contineatur quod non intelligant.

sacri conscripti fuerunt, et linguæ viciniores; vel quia, etsi cognoscatur lingua, tamen litterarum characterumque forma ignoratur, quod sæpe sæpius evenit in antiquis codicibus: unde discenda quandoque est palæographia.

200. — Difficultates nonnullæ ex rebus littera significatis procedunt. Quandoque enim res narratæ vel intellectum humanum omnino superant, qualia sunt mysteria; vel admodum difficiles intellectu sunt, v. gr. peccatum originale, etc.: hic errores vitabuntur si theologiam prius didiceris. Quandoque sunt res simpliciter humanæ: earum vero ita ignorantur circumstantiæ temporis et loci, modus, indoles, etc. ut minus clare et perspicue intelligi possint, nisi antiquitatis scientiam calleas.

201. — Ex illis difficultatibus sive verbo, sive rei propriis, oritur et alia utrique communis, seu ad verba et ad sensum respiciens. Etenim minus cognita re ipsa de qua agitur, minus innotescit signum seu verbum; cæterum minus cognitis circumstantiis illis quibus informata fuit auctorum imaginatio in scribendo, inde minus innotescit et ipse modus significandi et objectum significatum, quia minus perspectæ habebuntur et verbi mentalis et verbi oralis significationes. Hinc troporum, metaphorarum, immo omnium *figurarum verbi et sensus*, de quibus rhetorici agunt, obscuritates et ambiguitates perdiscere debebis, et linguarum ac usuum cognitione et collatione auferre.

Quæ omnia jamdiu exposuerat S. Doctor Augustinus, quidquid hodierni sese quasi artis criticæ inventores jactitent: " Homo præmunitus scientia linguarum, inquit, ne in verbis locutionibusque ignotis hæreat, præmunitus etiam cognitione quarumdam rerum necessariarum, ne vim naturamve earum quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret, adjuvante etiam codicum veritate, quam solers emendationis diligentia procuravit; veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque solvenda [1]. "

II. De mediis adhibendis ad intellectionem sacræ Scripturæ.

202. — Duo sunt illa media, scil., *discere* et *inquirere;* accipere ab alio, et invenire propriis viribus [2]. " Præexistunt in nobis,

[1] *De Doctr. Christ.* L. III. Cf. *Cont. Faust.* XI.
[2] Cf. 2. 2. q. XLIX, a. 4.

inquit Angelicus, quædam scientiarum semina, scilicet primæ conceptiones intellectus..... Quando ex istis universalibus cognitionibus mens educitur ut actu cognoscat particularia, quæ prius in potentia et quasi in universali cognoscebantur, tunc aliquis dicitur scientiam acquirere.

" Sciendum tamen est quod in naturalibus rebus aliquid præexistit in potentia dupliciter: uno modo in potentia activa completa;..... alio modo in potentia passiva..... Scientia præexistit in addiscente in potentia non pure passiva, sed activa: alias homo non posset per se ipsum acquirere scientiam. Sicut ergo aliquis dupliciter sanatur, uno modo per operationem naturæ tantum, alio modo a natura cum adminiculo medicinæ, ita etiam est duplex modus acquirendi scientiam: unus, quando naturalis ratio per se ipsam devenit in cognitionem ignotorum, et hic modus dicitur inventio; alius quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur disciplina [1]. "

Sed vero, " quamvis modus in acquisitione scientiæ per inventionem sit perfectior ex parte recipientis scientiam, in quantum designatur habilior ad sciendum; tamen ex parte scientiam causantis est modus perfectior per doctrinam, quia docens qui explicite totam scientiam novit, expeditius potest ad scientiam inducere, quam aliquis induci possit ex se ipso, per hoc quod cognoscit scientiæ principia in quadam communitate [2]. "

Igitur prius dicendum est de medio acquirendi Scripturæ scientiam quod est *per doctrinam;* postea de medio quod est *per propriam inquisitionem.*

1. De medio Scripturas intelligendi, quod est per disciplinam.

203. — Quia disciplina a magistro accipitur, notandum est magistrum esse posse vel *authenticum*, qui solemniter et publice constituitur ad docendum; vel *doctrinalem*, qui etsi ad docendum publice non constituatur, attamen tantæ scientiæ et auctoritatis esse potest, ut sapienter prudenterque audiendus sit. De utroque dicendum.

[1] Q. Disp. *De Magistro*, a. 1.

[2] Quæst. Disp. *De Magistro*, art. II ad 4m.

1. De magisterio authentico circa intelligendas Scripturas.

204. — Propositio. *Magisterium authenticum ad intelligendas Scripturas competit Ecclesiæ circa res fidei et morum.*

Hic Ecclesiam intelligimus societatem illam vivam et spiritualem, a Christo institutam, quæ in veritatis supernaturalis semita absque errore ducitur, quæque sensum suum exprimere potest tum ore Summi Pontificis, tum Conciliorum aut Patrum consensu, tum etiam omnium subditorum explicita vel implicita professione [1], etc., sive *directe* asserendo, sive *indirecte* contraria damnando.

Probatur.

a) Ita imprimis asserit ipsa Ecclesia, unde vaticanum Concilium: " Quoniam quæ sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinæ Scripturæ, ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, nos idem decretum renovantes, hanc illius mentem declaramus, ut in rebus fidei et morum [2], ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari [3]. "

b) Ita Patres passim docuerunt: " Ego Evangelio non crederem, inquit Augustinus, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas [4]. " Et addit: " Quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat [5]. "

[1] Qualis esse debeat Patrum, vel theologorum aut fidelium consensio, infra dicetur ubi de *auctoritate Ecclesiæ*.

[2] Circa alia enim Ecclesia vix profert judicium, v. gr. quoad Chronologiam, Geographiam, etc.

[3] Const. *Dei Filius*, c. II. Cf. *Concill. Milev.* II, c. II; *Trull.* Can. 19; *Trid.* Sess. IV.

[4] *Cont. Epist. Fundam.* c. V. — Cf. *Cont. Faust.* L. XI, cap. II et in fine operis.

[5] *Cont. Crescon.* L. I, c. XXXIII. Cf. Iren. *Cont. hær.* L. III, c. III; Tertull. *De Præscr.* cap. XIX-XXI; Orig., *In Matth.* Tract. XXIX, n. 46; Clem. Alex., *Stromat.* L. VII, cap. XVI, XVII; Hieron., *Ad Eustoch.*; Basil., *De Spirit. S.* c. XII, etc.

205. — *c*) Cæterum ratio per se impar est quæ libros sacros prompte, sufficienter, absque errore interpretetur. Cujus triplex ratio assignari potest: prima est debilitas ingenii humani, præsertim si apud omnes universim consideretur [1]; altera est sublimitas rerum in Scripturis relatarum; tertia est difficultas percipiendi vim sermonis. Cum enim altissimæ sint doctrinæ, cum scriptura non signum naturale sed arbitrarium sit, cum præterea parum innotescant modus et efficacia sermonis antiqui, inde oritur summa interpretandi difficultas. Quibus rationibus ipsæ Scripturæ obscuritates suas fatentur; unde Apostoli " non intelligebant quæ dicebantur, et verbum Christi erat absconditum ab eis [2]; „ Petrus et Joannes, sepulchro Christi accurrentes, " nondum sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere [3]; „ hinc Christus discipulis Emmaus, " incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur in omnibus Scripturis quæ de ipso erant [4]; „ hinc Eunuchus reginæ Candacis absque interprete non intelligebat illud Isaiæ: " Tamquam ovis ad occisionem ductus est [5]; „ etc., etc.

Confirmatur ex analogia cum omnibus aliis libris qui, cum sint mortua littera, plerumque interprete indigent.

206. — *d*) Probatur iterum propositio hac ratione, scil.: In utroque Testamento magisterium Ecclesiæ prius fuit documento Scripturæ, cum aliunde jam perfecta existeret ipsa Ecclesia: Ergo istud illi, non illud isti conformandum per se est, quia

[1] Jus cuique tributum Scripturas interpretandi ita deridet Hieronymus: " Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant.

" Scribimus indocti doctique poemata passim.

" Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt, proh pudor! a feminis quod viros doceant; et ne parvum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas post sæculares litteras venerint, et sermone composito aurem populi mulserint; quidquid dixerint hoc legem Dei putant; nec scire dignantur quid Prophetæ, quid Apostoli senserint: sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit et non vitiosissimum docendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. „ *Epist. 103, ad Paulin.* S. Augustinus fatebatur " se multo plura in S. Scripturis nescire quam scire „ (*Epist.* 119).

[2] Luc. XVIII, 44.
[3] Joan. XX, 9.
[4] Luc. XXIV, 27.
[5] Act. VIII, 32. Cf. II. Petr. III, 16.

scilicet Scripturæ sensus, cum non possit auctoritati Ecclesiæ contradicere, per istam definiendus est.

e) Probatur demum hac ratione. In disputationibus circa fidem, aliquando ad decisionem aliquam deveniendum est, cum de rebus necessariis agatur : atqui non per revelationem seu inspirationem privatam, quam nonnulli aliquando somniaverunt [1]; non per ipsam Scripturam haberi decisio illa potest; quod utrumque patet ex facto dum disputantes nunquam de Scripturarum interpretatione conveniunt; unde Augustinus: " Non aliunde natæ sunt hæreses, nisi dum Scripturæ bonæ non intelliguntur bene [2]; " et Hieronymus: " Omnes hæreses ex Scripturis sibi consuunt cervicalia [3]. " Ergo.

DIFFICULTATES

207. — *Obj.* 1° Repugnat verbum Dei, quale est Scriptura, robur accipere a verbo humano, quale est definitio Ecclesiæ.

Resp. Dist. Repugnat verbum divinum *in se consideratum* robur accipere a verbo humano, *Concedo;* repugnat verbum divinum *quoad nos consideratum* robur accipere a verbo humano, *Nego.* Hic enim de hac tantum agitur quæstione: quodnam sit verbum Dei, licet sciamus verissimum fore ubique verbum Dei. Cæterum falso supponitur verbum Ecclesiæ esse mere humanum, dum Ecclesia de revelatione obscura non judicat nisi ex revelatione certa et perspicua, et Deo quidem assistente.

Obj. 2° Si ad Ecclesiam definire spectat quinam sit Scripturæ sensus, aufertur libertas omnimoda, atque irritæ evadunt rationalis seu doctrinalis interpretationis regulæ.

Resp. Neg. Etenim duplicis sunt generis veritates Scripturis contentæ: aliæ ad fidem et mores pertinent, aliæ ad profanas *tantum* scientias. Quoad istas non exercetur auctoritas Ecclesiæ, quæ in his, sicut ipse Scripturæ auctor, juxta communes opiniones loquitur: unde tota remanet libertas qualem vellent adversarii. Quoad veritates fidei et moribus pertinentes, vel agitur cum catholicis, vel cum acatholicis aut cum incredulis. Interpreti catholico cum catholicis agenti competit munus componendi,

[1] Cf. Laforet, *De Meth. Theol.*, p. I. Lec. II.
[2] *In Joan.* Tract. XVIII.
[3] *In Epist. ad Gal.* c. I. Cf. Canum, *De Loc. theol.* Lib. XII, cap. VII.

juxta rationem, definitiones Ecclesiæ cum ratione ipsa, cum aliis Scripturis, cum alia doctrina catholica, cum cæteris scientiis [1]; — si cum hæreticis agat, objectiones ex Scripturis solvendi, interpretationesque eorum respuendi, explanandi vel perficiendi; — si demum agat cum incredulis, libros sacros interpretandi juxta meras hermeneuticæ rationalis regulas.

208. — *Quæres* 1° Quandonam definitur sensus alicujus textus Scripturarum?

Resp. Quando Ecclesia solemni sententia vel usu dogmatico asserit in aliquo textu hunc dari sensum.

Requiri hanc interpretationem magisterii infallibilis patet, quia secus non daretur sententia infallibilis.

Requiritur iterum istud, scil. ut magisterium illud asserat hunc alicujus textus esse sensum; i. e. requiritur hanc interpretationem esse objectum definitionis. Etenim, juxta communem doctrinam, constat, „ Ex iis quæ in universalibus conciliis proponuntur, id solum tenendum de fide esse quod est definitionis objectum, non vero definitionis motivum, neque alia a Patribus in conciliis dicta vel laudata, neque rationes quæ adducuntur, neque ea quæ ad explicandum afferuntur [2]. „

Unde interpretationi infallibili non subjiciuntur nisi textus allati tamquam proprium definitionis objectum. Et hujusmodi sunt illi, quos, licet paucos, et quidem majoris momenti, constat declaratos authentice ab Ecclesia fuisse: „ Sic synodus Nicæna II declaravit præceptum (Exod. xx, 4): *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, ad Hebræos pertinuisse, et non obstare cultui imaginum. Concilium Tridentinum (sess. v) declaravit verba (Rom. v, 12): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, etc., de peccato originali esse dicta; et (sess. vii, can. 2) verba (Joan. iii, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, esse intelligenda proprie de aqua naturali ut necessaria materia Baptismi. Similiter (sess. xiii, cap. 1) definivit verba *Hoc est corpus meum* proprio sensu sumenda esse de reali

[1] Notandum est absurdissimam esse doctrinam illam quæ, libertatis titulo, rationem ab omni jugo, etiam veritatis, eximit. Cum ergo catholicus nihil falsi inveniri posse nec in Scripturis nec in doctrina Ecclesiæ admittat, proindeque nullam revera dari posse inter utramque contradictionem, hinc rationi consentaneus nexum utriusque imprimi quærit et probat.

[2] Gotti, *Theol. Dogm.* T. i, p. 32. Cf. Canus, *Loc. Theol.* Lib. v, cap. v, q. v. Patrizi, *De Interpr. Script.* Lib. i, cap. v.

Christi in Eucharistia præsentia. Pariter Concilium Vaticanum (Const. *Pastor æternus*, I) declaravit primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam, immediate et directe beato Petro apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse per verba: *Tu es Petrus*, etc. *Pasce agnos meos; pasce oves meas* (Joan. XXI, 15-17; Matth. XVI, 16-19) [1]. „

Attamen, etsi textus aliqui ab Ecclesia nonnisi ut motiva et declarationes definitionis afferantur, proindeque non habeatur proprie dicta definitio circa ipsum textum, maxime faciendus est ille Scripturarum usus, tamquam earumdem magnæ auctoritatis explanatio.

Sed vero inquirendum erit utrum Ecclesia Scripturarum interpretationes adducat vel tamquam proprias, vel tamquam aliorum. Si interpretationes illas tamquam ab aliis excogitatas adducat, tunc rursus inquirendum erit utrum qua interpretationes, necne. Nonnunquam enim Ecclesia interpretationes aliorum adducit, non ut qua tales approbet, sed ut declaret aliquos Patres vel doctores sententias suas hujusmodi interpretatione propalasse: ita v. g. res se habuit in Bulla *Ineffabilis* circa Immaculatum Conceptum, ubi referuntur Scripturæ textus non ex sententia Ecclesiæ, sed ex sententia Patrum, qui dogma illud, textus allatos interpretando, propugnaverunt.

Si autem Ecclesia interpretationes aliquas referat tamquam sibi proprias vel appropriatas, tunc inquirendum est quænam sit illa interpretatio, scilicet utrum litteralis, utrum mystica, utrum accommodata. Sæpe sæpius namque hoc ultimo sensu etiam in asserendis veritatibus usurpantur Scripturæ ab Ecclesia.

209. — *Quæres* 2° Quomodo intelligenda sit illa prohibitio Scripturas interpretandi vel *contra sensum Ecclesiæ*, vel *contra sensum communem Patrum?*

Priusquam respondeatur, tria notanda sunt. Primum est *Decretum* quo in Conciliis Tridentino et Vaticano exprimitur prohibitio illa esse *dogmaticum* et non solum *disciplinare*, cum prohibeamur Scripturas interpretari contra sensum Ecclesiæ et Patrum " in rebus fidei et morum; „ judiceturque " is pro vero sensu S. Scripturæ habendus, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia. „

[1] Lamy, *Introd. in S. Script.* vol. I, c. VII, sec. II. Cf. Cornely, *Introd.* n. 223.

Secundum est *Decretum* illud non esse mere *negativum*, sed etiam *positivum*, quum tenere *debeamus sensum quem tenet Ecclesia.* Quod clarius expressit Pius IV in Professione fidei: " Sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor. "

Tertium est ex hac particula qua jubemur Scripturas interpretari *juxta communem Patrum sententiam*, minime colligendum istud esse quod cuique liberum sit Patrum aliquam sententiam tenere, despecta Ecclesiæ interpretatione de aliquo textu, ut male volunt *Puseistæ* de canone Tridentino, sed indicatur secundarius fons interpretationis post Ecclesiam. Ipsi namque Patres sunt sub ipsa Ecclesia principaliores magistri et testes: unde ab Ecclesiæ sensu nec recedunt nec recedere possunt; fidemque faciunt dum sibi consentiunt.

His præhabitis, quæsito respondetur:

210. — Si agatur de textibus quorum significationem definivit Ecclesia, nunquam licitum erit *contra* hanc interpretationem Scripturas interpretari, sive agatur de oppositione contrarietatis, sive de oppositione contradictionis: ratio est quia duæ propositiones sive contrariæ sive contradictoriæ non possunt esse simul veræ, prout demonstrant logici [1]. Atqui quoad materiam fidei et morum, vera est interpretatio Ecclesiæ, cujus definitionibus necessario ex hypothesi competit veritas. Admissa igitur veritate hujusmodi interpretationis, impossibile est dari aliam interpretationem sive contrariam, sive contradictoriam, quæ simul vera sit cum interpretatione Ecclesiæ.

211. — At notandum est oppositionem dici *affirmationem simul et negationem unius de eodem*, seu, ut philosophi dicunt, *affirmationem et negationem identitatis prædicati cum subjecto*, unde sequitur nullam dari oppositionem, ubi non sit idem subjectum, idem prædicatum, et affirmatio et negatio simul non cadant in omnino idem; proindeque duas propositiones affirmantes duasque negantes inter se oppositas dari non posse; ac demum, supposita etiam veritate alicujus affirmantis vel negantis propositionis, supponi posse veritatem alterius pariter affirmantis vel negantis.

[1] Vide Zigliara, *Summa Phil. Dialect.* lib. II, c. IV, a. 1. Cf. Bañez, *Institut. Min. Dial.* L. IV; — Joan. a S. Thoma, *Cursus Philos. Dialect.* L. II.

Porro in re nostra, textus interpretandus est *subjectum;* sensus inquirendus est *prædicatum;* utriusque autem identitas negatur aut asseritur ab interprete; v. gr. ille textus: " Hoc est corpus meum „ *subjecti* vices gerit; illa interpretatio: *Hic textus significat transubstantiationem panis*, vices *prædicati* complet; quod asseritur de subjecto per vocabulum *significat*, scilicet *est significans*.

Unde in re *Hermeneuticæ*, supposita primo identitate subjecti, id est textus interpretandi, quærendum remanet utrum eidem subjecto, seu textui interpretando, affirmari postea vel negari possit aliquod inesse prædicatum, jam alio prius affirmato vel negato ab Ecclesia; ita ut scilicet *juxta,* non *contra*, interpretationem Ecclesiæ alia dari possit quæ illam nullatenus neget vel imminuat.

Respondeo affirmative, et id quidem dupliciter fieri poterit, scilicet ex *suppositione* et ex *extensione* alicujus interpretationis factæ ab Ecclesia, sive affirmante sive negante.

Imprimis quoad affirmationem.

Supra namque ostendimus plures sensus sub una eademque littera inveniri posse, quin sese mutuo excludant: ergo etiam si Ecclesia aliquem unum ex illis sensibus asseruerit, minime sequitur cæteros asseri non posse; nec etiam negari, si cum sensu asserto non connectantur necessario. Sic v. gr. si definiretur *hominem factum fuisse ad imaginem Dei*, prout narrat *Genesis*, quia scilicet homo *intelligentia pollet*, non extemplo negandum foret hominem factum fuisse ad imaginem Dei, quia *gratiam supernaturalem participaverat:* idcirco si asseratur sensus litteralis aliquis, non ideo negantur aut asseruntur sensus spirituales, vel accommodati; quin immo, juxta sententiam illorum qui varios sensus litterales sub una littera dari posse agnoscunt, asserto uno litterali non excluduntur alii litterales, si qui fuerint. Illa ergo interpretatio est *juxta* Scripturarum interpretationem ab Ecclesia propositam, et quidem habetur ex *suppositione*, scil. ex ipsis sensuum Scripturæ varietate, divisione et mutua subordinatione.

Haud secus argumentari licet quoad sensuum *extensionem*, supposito tamen hanc esse extensionem quæ in eodem genere remaneat, seu quæ non inducat oppositionem inter prius assertum et illud ad quod fit extensio. Sic v. gr. in illo textu:

" Hoc est corpus meum, " qui, juxta Ecclesiam, de transubstantiatione interpretandus est, nullus asserere posset ibidem significari simul præsentiam Christi *per imaginem*, seu *figuram*, quia datur oppositio *figuram* inter et *realitatem*. At vero si definitum fuerit indicari jurisdictionem spiritualem Petro collatam in illo textu: " Tibi dabo claves regni cœlorum " etc., non ideo damnandus foret qui simul contenderet in illo textu significatam esse jurisdictionem Petro collatam non modo spiritualem, sed etiam temporalem, ut volunt aliqui (quod tamen hic non asserimus), ita ut in illo: " Omnia quæcumque... " includantur etiam regna hujus mundi, ac proinde Summus Pontifex potestatem immediatam, ut ajunt, in hæc regna jure habeat, etsi facto non fruatur. Ratio est quia jurisdictio una aliam non excludit, nec asserta una, negatur alia, nec semel declarato unam in illo textu significari, negatur significari alteram.

212. — Quod diximus de affirmatione alicujus interpretationis ab Ecclesia facta, idem *a fortiori* dicendum est de negatione, tum quoad *suppositionem* prædictam, tum quoad *extensionem*. Dum v. gr. Ecclesia Baji doctrinam damnavit circa infidelium opera, si asseruerit in illo textu: " Omne quod non est ex fide peccatum est [1], " verbum *fides* non esse intelligendum de fide quæ est *virtus theologica*, minime sequitur illud intelligendum esse de *conscientia*, vel de *firma opinione*, etc. ita ut altera alteram necessario excludat: unde, salva fide, unamquamque interpretationem quisque eligere poterit, præter damnatam expositionem.

Horum omnium ratio est quia etsi detur identitas subjecti, non datur tamen in illis variis interpretationibus identitas prædicati, quod contra sensum Ecclesiæ vel negetur vel asseratur; sed præter illud prædicatum assertum vel negatum ab Ecclesia, aliud asseritur vel negatur, illæsa assertione vel negatione Ecclesiæ.

2. De magisterio doctrinali circa intelligendas Scripturas.

213. — Magisterium doctrinale vocamus hic illud quod exercent docti privatim sumpti. Hi nimirum, sive voce, sive libris

[1] Rom. XIV, 23.

doceant, multum possunt ad eruditionem nostram, atque de illorum præsertim magisterio loquebatur D. Thomas in prælaudatis verbis. Quærimus ergo utrum aliqui eligendi sint et audiendi.

214. — Propositio. *Optima res erit magistros habere in interpretandis Scripturis, quos cum docilitate et libertate audias.*

1. Probatur prima pars, scil. magistros eligendos esse.

a) Ex omnibus quæ supra diximus de difficultate multiplici intelligendi Scripturas: illa enim quæ afferuntur ad probandam necessitatem magisterii authentici, pariter ostendunt, servatis servandis, alicujus magisterii doctrinalis necessitatem, vel utilitatem [1].

Confirmatur 1° Hermeneutices scopus est intelligere Scripturas; porro magisterium authenticum magis asserit ac *dogmatice* loquitur: ergo requiritur magisterium doctrinale quod asserta magis explanet.

Confirmatur 2° Videmus eo magis necessarios esse magistros quo difficiliores sunt scientiæ; atqui Scripturæ intellectu difficillimæ sunt: ergo.

215. — *b*) " Duos modos principiorum agentium in rebus naturalibus invenimus, ut patet ex Philosopho, VII Metaphysic. Quoddam enim est agens quod in se totum habet quod in effectu per eum causatur, vel eodem modo, sicut est in agentibus univocis, vel etiam eminentiori, sicut est in æquivocis. Quædam vero agentia sunt in quibus eorum quæ aguntur non præexistit nisi pars; sicut motus causat sanitatem, aut aliqua medicina calida, in qua calor invenitur vel actualiter, vel virtualiter; calor autem non est tota sanitas, sed est pars sanitatis. In primis igitur agentibus est perfecta ratio actionis, non autem in agentibus secundi modi: quia secundum hoc aliquid agit quod actu est, unde cum non sit in actu effectus inducendi nisi in parte, non erit perfecte agens. Doctrina autem importat perfectam actionem scientiæ in docente, vel magistro; unde oportet quod ille qui docet vel magister est, habeat scientiam quam in alio causat, explicite et perfecte, sicut in addiscente per doctrinam. Quando autem alicui acquiritur scientia per prin-

[1] Cf. quæ egregie dicit Joan. Ragus. ap. Labbe, *Concil.* Col. 1037.

cipium intrinsecum, illud quod est causa agens scientiæ, non habet scientiam acquirendam nisi in parte, scilicet quantum ad rationes seminales scientiæ, quæ sunt principia communia [1]. „ Cum ergo qui Scripturis studet minus de tanta scientia in potentia activa habeat, hinc optimum est eum percipere ea quæ actu habent magistri.

216. — 2. Probatur altera pars, et primo requiri docilitatem.

A. " Docilitas, inquit Angelicus, ad hoc pertinet ut homo bene se habeat in acquirendo rectam opinionem ab alio [2]. „ Cur autem necessaria sit in Scripturis investigandis patet ex hac ratione quod in illis studiis tot tantaque particularia indaganda sunt, ut nullus omnia per se, nec post diuturnum tempus discere poterit [3]; ea autem quæ per se investigaverit, non absque erroribus sufficienter cognoscat.

217. — *B.* Secundo autem cum libertate audiendos esse magistros, patet multiplici ratione.

a) Et primo quidem, nisi aliquo modo accedat auctoritas Ecclesiæ, illi doctores vel consentiunt inter se de aliqua interpretatione quoad fidem et mores, et tunc acceptanda est, quia inde eruitur esse interpretationem ipsius Ecclesiæ; vel dissentiunt, et tunc in dubiis libertas datur.

b) Cæterum, docilitas, ut dixit S. Thomas, se habet ad acquirendam non quamcumque, sed *rectam opinionem* ab alio: quia autem in multis quæstionibus vix appareat ubinam inveniatur *recta opinio*, prout diximus, inde habetur libertas.

c) Demum interpretatio doctrinalis, de qua hic loquimur, nihil aliud est quam intelligentia intima Scripturarum, quæ scholastico more, i. e. per causas fit, seu scientifice. In rebus autem scientificis auctoritas infimum per se criterium veritatis est [4], unde Augustinus: " Pudet imbecillitatis, cum rationi roborandæ hominum auctoritas quæritur; cum ipsius rationis ac veritatis auctoritate, quæ profecto est omni homine melior, nihil deberet esse præstantius [5]. „

Ratio est quia auctoritas non est nisi cognitio extrinseca

[1] *Quæst. Disp. De Magistro*, a. 2. — Vide quæ habet S. Doctor, I. q. 117, a. 1.
[2] 2. 2. q. 49, a. 4.
[3] Huc aptari possunt quæ dicit S. Thomas de docilitate in operabilibus, 2. 2. q. 49, a. 3.
[4] I. q. I, a. 8 ad 2m.
[5] *De Musica* L. v. c. v.

rerum; cognitio autem scientifica debet esse intrinseca. Unde vix attendendum est argumento quod dicitur *ad verecundiam*, quia adversarium obruit rationum ab auctoritate ductarum sarcinis; nisi forsan in rebus nobis vix investigabilibus melius per accidens auctoritati standum fuerit. Unde iterum raro jurandum est *in verba magistri;* sed imprimis meliores inter se conferendi sunt, et ubi conveniunt, magis audiendi; atque illa simul docilitas quæ est a natura ad perfectionem ducitur humano studio, " dum scilicet homo sollicite, frequenter et reverenter applicat animum suum documentis majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter superbiam [1]; „ et observatur illud alterum Angelici dictum " quod modus in acquisitione scientiæ per inventionem est perfectior ex parte recipientis scientiam, in quantum designatur habilior ad sciendum [2], „ et istud: " Locus ab auctoritate quæ fundatur super ratione humana est infirmissimus [3]. „

218. — *Quæres.* Quinam magistri eligendi sint?

Resp. Magistri in Scripturis hodie quatuor imprimis dotibus excellere debent: *Prima* est scientia theologiæ et philosophiæ, seu quasi *a priori; secunda* est eruditio qua magister innumera facta cognoscat ad Scripturas attinentia, unde arguat *a posteriori; tertia* est critica, qua summe opus est hodie ad discernenda falsa a veris, dubia a certis, etc.; *quarta* est religio, qua Scripturas magister non solo lumine naturali, sed etiam supernaturali perspiciat. Ii scilicet imprimis ut magistri eligendi sunt quorum *obsequium* maxime est *rationabile*, i. e. qui summum obsequium summæ rationabilitati conjungere didicerunt [4].

Ex dotibus istis aliquas invenire possumus non raro in doctoribus acatholicis, imo et in incredulis: unde non sine utilitate et ipsi prudenter consulendi nonnunquam erunt, et reapse consuluntur, præsertim hodierni.

2. De medio Scripturas intelligendi, quod est per propriam inquisitionem.

219. — In quo distingui et requiri possunt primo *dispositiones requisitæ*, secundo *ipse inquirendi actus.* Hinc propositio duplex.

[1] 2. 2. q. 49, a. 3 ad 2m.

[2] Quæst. *Disp. de Magistro*, a. III, ad 4m.

[3] I. q. I, a. 8 ad 2m.

[4] Cf. Joan. Ragus. ap. Labbe, T. XII, col. 1036.

cipium intrinsecum, illud quod est causa agens scientiæ, non habet scientiam acquirendam nisi in parte, scilicet quantum ad rationes seminales scientiæ, quæ sunt principia communia [1]. „ Cum ergo qui Scripturis studet minus de tanta scientia in potentia activa habeat, hinc optimum est eum percipere ea quæ actu habent magistri.

216. — 2. Probatur altera pars, et primo requiri docilitatem.

A. " Docilitas, inquit Angelicus, ad hoc pertinet ut homo bene se habeat in acquirendo rectam opinionem ab alio [2]. „ Cur autem necessaria sit in Scripturis investigandis patet ex hac ratione quod in illis studiis tot tantaque particularia indaganda sunt, ut nullus omnia per se, nec post diuturnum tempus discere poterit [3]; ea autem quæ per se investigaverit, non absque erroribus sufficienter cognoscat.

217. — *B.* Secundo autem cum libertate audiendos esse magistros, patet multiplici ratione.

a) Et primo quidem, nisi aliquo modo accedat auctoritas Ecclesiæ, illi doctores vel consentiunt inter se de aliqua interpretatione quoad fidem et mores, et tunc acceptanda est, quia inde eruitur esse interpretationem ipsius Ecclesiæ; vel dissentiunt, et tunc in dubiis libertas datur.

b) Cæterum, docilitas, ut dixit S. Thomas, se habet ad acquirendam non quamcumque, sed *rectam opinionem* ab alio: quia autem in multis quæstionibus vix appareat ubinam inveniatur *recta opinio*, prout diximus, inde habetur libertas.

c) Demum interpretatio doctrinalis, de qua hic loquimur, nihil aliud est quam intelligentia intima Scripturarum, quæ scholastico more, i. e. per causas fit, seu scientifice. In rebus autem scientificis auctoritas infimum per se criterium veritatis est [4], unde Augustinus: " Pudet imbecillitatis, cum rationi roborandæ hominum auctoritas quæritur; cum ipsius rationis ac veritatis auctoritate, quæ profecto est omni homine melior, nihil deberet esse præstantius [5]. „

Ratio est quia auctoritas non est nisi cognitio extrinseca

[1] *Quæst. Disp. De Magistro*, a. 2. — Vide quæ habet S. Doctor, I. q. 117, a. 1.

[2] 2. 2. q. 49, a. 4.

[3] Huc aptari possunt quæ dicit S. Thomas de docilitate in operabilibus, 2. 2. q. 49, a. 3.

[4] I. q. I, a. 8 ad 2m.

[5] *De Musica* L. v. c. v.

rerum; cognitio autem scientifica debet esse intrinseca. Unde vix attendendum est argumento quod dicitur *ad verecundiam*, quia adversarium obruit rationum ab auctoritate ductarum sarcinis; nisi forsan in rebus nobis vix investigabilibus melius per accidens auctoritati standum fuerit. Unde iterum raro jurandum est *in verba magistri;* sed imprimis meliores inter se conferendi sunt, et ubi conveniunt, magis audiendi; atque illa simul docilitas quæ est a natura ad perfectionem ducitur humano studio, „ dum scilicet homo sollicite, frequenter et reverenter applicat animum suum documentis majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter superbiam [1]; „ et observatur illud alterum Angelici dictum „ quod modus in acquisitione scientiæ per inventionem est perfectior ex parte recipientis scientiam, in quantum designatur habilior ad sciendum [2], „ et istud: „ Locus ab auctoritate quæ fundatur super ratione humana est infirmissimus [3]. „

218. — *Quæres.* Quinam magistri eligendi sint?

Resp. Magistri in Scripturis hodie quatuor imprimis dotibus excellere debent: *Prima* est scientia theologiæ et philosophiæ, seu quasi *a priori; secunda* est eruditio qua magister innumera facta cognoscat ad Scripturas attinentia, unde arguat *a posteriori; tertia* est critica, qua summe opus est hodie ad discernenda falsa a veris, dubia a certis, etc.; *quarta* est religio, qua Scripturas magister non solo lumine naturali, sed etiam supernaturali perspiciat. Ii scilicet imprimis ut magistri eligendi sunt quorum *obsequium* maxime est *rationabile*, i. e. qui summum obsequium summæ rationabilitati conjungere didicerunt [4].

Ex dotibus istis aliquas invenire possumus non raro in doctoribus acatholicis, imo et in incredulis: unde non sine utilitate et ipsi prudenter consulendi nonnunquam erunt, et reapse consuluntur, præsertim hodierni.

2. De medio Scripturas intelligendi, quod est per propriam inquisitionem.

219. — In quo distingui et requiri possunt primo *dispositiones requisitæ*, secundo *ipse inquirendi actus.* Hinc propositio duplex.

[1] 2. 2. q. 49, a. 3 ad 2m.
[2] Quæst. *Disp. de Magistro*, a. III, ad 4m.
[3] I. q. I, a. 8 ad 2m.
[4] Cf. Joan. Ragus. ap. Labbe, T. XII, col. 1036.

220. — Propositio I. *Ad interpretandas Scripturas per inquisitionem exposcuntur conditiones tum ex parte Dei, tum ex parte hominis.*

Probatur. Quum enim homo ad bene agendum, imprimis quoad supernaturalia, indigeat tum *auxilio Dei*, tum *vi propria*, hinc duæ conditiones prærequiruntur ad rectam Scripturarum interpretationem.

1. Quarum prima est oratio qua Dei auxilium obtineat, juxta illud Proverbiorum: „ Si sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies, quia Deus dat sapientiam, etc. [1]. „ Hanc ideo frequenter implorat Propheta regius in suo Ps. cxviii.

2. Altera autem seu dispositio interpretis erit summa Scripturarum veneratio.

Quam ut acquirat, considerabit Scripturarum excellentias undequaque affulgentes. Sive enim Scripturarum *causas*, sive earumdem *universalitatem*, sive demum *effectus* inspicias, undique apparent earum eximiæ dotes.

221. — *A*. Imprimis *causæ* Scripturarum quatuor sunt, sicut et omnium rerum quæ simul re spirituali et re materiali constant.

Primo causa finalis, quæ inter causas primum locum obtinet, et iterum bifariam subdividitur.

Finis *cui* secundarius Scripturarum est homo præsertim in ordine supernaturali constitutus, quia in commodum hominis ordinatæ sunt Scripturæ; finis *cui* primarius est Deus, cujus manifestatur gloria, maxime in ordine supernaturali.

Finis *qui* proximus earumdem, seu bonum intentum, est cognitio veritatis revelatæ; finis *qui* remotus est beatitudo supernaturalis; finis *qui* ultimus est ipse Deus.

Secundo causa efficiens prima Scripturarum est Deus; secundaria est homo et quidem inspiratus, et plerumque virtutibus conspicuus.

Tertio, causa formalis intrinseca quæ est veritas revelata; et causa formalis extrinseca, quæ est ipsa mens Dei, qua supernaturalium veritatum imago.

[1] Prov. ii, 3-4.

Quarto, causa materialis, quæ est vel subjectum, scil. verbum materiale assistente Deo conscriptum; vel objectum, seu veritas summa quam creatura de Creatore percipere potest in hoc mundo; vel partes, quæ sunt præcipua facta præsentis et futuræ vitæ.

Quod ultimum quo plenius intelligas, hoc accipe quasi totius Scripturæ compendium.

Genesi creaturarum spiritualium, materialium, spiritu ac materia compositarum narrat, cap. I, II.

Hominis lapsum, Redemptorisque promissionem, cap. III.

Humani generis corruptionem universam, ejusdemque pœna diluvii punitionem, solo cum domo sua Noe salvato, cap. IV-VII.

Humanum genus propagari per filios Noe, Sem, Cham, Japhet; ex posteris Sem nasci patriarchas Abraham, Isaac, Jacob; istum in Ægyptum descendere, Salvatoremque ex tribu Juda filio Jacob nasciturum esse narrat, cap. VIII-L.

Exodus, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Josue*, populi electi servitutem in Ægypto, liberationem, Legis receptionem, peregrinationem quadraginta annorum in deserto, Terræ promissæ ingressum describunt.

Libri *Judicum*, *Regum* et *Paralipomenon* statum populi israelitici usque ad captivitatem babylonicam exhibent.

Psalmorum et *Prophetiarum* libri sub regibus imprimis Salvatorem ejusdemque vitam et mortem prænuntiant.

Libri *Esdræ* narrant reditum a captivitate.

Libri *Machabæorum* ea quæ deinceps usque ad Christum contigerunt.

Quatuor *Evangelia*, Christi vitam et mortem referunt.

Actus Apostolorum et *Epistolæ* Ecclesiæ primordia.

Apocalypsis demum sortes Ecclesiæ futuras usque ad finem prænuntiat [1].

222. — *B*. Deinde si consideretur Scripturarum universalitas, seu mensura quæ in tempore et loco continetur, inde rursus et aliæ excellentiæ affulgent.

Prima mensura est tempus: porro nullus sub cœlo liber est qui melius pleniusque, ut ex dictis liquet, nobis a principio ad finem sæculorum referat quæ temporum durationem implent:

[1] Rem plenius et quidem eximie tibi explanat Penzi, *Theol. Rud.* L. II, c. II.

demum nullus eidem æquari potest, prout omnia historice vel prophetice complectenti, quoad doctrinam saluti necessariam.

Altera mensura est locus: porro nullus fuit unquam liber qui latius in orbe terrarum quam Scriptura innotesceret et celebrior evaderet, pluribusque destinaretur.

223. — Denique ex effectuum consideratione magis rursus apparent hujus libri excellentiæ. „ Omnis Scriptura divinitus inspirata, ait Apostolus, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia [1]. „ Quibus verbis indicatur eximie totus Scripturæ usus. Utilis est enim ad *docendum* veritatem, ad *arguendum* errores, ad *corripiendum* actus moresque pravos; ad *erudiendum* in justitia, id est in morum actionumque sancta conversatione.

Quantum autem in his quatuor excellat Scriptura, facile dictu est.

„ Ac primum, inquit Opstræt, excellit ad docendum veritatem, quia non docet nisi quæ certissima sunt, absque ullo periculo erroris;..... quæ sanctissima sunt, absque periculo perversitatis; quæ utilissima sunt, prætermissis inutilibus; quia docet omnes, omisso nemine; quia modus quo docet accommodatus est omnibus, etiam indoctis.....

„ Excellit deinde Scriptura ad arguendum errores, quia, teste Augustino, „ in iis quæ aperte in Scripturis posita sunt, in„ veniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque vivendi, „ spem scilicet atque charitatem „ (lib. II, *De Doct. Christ.*, c. IX). Proinde errores fidei aut morum regulis contrarii aperte possunt ex illis redargui.

„ Excellit etiam ad corripiendum..... mores depravatos, quod præstat non una ratione. Corriguntur enim mores depravati, tum docendo veritatem...... tum redarguendo errores..... Corriguntur item mores depravati comminando pœnas, et mercedem promittendo... Addit (Scriptura) omnis generis exempla (bona)... Ad hæc omni genere loquendi utitur.

„ Postremo excellit Scriptura ad erudiendum in justitia. Siquidem nullum est genus virtutis in quo hominem non erudiat perficiatque. Unde addit ibidem Apostolus: „ Ut perfectus sit „ homo Dei ad omne opus bonum instructus. „

[1] II. Tim. III, 16. Hic legendus S. Th. in *h. l.* in fine.

" Ex his jam ultro elucescit quanta sit Scripturæ sacræ utilitas, ac proinde quantum percipere fructum possit is qui ea recte utitur..... At præ cæteris fructus illos percipere debent illi quibus aliorum cura incumbit: hi enim non seipsos tantum *docere*, *arguere*, *corrigere* et *erudire* debent *in justitia*, sed et proximum [1]. „

Et his adde consolationem, delectamentum aliaque beneficia, tuncque intelliges nullum dari posse studiorum nostrorum excellentius objectum.

Imprimis ergo de his persuasus remanere debet qui se ad interpretandas Scripturas parat, unde fortius, plenius, constantiusque et obstacula removeat et media adhibeat ad intelligendum verbum Dei revelatum.

His perceptis, ad Scripturas accedet cum humilitate, reverentia, amore et fide: humilitate quidem qua subjiciet mentem suam menti divinæ; reverentia, qua rerum dignitatem et percipiet et venerabitur; amore, quo divina amplexabitur cognoscenda; fide demum qua persuasus remanebit nihil falsi in Scripturis occurrere posse. Sic ergo unusquisque leget Scripturas eo spiritu quo factæ sunt [2], juxta illud aureum S. Bernardi effatum: " Quo enim spiritu Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant; ipsæ etiam intelligendæ sunt. Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione ejus et studio assiduæ meditationis spiritum ejus imbiberis [3]. „

225. — PROPOSITIO II. *Ad inquirendos Scripturæ sensus attendendum est methodo et interpretationi.*

Probatur per partes singulas propositio, cujus termini cæterum ex se patent.

1. Methodum porro necessariam omnino esse nullus est qui in dubium revocet. Prout namque ipsamet vox μετά-ὁδὸς insinuat, nihil aliud est quam via securior simul et brevior ad attingendam artem vel scientiam. Hinc definitur recta ratio procedendi in acquirenda scientia, seu, juxta Tullium, " omnis quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio [4]. „ Atqui patet, nisi

[1] Opstræt, *De Loc. theol.* Diss. I, q. XII.
[2] Cf. *Imit. J. C.* Lib. I, cap. V.
[3] *Epist. ad Fratres de Monte Dei*, L. I, c. X.
[4] *De Off.*

nationem accipiunt; nexu autem dogmatico, tum quia veritates revelatæ, præsertim de Deo ejusque Christo, non omnes simul, nec quoad totam simul extensionem nobis manifestatæ fuerunt, sed gradatim, unde idem ordo et in cognitione sequendus est, cum ars naturam imitari debeat; tum quia totum vetus Testamentum non est nisi novi Testamenti figura, unde istud ex illo explicandum est, eidemque illustrationem præstat [1].

227. — Interpretatio autem qualis esse debeat, expendemus circa singulos Scripturæ sensus, respectu habito ad mentem divinam, i. e. *explicitum*, *implicitum* et *nec explicitum nec implicitum*.

A. De interpretatione quoad sensum explicitum, i. e. qua via inquirendus sit sensus *litteralis* et sensus *mysticus* nunc dicendum est.

Quæ de sensu litterali hic dicturi sumus, de aliis sensibus pariter dici quandoque forsan poterunt; sed principalius litterali sensui, prout fundamentali, conveniunt.

Regulæ porro ad interpretationem inservientes referuntur vel ad *librum ipsum* Scripturæ legendum, vel ad *modum legendi.*

Quoad ipsum Scripturæ legendum librum, hæc statuenda videntur.

Primo legendæ sunt Scripturæ in editione Vulgata, a principio usque ad finem, et quidem ea attentione qua lector Scripturarum argumentum haurire, ejusdemque characterem, divisiones, etc. percipere valeat.

Vulgata imprimis legenda est tum quia catholicis maxime commendatur, tum quia reapse veritatem revelatam nobis refert.

Ratio autem cur Scripturarum argumentum cognosci debet, priusquam penitius sensus inquiratur, ea est, scilicet ut ex toto de partibus facilius promptiusque judicetur. Utendum vero est bonæ notæ editione, ubi inveniantur capitulorum argumenta ab Ecclesia approbata, nec non et indicationes locorum parallelorum, aliæque additiones incipientibus non inutiles.

Ex hac prima lectione efformatur generalis *idea* totius Scripturæ, apparentque partes in toto, cum sua propria dignitate et conditione. Tuncque ulterius procedendum est.

Secundo igitur, finita illa lectione, iterum te legendis Scripturis accingere debes, sed adjunctis omnibus auxiliis illis quibus plenius perspicaciusque intelligi poterunt.

[1] Cf. S. Th. 2, 2, q. I, a. 7 et loc. parall.

Sumendus itaque erit unusquisque et singulus liber separatim, de quo imprimis inquirendum tibi erit :

Quodnam sit ejusdem argumentum, ut inde percipias utrum in tua interpretatione omnia conveniant;

Quis scripserit; cujusnam patriæ et conditionis fuerit, quia inde plura ad intelligentiam libri conferre possunt;

Quo fine scripserit, ut innotescat argumentationum ratio et nexus ;

Qua lingua scripserit; unde plura tibi elicere licebit;

Quo loco librum composuerit, et quo tempore ;

Quibusnam documentis forsan, vel quonam amanuensi usus fuerit, etc., suppositis cæterum omnibus quæ ad authentiam, integritatem, incorruptionem probandam conferre possunt. — Nulla denique omittatur notitia etiam *bibliographica*, ut ajunt, ad acquirendam libri interpretandi extrinsecam notitiam. De his omnibus te certiorem facient innumeri auctores qui *Introductiones particulares* ediderunt [1].

228. — Hisce præhabitis notionibus, tunc ad lectionem illam procedendum est, de qua inquirimus quomodo exigenda sit.

Imprimis legendus videtur textus vulgatæ editionis.

Postea legendus textus primigenius, scil. hebraicus vel græcus, et textus translatus in versionibus antiquis, et quidem in viciniori lingua, si fieri poterit; iterum legendi codices, etc. Si aliquis per se non omnia hæc potuerit, utatur commentario breviori, quo indicentur vel conformitates vel diversitates textuum. Si consentiant textus, tum indicium erit veritatis, et quærendum est utrum confirmentur sequentibus indiciis; si non conveniant, de his judicandum est juxta majorem certitudinem vel probabilitatem, quæ vel ex textu ipso, vel ex indiciis sequentibus apparebunt.

229. — Demum, postquam lectus fuerit textus, ejusdem penitius indagare sensum oportet. Unde curandum est:

Ut verba in sensu auctoris sumantur, juxta ejusdem linguam propriam, stylum, etc., attentis præsertim tropis, emphasibus [2], etc.

Ut imprimis eadem verba, quantum fieri poterit, non remaneant obscura, confusa, vaga, æquivoca, etc. in mente nostra, quæ in mente auctoris fuerunt clara, perspicua, certa, propria, etc.;

[1] Inter quos, ad usum tyronum, indicare placet opera DD. Lamy et Vigouroux.

[2] Cf. S. Th. *In Psal.*, Prol.

Proinde inquirenda tibi eorumdem significatio, cum *attentione*, i. e. omnibus et totis mentis viribus, unde intellectus debilitati suppleatur; cum *perseverantia*, ita ut longo tempore possimus quod pauco non possumus; cum *meditatione*, ita ut inventione nostra confirmetur quod ab aliis accipimus; cum *quiete*, ita ut in inquirenda veritate liberi evadamus tum ab illusionibus phantasiæ quibus fit ut aliquis vel non discernat veritatem sub metaphoricis signis latentem in Scripturis, vel istis phantasias proprias ingerat; tum a passionibus, v. g. nimio amore vel sui, vel aliorum, vel præjudiciorum, vel antiquitatis, vel novitatis, etc. quibus aliquis affulgenti veritati repugnat, vel pro veritate errorem aut dubium accipit; cum *definitione*, *abstractione*, *divisione*, quibus propositionum vel notionum partes separatim investigabit interpres, ita ut rem totam melius cognoscat; cum *comparatione*, i. e. analysi vel synthesi conferendo textus sensum cum contextu Scripturæ, cum locis parallelis, cum aliis doctrinis revelatis quas Ecclesia, concilia vel patres etc. proponunt; conferendo iterum cum aliis scientiis, v. gr. chronologia, historia, archæologia, astronomia, geologia [1], etc., quia verum certum vero certo repugnare nequit; demum cum *prudentia*, ita ut non tradatur tamquam certo falsum vel certo verum quod non est nisi dubium, vel opinabile, vel probabile.

Hæ videntur præcipuæ interpretandi regulæ: quæ quidem fusius evolvendæ forent nisi vel deesset locus, vel alii passim, etsi forsan ordine diverso, tradidissent.

Hæc omnia, si æquo animo perpendantur, omnibus sane justa, clara, rationabilia apparebunt, unde ex iisdem refutata remanebunt systemata falsa in Germaniam præsertim a recentioribus inducta [2].

230. — Nunc de interpretatione quoad sensum mysticum.

Sensum mysticum diximus quem res per verba significatæ, non ex se, sed ex institutione divina, præ se ferunt.

Quia autem ea quæ a sola Dei voluntate pendent non nisi

[1] De his commendamus, servatis servandis, *Aids to the student of the holy Bible*, London.

[2] Hæc imprimis sunt: *Systema luminis interni*, *rationalismus biblicus; systema accommodationis; interpretatio moralis; interpretatio psychologica; interpretatio mythica*, etc. De his vide Lamy, Glaire, etc. Cf. Gonzales, O. P. in *Philosophia elementaria*, vol. I, pag. 214, et seq. Vix credendum est quantum laboret homo ad expellendam veritatem!

docente Deo nobis innotescere queunt, hinc est quod inquirere debemus utrum et quomodo Deus hujusmodi voluntatem manifestaverit, indeque discere utrum et quomodo res aliquid significaverint.

Porro Deus voluntatem suam liberam in revelatione manifestat, i. e. in ipsa Scriptura vel in traditione.

Unde quotiescumque in ipsa Scriptura asseritur dari sensum mysticum, iste accipiendus tenendusque erit, et quidem cum omnimoda certitudine [1].

Quotiescumque autem traditio eumdem sensum indicabit, vel traditio illa talis erit quæ certitudinem pariat, tunc sensus mysticus cum certitudine aderit; vel traditio ea erit quæ probabilis tantum dicenda sit, et tunc nonnisi probabiliter dabitur sensus ille.

Hic aptare præstat quæ prudentissime habet Bañez: " Adverte quod in hac re fugere debemus duo extrema, in intelligendis metaphoricis locutionibus. Alterum est eorum qui vehementer delectantur figuratis locutionibus, et ubi nulla est figura figuram ipsi fingunt. In quod extremum incidit Origenes *Super Gen.*, ut ait Hieronymus in *epistola ad Pammachium*, adversus errores Joannis Jerosolymitani, T. III..... Aliud vero extremum est eorum qui sectantur morem judaicum, omnia in propria significatione interpretantes, etiam illa quæ scripta sunt metaphorice. Et multi olim inciderunt in hoc extremum, ut dicit Hieronymus *super Ezechielem*, cap. XXXVI. De qua re vide D. Aug. Lib. III *De Doctr. Christ.* cc. X, XV et XVI.

" Secundo est advertendum quod quando divina Scriptura utitur metaphora, theologus debet dare operam ut intelligat optime naturam et proprietatem rei qua utitur Scriptura in figura, et notare solum illud in quo metaphora fundatur, ut ibi: Estote simplices sicut columbæ,... notare simplicitatem columbæ, prudentiam serpentis, alias autem proprietates relinquere. Vide Eusebium, Lib. VIII *De Præparatione Evangelica* [2], c. III. "

231. — *B.* Interpretatio quoad sensum implicitum seu consequentem quomodo haberi possit dicendum nunc est.

Sensus iste est quem argumentando ex Scripturæ explicitis assertis educimus.

[1] Cf. Tiboni: *Il Mistica Bibl.*, p. 47. [2] *In* I^am^ q. I, a. 9.

Sciunt omnes argumentum fieri posse sive per *analysim*, sive per *synthesim*, de quibus adeas logicos. His utrisque utimur quoad inveniendum sensum Scripturæ consequentem.

Utimur analysi, *primo*, quando aliquis textus Scripturæ, aut aliqua propositio, aut veritas Scripturis contenta in partes suas divisione stricta dividitur, partibusque separatim ac attente consideratis, judicium de toto fertur; v. gr. si ex illo textu: „ Diliges proximum tuum sicut te ipsum, „ colligatur, prout fit apud Angelicum, amoris erga proximum ratio simul et modus [1]; *secundo*, quum per inductionem a particularibus ad universalia concludimus: v. gr. si ex consideratis omnibus Scripturæ prophetiis, negetur aliquando inveniri æquivocationem illam: Ajo te Eacida..... „ In his enim omnibus habetur tamquam *resolutio*, ἀνάλυσις, minus universalium in universaliora.

Adhibetur autem synthesis, σύνθεσις, seu compositio, quum e contrario ab universalioribus ad minus universalia regressus fit, quod sæpissime occurrit, dum v. gr. dogma colligimus eo quod variæ ejusdem partes passim in Scripturis asseruntur, ut puta, Spiritum sanctum a Filio procedere, etc. In hoc enim et in aliis similibus ex propositionibus certis, et ex definitione rei de qua agitur fit *compositio* quædam, et proinde affirmatio.

232. — Propter rei gravitatem et usum, hic nonnulla dictis addere censemus circa sensus consequentis inventionem.

Ex aliquo Scripturarum asserto eruere licet argumentum, sive *subjectum* ipsum, sive *adjuncta* consideremus.

Imprimis subjectum vel *in se* vel *in terminis* quibus exprimitur inspici potest, et ex utroque respectu arguere licet.

In subjecto enim ipso et *naturam* et *divisionem* ipsius animadvertere possumus.

Ex natura quidem subjecti, de accidente quandoque concludere licet; v. gr. eo quod Christus maneat in æternum colligere licet nobis cum S. Paulo ipsi sacerdotium sempiternum competere [2].

Ex divisione plerumque argui iterum potest, dum v. g. mox partem ex toto probamus, juxta illud: *Si est totum, est pars*, ut si ita concludas: Christus est homo, quia passim vocatur Filius hominis: ergo habet animam rationalem [3]; mox totum ex

[1] 1. 2. q. 44, a. 7.

[2] Hebr. VII, 24.

[3] Cf. I. Joan. IV, 2, 3.

omnibus partibus, ut si concludamus Apostolum nullatenus separari potuisse a charitate Christi, eo quod nulla periculorum species a Christo eum separare potuerit, prout ipse narrat [1], juxta axioma receptum: *Exclusis partibus omnibus, excluditur totum;* mox aliquid de toto ex parte concluditur, prout fert aliud axioma: *Si est in parte, est in toto:* ita cum Christus dixerit animam suam fuisse aliquando tristem, concludere possumus ipsum fuisse tristitiæ obnoxium [2]; mox exclusis cæteris partibus, consequentiam de parte quæ superest asserimus: ita ex eo quod Deus respuerit omnes hominum victimas, colligimus necessariam fuisse victimam divinam [3].

233. — Haud secus ex signis seu terminis quibus subjectum exprimitur plura concludere possumus. Termini enim illi sunt vel *nomina* vel *definitiones*.

Ex nominibus ergo tripliciter arguere cuique licet. Primo, aliquid de re probare possumus *ex nomine* illi indito, v. g. Deum esse *per se*, quia vocatur יהוה; Verbum incarnatum esse *salvatorem*, quia vocatur ישע vel ישן; esse *prophetam*, *sacerdotem* et *regem*, quia dicitur Χριστος; angelos esse ministros Dei, quia tali nomine (ἄγγελοι) donantur; et ita quotidie arguitur ex nominibus divinitus impositis [4], v. gr. Abraham, Petro, etc. Secundo, *ex etymologia* possumus aliquando demonstrare nomen alicui convenire. Ita, Christus fuit *Deus nobiscum:* ergo recte vocatus est Emmanuel, עמנואל, i. e. *chim* cum, *nu* nos, *el* Deus, cum duplicatione τοῦ מ, ratione dagesh fortis [5]. Quod nomen, non ex dignitate Christi, sed ex facto Incarnationis colligitur. Tertio, *ex conjugatis:* „ Conjugata dicuntur quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt quæ orta ab uno varie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia. Hæc verborum conjugatio συζυγία dicitur, ex qua hujusmodi est argumentum [6]. „ Ita: Christianus es; ergo es a Christo [7].

Ex definitione iterum tripliciter argui datur, quia tripliciter

[1] Rom. VIII, 35. [2] Matth. XXVI, 37.

[3] Hebr. X, 8.

[4] Hic tamen notanda est aurea D. Thomæ sententia: „ In significatione nominum, aliud est quandoque a quo imponitur nomen ad significandum, et id ad quod significandum imponitur „ I. q. 13, a. 2 ad 2m. — Cujus sententiæ nimis immemores se præbent hodierni philologi.

[5] Matth. I, 23. [6] Cic. *Topica*, III.

[7] Act. XI, 26 et XXVI, 28.

definiri potest vel subjectum, vel attributum ad probandam utriusque connexionem aut repugnantiam. Aliquando enim sumitur *integra definitio;* ita: Homo constat anima rationali et corpore: atqui Christus est homo; ergo. Aliquando sumitur *solum subjecti genus;* ita: Homines sunt animalia: ergo mortales [1]. Aliquando demum sumitur *sola differentia* quæ generi addita constituit speciem; ita: Homo est rationalis: ergo factus est ad Dei imaginem.

234. — Deinde ex adjunctis rursus argui potest, et quidem triplici modo; scil. ex adjunctis *per causalitatem*, *per similitudinem* et *per circumstantias.*

Adjuncta per causalitatem sunt *causæ* et *effectus.*

Ex causis argui potest cum effectus probantur per causam tum *finalem*, ut: Eva malum finem intendit: ergo male egit; tum *efficientem:* Eva spiritui superbiæ cessit: ergo superbe egit; tum *formalem:* Eva habuit animam intellectivam: ergo fuit rationalis; tum *materialem:* Eva erat pulvis: ergo mortalis erat [2].

Ex effectibus e contra argui potest ad probandam causam. Ita arguunt coram Deo primi parentes, dum Adam mulierem, mulier serpentem inculpat.

Ex adjunctis per similitudinem arguere iterum possumus, et quidem dupliciter; id est *a simili* et *a contrario.* A simili arguere possumus, quia *similium similis est ratio*, et ita sæpissime ex Scripturis arguunt prædicatores. Sic v. gr.: Deus Susannam orantem exaudivit: ergo et te orantem exaudiet. Sed ille argumentandi modus triplex esse potest: nempe *a pari:* Omnis sacerdos offert hostias: ergo et Christus pariter offerre debuit [3]; *a majori:* Abolita sunt cæremonialia Moysis: ergo et prohibitio animalium immundorum [4]; *a minori* demum: Sanguis hircorum sanctificavit: ergo melius sanguis Christi [5]. Quod ultimum argumentum *a fortiori* etiam vocatur, quia si agatur de rebus in eodem genere constitutis, quod valet in minori valet melius in majori.

A contrariis pariter arguere possumus, dum unum ponimus ad excludendum aliud, quia scil. *contrariorum contraria est ratio;* ita: Superbia Evam perdidit: ergo salvasset humilitas.

[1] Cf. Eccl. XII, 7.
[2] Gen. III, 4; II, 20; III, 19.
[3] Hebr. VII.
[4] Coloss. II, 16; Hebr. VIII, 13.
[5] Hebr. IX, 13.

235. — Denique ex circumstantiis argumentationes educere nonnunquam licet. Circumstantiæ vero *ad personam*, *ad tempus*, *ad locum* præcipue pertinent. Unde v. gr. ex rusticitate Apostolorum, ex loco et tempore quo vixerunt, multa argui possunt et debent circa ipsorum opera. Quandoque autem circumstantiæ sunt *antecedentes*, et inde arguere licet : Si homo culpa sua donis gratuitis spoliatus est, Deus non est injustitiæ culpandus; quandoque *concomitantes :* Petrus est piscator : ergo ignorans; quandoque *consequentes*, ex quibus ducitur argumentum, quum propositis duobus, a posteriore argumentamur; ita: Si sola Eva peccasset, non autem Adam, peccatum in posteros non transiisset, quia iste formaliter, illa materialiter ad generationem concurrit [1].

His argumentationum modis addi posset argumentatio ab auctoritate, quæ ducitur ex Scripturis, qua testimoniis, sive agatur de quibuscumque Scripturæ assertis, sive de aliorum dictis quæ in ipsa referuntur.

Sed dicta sufficiant. Quoad cætera ad logicos remittimus, apud quos inveniet studiosus multa de fallaciis verborum et rerum in argumentando vitandis, quæ hic, brevitati studentes, transmittimus [2].

236. — *C*. De interpretatione quoad sensum nec explicitum nec implicitum, seu accommodatum, dicendum jam foret. De hac tamen nihil addimus, præter superius de eadem dicta, cum nonnisi aliqua analogia fundetur, ac dependeat non a Deo, sed ab homine.

Apud varios auctores innumeræ inveniuntur de interpretatione regulæ: has omnes quasi in compendio logico tradere curavimus. Earumdem vero explanationes apud auctores illos haud difficile quisque inveniet [3]; easdemque requiret quisquis sollicitus fuerit de cavenda illa triplici in Scripturis interpretandis difficultate, scil. fastidio, irrisione et superbia [4].

[1] 1. 2. q. 81, a. 5.

[2] Cf. Aristot. *Topica;* Cic., *Topica;* Goudin, *Philosophia*, vol. I.

[3] Sic v. gr. Opstræt 68 regulas hujusmodi tradit quoad solam interpretationem; quarum 25 ad sensum litteralem; 16 ad mysticum; 7 ad prophetias; 9 ad psalmos; 9 ad Evangelia; 2 ad parabolas pertinent (Opstr. *De Loc. Theol.* Diss. I, q. X). Quæ omnia non sine confusione dicta videntur. Cf. C. Thil, *De Locis Theologicis*, sec. I, c. V; Cornely, *Introd.* Diss. III.

[4] Cf. S. Th. *Pot.* q. IV, a. 1; *Quodl.* VII, 14, 2m.

II.

Quomodo proferendi sunt Scripturæ sensus.

237. — Ea nobis mens non est interpretum S. Scripturæ etiam magis illustrium catalogum texendi, quem forsan nonnullus requireret, cum hic locus non sit, atque aliunde catalogum istum apud doctissimum Calmet in Bibliotheca Dictionario præmissa invenire liceat [1].

Hic notasse satis sit ex illis alios *vetustiores*, *recentiores* alios esse; alios *orientales*, alios *occidentales*; alios *universales* qui totam Bibliam, alios *particulares*, qui ejusdem partem solum exposuerunt; alios *uni*, alios *alteri sensui* magis addictos, juxta illud:

Historiam hebræis et græcis fontibus haustam
Hieronymo disces duce;
Allegorias, anagogenque recludent
Origenes, Ambrosius;
Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus, Gregorius;
In dubiis altaque locis caligine mersis
Aurelius lucem feret:
At brevis et facilis non est spernenda tyroni
Lirinensis expositio.

Hoc vero imprimis notare præstat quanam usi fuerint methodo, unde et nobis discere liceat quid in iis admiserint veteres, quid admittere possent et recentiores.

238. — Propositio. *In exponendis igitur Scripturarum sensibus, vel textus sacer in se immutatur quoad verba, vel eidem nonnihil additur, et hoc quidem diversimode.*

I. *Prima pars* propositionis probatur.

Textus autem *in se* immutatur vel *per translationem in formam aliam*, vel *per meram verborum seu dictorum transpositionem.*

I. Translatio textus sacri, seu interpretatio fieri potest vel per *figuram* vel per *scripturam.*

[1] Vide editionem Mansi, Venet. 1766. In qua plura de rebus biblicis legenda. — Cf. præterea Wirceburgenses, *De Princip. theol.* cap. I, art. V; Cornely, *Hist. et Crit. Introd.* Parisiis, 1885; Lamy, *Introd.* vol. II, in fine; Nat. Alex. *Hist. Eccl.*

1. Per figuram scil. aut delineationem in pergamenis, lapidibus, laminis, etc. exprimi, et quidem egregie nonnunquam, possunt biblica dicta.

Qua in exprimendi et explanandi ratione spectari possunt *objectum* et *modus*.

A. Objectum autem erit:

Vel *res*, v. gr. Palæstina, quam primus topographice depinxisse fertur Eusebius Cæsariensis; aut templum Jerosolymitanum, quod nonnulli nostratum graphice instaurant;

Vel *facta*, ut puta ea quæ pingunt artifices.

B. Si spectetur modus, expressio illa erit:

Vel *stricta*, ubi res adamussim, quales extiterunt aut sunt, referuntur, quod præstant topographi, archæologi, architecti, etc.

Vel *laxior*, qua nempe quoad rationem exprimendi nonnihil phantasiæ tribuitur, etsi servetur rerum vel factorum substantia. Haud secus nobis reficitur arca noemitica, turris babelica, etc.; vel ubique pinguntur utriusque Testamenti facta.

239. — 2. Per scripturam vero imprimis fiunt translationes. In quibus duo attendi possunt, nempe ipsa *translatio* et *modus*.

A. Translatio ipsa fieri potest vel in *aliam linguam*; vel *in aliam formam ejusdem linguæ*.

a. In aliam quidem linguam innumeræ habentur translationes, quarum illustriores alias indicamus. Hic de earumdem dotibus et utilitate tantummodo facimus verbum.

Translatio igitur summa cura summaque fide fieri debet: unde supposita prius linguarum e qua et in quam fit translatio cognitione, tria videntur requiri ac sufficere in translatore seu interprete.

Primum est ut recte et integre intelligat ac perspiciat sensum primigenium: quod pertinet ad intellectivam partem.

Aliud est ut res intellecta iisdem qua fieri possit significetur metaphoris, tropis, signis, etc.: quod pertinet ad imaginativam partem.

Tertium est ut eodem stylo, sermonis scil. demisso, sublimi, mediocri, etc., qui in primigenio textu adhibetur, translatio fiat: imo earumdem familiarum vocabulis, ut fieri poterit, salvato omnino sensu, reddatur: quod pertinet ad partem exterius significativam, seu modum exprimendi.

Liquet autem secundum tertio, primum cæteris duobus præstare.

Translationum vero duplex utilitatis genus imprimis habetur: aliud nempe iis qui vetustiores linguas ignorant, nec tamen Scripturas ignorare possunt; aliud iis qui linguas illas callent, quibus tamen maximi erit emolumenti si conferre secum poterint quomodo alii Scripturas intellexerint, quænam fuerit verborum formularumque ex usu significatio apud antiquos, ac nobis ex traditione pateat [1], quomodo vicissim discrepaverint aut convenerint vetustiores textus unde effectæ sunt translationes.

b. Translatio iterum fieri potest in aliam formam ejusdem linguæ, dum scil. in eodem idiomate res eadem aliis dictionibus exprimitur; ut puta si quis veteris Testamenti facta hebraice referret, vel novi Testamenti græce; vel etiam varias in uno idiomate translationes conficeret aut ederet.

240. — *B*. In translationibus autem illis Scripturarum varius habetur modus quoad duo, scil., *quoad dicendi formam*, et *quoad stylum*.

a. Dicendi forma triplex habetur, scil. vel per *prosam* seu planum sermonem, vel per *poesim*, vel per *utramque alternatim*.

Prosa ubique usi sunt quasi omnes interpretes.

Poesim tamen plures adhibuerunt, v. gr. Nazianzenus apud Græcos, Juvencus, Arator, Prudentius apud Latinos.

Quæ poetica methodus vario metro apud varios adhibetur.

Mox enim, inter vetustiores imprimis, in usu accipiuntur leges apud antiquos usitatæ, juxta nempe syllabarum *quantitatem prosodicam;* mox non syllabarum quantitati, sed earumdem *numero* solum attenditur atque *rythmicæ consonantiæ;* mox demum *utrumque simul* admittitur.

Ubi autem rythmus consonantiarum occurrit, tunc erit vel *monorythmicus*, ubi nempe duo versus in fine symphoniam rythmicam efficiunt; vel *dirythmicus*, ubi et in medio et in fine duorum versuum servatur illa eadem; vel *isogrammaticus*, quo aut præter rythmum, idem habetur litterarum numerus: qui versus tunc simplex audit; aut consonantiis et eidem litterarum nu-

[1] De quo nonnulla egregie dicta habes apud Ant. Stoppani: *Cosmogonia Mosaica*, cap. x, etsi plura hujus libri nobis non probentur omnino.

mero hoc adjungitur quod exprimat varias figurarum imagines, quæ minio distinctæ mysterium explicant.

Poesim et prosam simul adhibuerunt inter alios Eulalius Gnopoleos episcopus apud Græcos, Wulramus Marpurgensis abbas inter Latinos. Qui modus Scripturis apprime quadrat, cum istæ in primigenio textu partim poesi, partim prosa constent.

b. Modus quoad stylum in eadem lingua diversus habetur pro varietatibus innumeris ingeniorum, circumstantiarum temporis et loci, etc. Hinc v. gr. longe gravior sermo Bossueti in vertendis Scripturis quam alicujus faceti recentioris qui novum Testamentum inepte vertit.

241. — II. Transpositio est ubi transferuntur verba ab uno ad alium textus locum, unde inter se mutuo illustrantur. Transpositio autem illa fit vel *juxta verborum formam*, vel *juxta verborum significatum*, vel *juxta utrumque simul*.

1. Transpositio juxta verborum formam fit in *lexicis*, seu *dictionariis*, aut *vocabulariis*.

Ex iis autem alia sunt *particularia*, alia *generalia*, prout vel aliqua solum, vel omnia Bibliæ vocabula complectuntur.

Particularia sunt *geographica*, *botanica*, *zoologica*, *archæologica*, *historica*, etc.; generalia hæc omnia complectuntur. Ista verbis simpliciter, illa verbis juxta rerum distinctionem constant.

2. Transpositio, juxta verborum significatum, habetur quando *ejusdem* vel *analogi* significati ratione simul componuntur verba: quod fit vel *dividendo*, vel *divisa colligendo*.

A. Divisio autem fit vel per *partitionem*, vel per *eclogen*.

a. Partitio fit cum totum aliquid in partes distribuitur. Quæ in usu admittitur ratione commodi tum docentium tum discentium. De quibus divisionibus successu temporum in Scripturas inductis multi passim tractarunt [1].

b. Ecloga est excerptorum hinc inde coacervatio ad fidei morumque institutionem: unde habentur *specula*, *loci communes*, *harmoniæ*, quæ et *concordantiæ* passim dicuntur.

Specula quibus ex singulis Scripturæ libris, absque ullo ordine, selectæ sententiæ componuntur, cujusmodi est *Speculum* Augustini;

[1] De quibus et ipse Angelicus nonnulla dixit, *In Is. Prol.* II, princ.

Loci communes seu sententiarum ex Bibliis collectiones sub variis distinctisque titulis aut capitulis;

Harmoniæ, quæ vel adductis ipsis textibus, vel sola numerorum serie [1], similes sententias complectuntur. Celebres evaserunt harmoniæ Ammonii Alexandrini et Eusebii Cæsaræensis.

B. Collectio divisorum fit dupliciter, nempe vel *cum themate*, vel *absque themate*.

a. Cum themate fit quando applicatur textus sacer circa thema aliquod particulare, sicut Gregorius Nyssenus vitam Moysis, Ambrosius autem Abrahæ conscripserunt ex iis quæ passim in Scripturis de singulis traduntur.

b. Absque themate fit quando Scripturæ sensus imprimis, sed et ipsa verba in proprium usum colliguntur. Hinc habetur *rapsodia*, quæ dicitur *hagiographica*, ubi compilantur Scripturæ textus in ipsius expositionem, ita ut obscuriores per apertiores clarescant. Hæc prima istius regula erit ut textus non vi, sed quasi sponte componantur; altera ut eosdem nonnullis e tuo penu verbis et quidem brevibus connectas.

C. Transpositio, juxta formam simul ac sensum verborum fit in *concordantiis*, quarum inventor extitit card. Hugo a S. Charo.

Quæ duplici methodo disponi possunt: vel nempe singulum verbum in singulis successive Bibliorum libris cum omnibus suis formis refertur; vel verbum singulum cum singula forma per omnes libros simul adnotatur. Illæ Hugonis a S. Charo sunt, istæ nonnullorum recentiorum.

Concordantiis sic utendum est ut juxta præfixam legem et ordinationem logicam, de proposito objecto inquiras quænam ejusdem sint juxta Scripturas definitio, partes, causæ, effectus, modi, dotes, officia, loca, tempora, necessitas, utilitas, impedimenta, media, etc.

II. *Secunda pars* propositionis probatur.

242. — In exponendis siquidem Scripturis occurrunt et addita quædam extrinsecus.

Quæ addita sunt aut *signa* aut *explanationes*.

I. De signis prædictis, quæ notas dicit, unde et *notariaca* me-

[1] Cujus egregium exemplum habes in veteri Bibliæ codice in Bibliotheca Gratianopolitana asservato. Hic variæ dantur tabellæ in quibus singulatim indicantur 1. loca quatuor Evangeliis communia; 2. loca quæ in tribus tantum leguntur; 3. loca quæ in duobus; 4. loca propria, seu quæ in uno tantum.

thodus, hæc habet Penzi, quæ hic referimus prout utilia in antiquis legendis.

" *Notaria*, sive notariaca expositio, est methodus quæ per notas quasdam, sive characterum, sive linearum vel punctorum divinis Scripturis vel appositas vel insertas, verborum ac sententiarum, necnon latentium sensuum rationem demonstrat. Apud vetustissimos præsertim Græcos notarum frequentissimus fuit usus.

" Notæ vero quas hic subjicimus, in Epiphanio, Stratonico, Suida videri possunt.

" Porro earum aliæ *litteratæ* sunt, aliæ *illitteratæ*.

243. — " Litteratæ hæ sunt: Α *Apile*, Γ *Gehennon*, Ε *Ecclisis*, Δ *Diabolos*, Ζ *Zitima*, Μ *Mellon*, Χ *Xenion*, Ȣ *Uranion*, Π *Pneuma*, Τ *Tropos*, Υ *Ypsilon*, $\frac{\Upsilon}{\iota}$ *Ypsilon hypogrammenon*, Χ *Character*, ΧΧ *Character diplos*, ס *Sagur*, פ *Patach*.

" Quotiescumque itaque aliqua ex hisce notulis Scripturarum sententiæ præfixa comperiatur, scito rem aliquam sensumque denotare.

" Quamobrem *Apile*, id est *comminatio*, vaticinia prophetarum significat non decernendi, sed comminandi gratia pronuntiata. Apponitur prædictionibus Isaiæ ad Ezechiam, cap. XXXVIII, et Jonæ III, ad Ninivem.

" *Gehennon*, id est *infernus*, locos notat qui in vetere Testamento obscure loquuntur de perpetuis gehennæ suppliciis.

" *Ecclisis*, hoc est *evocatio*, periodum ostendit de vocatione gentium loquentem.

" *Diabolos* sententiis prænotata indicat eas esse de diabolo intelligendas.

" *Zitima*, idest *quæstio*, abstrusam sententiam denotat quæstionibus difficillimis involutam.

" *Mellon*, i. e. *futurum*, anteponitur sententiæ quæ de præsenti loqui videatur, futurorum tamen temporum continet prænotionem.

" *Xenion*, hoc est *donum hospitibus dari solitum*, demonstrat sententias quæ de donis temporalibus judaico populo factis sunt interpretandæ.

" *Uranion*, hoc est *cœleste*, locum prodit in quo æternæ vitæ felicitas describitur.

" *Pneuma*, idest *spiritus*, significat *pericopen* spiritualiter esse intelligendam.

" *Tropos*, hoc est *locutionis modus*, admonet subsequens dictum non esse intelligendum juxta primam ac nudam vocis significationem; sed secundum usitatam alicujus gentis locutionem. Hac nota utebantur veteres ut indicarent hebraicas phrases, tropos et idiotismos, ut in Psalmo XV, cum dicitur: " Funes ceciderunt mihi in præclaris, „ tantumdem valet ac si dicas: " Optima et illustris sors mihi obtigit. „

" *Ypsilon* indicat sententiam proxime sequentem exponendam esse de rejectione ac depositione populi judaici.

" *Ypsilon hypogrammenon*, idest *(Ypsilon) linea subscriptum*, significat sententiam cui præponitur loqui de rejectione veteris legis secundum carnem.

" *Character*, hoc est *stylus*, *figura*, denotat genus dicendi cuilibet auctori peculiare. Sic olim Platonici phrases et locutiones Platonis annotare consueverunt, quod et in Gregorii Nazianzeni scriptis factitatum esse perhibet in Collectaneis Stratonicus.

" *Sagur*, id est *clausura*, sacris Hebræorum codicibus inserta significat sequentem narrationem cohærere priori.

" *Patach*, idest *porta*, sive *apertura*, in iisdem ostendit sequentem narrationem habere diversum argumentum a priori. „

244. — " Offenduntur quoque pleræque notulæ illitteratæ, nimirum (ut σχήματα omittam): *Stauron*, *Ancyra*, *Ancyranos*, *Asteriscus*, *Obelos*, *Ceraunion*, *Obelos anastigmenon*, *Limniscus*, *Sublimniscus*, *Antigraphus*, *Antisima*, *Cryphia*, *Dipla*, *Diplaperistygme*, *Scilus Nebudoth*.

" *Stauros*, idest *crux*, præfigitur clausulis veteris Testamenti, quæ vaticinium de Christo continent.

" *Ancyra*, idest *ancora*, præfixa est sententiis quæ de novo Testamento et Evangelio mentionem faciunt.

" *Ancyranos*, idest *ancora superior*, ad eum usum apponebatur ad quem nunc temporis manus adhibetur quæ protento indice locum ostendat.

" *Asteriscus*, seu *asterismus*, sive *stella* dictiones et sententias ostendit a prioribus interpretibus omissas, quas posteriores ex hebraica veritate restituerunt, velut illam: Ex Ægypto vocavi filium meum; quæ a Septuaginta prætermissa, a Hieronymo fuit suo loco reposita.

" *Obelus*, idest *lancea*, vel *hasta*, vel *jacens* vel *transversa vir-*

gula pyramidalis, iis sententiis præponitur ubi lectio ascititia videtur incertæ et obscuræ, vel ambiguæ auctoritatis, ut tali nota veluti sagitta confodiantur suspecta atque superflua. Epiphanius tradit Origenem primum omnium asteriscos ad illustranda quæ minus ante fuerunt perspicua, et obelos ad jugulanda superflua divinæ Scripturæ codicibus apposuisse.

" *Ceraunion*, idest *fulmen*, ponitur quoties multi versus improbantur, ne per singulos obeletur.

" *Obelus anastigmenon*, idest *superne punctum habens*, ponitur in illis de quibus dubitatur utrum tolli debeant, vel apponi; e. gr. Lucæ cap. III, generatio Cainan, quam Evangelista interposuit inter generationem Arphaxad et Sale, annumerans quindecim generationes ab Adamo usque ad Heber, obelo superne punctato signanda videtur, quia cap. X et XI Geneseos, et in principio primi Paralipomenon ab Adam ad Heber tantum quatuordecim generationes numerantur, nullaque prorsus fit mentio de generatione Cainan.

" *Limniscus*, idest *virgula inter gemina puncta jacens*, alterum superne, alterum inferne, apponitur in his quæ nonnulli Scripturarum interpretes eodem plane sensu, diversis tamen sermonibus transtulerunt. Est autem hæc nota a medicis et chirurgis desumpta, apud quos *limniscus* est lineamentum, sive linteolum detritum, in tenuem ac longam formam confectum, quod duabus sectionibus incisi vulneris immittitur.

" *Sublimniscus*, idest *simplex linea subjectum habens punctum*, significat sententiam cui apponitur a duobus vel tribus interpretibus eodem sensu et iisdem verbis fuisse translatam.

" *Antigraphus*, idest *semicirculus dextra spectans*, *et punctum intra se tenens*, significat vel in translationibus esse sensum, vel inter translatores diversum ab ipsa hebraica veritate dissentientem.

" *Antisima* ponitur ad eas Scripturæ divinæ lineas quarum ordo permutandus est, sicut in antiquis auctoribus positus invenitur. Hieronymus, in hujus signi locum adhibuit in translatione libri Esther octo priores litteras alphabeti græci minio descriptas, ab alpha usque ad thita, ut ex earum positione ordinem hebraicæ historiæ a Septuaginta sus deque jactatum restitueret.

" *Cryphia*, seu *occultatio*, circuli pars inferior est punctum

intra se continens. Ponitur autem in his locis, ubi quæstio dubia et obscura aperiri et solvi non potuit.

" *Dypla*. Hanc scriptores posuerunt in libris ecclesiasticorum virorum ad separanda vel indigitanda testimonia sanctarum Scripturarum, ne cum verbis commentariorum confundantur. Nunc in locum hujus notæ successit « » hæc altera, vel ut sæpius distinctis characteribus sententiæ Scripturarum impressæ exhibentur.

" *Dypla peristigme*, idest *cum geminis punctis*. Hanc antiqui apponebant in his quæ interpretes hebraicæ veritati adjecerunt, vel ademerunt.

" *Scilus Nebutoth*, idest *tria puncta, super quamvis litteram posita*, apud Kabalistas Judæorum expositores in usu sunt, quoties per singulas alicujus dictionis litteras singulas dictiones volunt intelligi: e. gr. cum in Ps. III dicitur: Multi insurgunt adversum me, Kabalistæ exponentes de populo judaico quærunt qui sunt isti רבים *rabim*, idest multi? Et respondent: isti sunt quatuor populi qui insurgunt adversum populum Israel, quos David significat per quatuor litteras dictionis רבים *rabim*, hoc est ר resch, Romani, ב beth, Babylonii; י jod, Jones, sive Græci, מ mem, Medi, sive Persæ.

" Aliæ rursus sunt notæ queis celebriores veteris Testamenti translationes designantur.

" Numeralis enim nota LXX septuaginta duorum interpretum editionem significat, omisso duorum numero, brevitatis gratia.

" Aquilæ translationem hæc indicat A K, Symmachi vero hæc Σ designat, Theodotionis autem Θ ostendit, E quintam editionem græcam ab Origene in Jerichunte urbe Palæstinæ inventam commonstrat, S sextam editionem græcam ab Origene in littore Actio, circa Nicopolim in doliis inventam ostendit, A septimam editionem a Luciano martyre editam designat [1]. "

Hæc de signis præcipuis apud veteres usitatis, quibus, etsi jam antiquatis, ostenditur patrum in Scripturas indagandas summa religio.

245. — II. Explanationes autem quæ sacro textui addi possunt diversimode distinguuntur, scil. vel ex ipsarum *natura*, vel ex *extensione*, vel ex *dispositione*, vel ex *iis ad quos fiunt*.

[1] Penzi, *Theol. Rud.* Lib. III, cap. VII.

1. Ex ipsarum natura dicuntur vel *scholasticæ* vel *positivæ*.

A. Scholasticarum explanationum methodus est quæ per evidentiam assertorum procedit, textus enucleando, eorumque intimam rationem expendendo. Ita imprimis S. Thomas.

B. Positivæ dicuntur quæ vi auctoritatum fiunt, scil. vel *ecclesiasticarum*, vel *profanarum*.

a. Auctoritates autem ecclesiasticæ, idest pontificum, conciliorum, patrum, doctorum, etc. duplici modo adhibentur, scil. vel per *rhapsodias*, vel per *syllegmata*.

Rhapsodia, quæ et *stroma* dicitur aut *catena*, verba ipsa continet ac refert diversorum auctorum de aliquo proposito Scripturæ loco.

Est autem *anonyma* vel *proonyma*, prout auctorum nomina vel tacet vel præfert. Quo in expositionis proonymæ genere celeberrima evasit *Catena aurea* S. Thomæ.

Syllegma datur ubi ex variis expositorum commentariis colligitur expositio, non quoad verba quidem, sed quoad sensum, variato dictionis genere.

Haud secus dicitur Hieronymus Commentaria sua ex Græcorum commentariis concinnasse.

b. Auctoritates profanæ nonnunquam in exponenda Scriptura adducuntur vel *soluta oratione*, vel *metrice* exaratæ.

Si soluta oratione, tunc habentur *catenæ*, *rhapsodiæ*, *stromata*, etc.

Si metrice, ita ut nempe ex variis versibus vel versuum partibus inter se connexis novus oriatur sensus et ex profano sacer, tunc habetur *cento*. Quo in genere celebriores evaserunt Eudoxia imperatrix, quæ ex Homero hujusmodi centones edidit, et Falconia, quæ ex Virgilio.

246. — 2. Ex sui extensione explanationes dicuntur vel *commentationes*, vel *abbreviationes*, vel *coacervationes*.

A. Commentatio erit vel *paraphrasis* vel simpliciter *commentarium*.

a. Paraphrasis duplex: altera *pressior*, quæ nihil est aliud quam libera translatio; altera *fusior*, quæ iterum duplex: una quidem *sententiis magis quam verbis intendit*, prolixiorique sermone utitur; alia autem *verborum tenacissima est*, nec unum quidem prætermittit, et a quibusdam *paraphrasis intertexta* dicta est.

b. Commentarium est explanatio quædam quæ nunc brevior,

nunc prolixior habetur, seu qualis requiritur ad expositionem Scripturæ sufficientem. Quæ passim et *postillis* constat.

B. Abbreviationes habentur ubi auctorum explanationes fusiores in compendium rediguntur brevitatis ac perspicuitatis causa. Cui pertinent *epitome*, *summæ*, *compendia*, etc.

C. Coacervatio duplex esse potest: alia nempe *sensuum*, alia *auctoritatum*.

Coacervatio sensuum habetur ubi in singulo textu vel absque ordine, vel ordine aliquo separatim exponuntur varii ejusdem sensus, scil. historicus, spiritalis, etc.

Coacervatio auctoritatum hoc modo fit: proposito scil. aliquo Scripturæ textu, primo adducuntur Scripturarum testimonia parallela, secundo singillatim exponuntur hujusmodi testimonia, ita ut commentatio illa in molem infinitam excrescere possit. In quo peccasse dicitur ille Thomas Hasselbach reipsa Germanus, qui unum et viginti annos insudavit in exponenda prima parte primi capituli Isaiæ, de quo viginti quatuor libros edidit.

247. — 3. Dispositio explanationum vel *intra*, vel *juxta*, vel *extra* textum sacrum fieri potest.

A. Intra textum disponi bifariam potest explanatio, vel nempe *inter lineas*, et dicitur *interlinearis*, ita ut nullimode interrumpatur textus sacer; vel intra phrases seu incisa ipsa quæ exponuntur, unde interrumpitur textus sacer.

Prima methodus plerumque adhibetur in paraphrasi, altera cum postillis.

B. Juxta textum ordinantur explanationes duplici modo.

a. Vel enim nihil interrupto S. Scripturæ textu, disponuntur *in marginibus*, aut in *ima pagina*, e textu ad postillam remittentibus numeris.

b. Vel exhibentur *in aliqua tabella separata.* " Disponitur autem hujusmodi coaptationis artificium duabus potissimum tabellis ita in eadem pagina digestis, ut prima columna contineat singulas sacræ lectionis dictiones, alteram ab altera collocatas, suisque numeris signatas. Secunda vero columna complectitur verba expositionis singulis sanctæ lectionis verbis ita e regione respondentibus, ut uno eodemque aspectu et textus et expositio cernantur [1]. "

[1] Penzi, *Theol. Rud.* Lib. III, cap. VII.

Patet autem hujusmodi dispositionem perspicuitate præcellere.

C. Extra textum, idest separatim, disponuntur explanationes, ubi in separatis lucubrationibus quædam exponuntur de sacris Scripturis: quod fit *decertationibus*, *dissertationibus*, *disputationibus*, *disquisitionibus*, etc.

248. — 4. Ex iis ad quos fiunt expositiones illæ nova habetur distinctio.

Vel enim *sibi*, vel *aliis* interpres Scripturas exponit.

A. Si sibi exponit, tunc habetur imprimis *meditatio* in Scripturas, seu *contemplatio*, *affectiva expositio*, etc., quæ fit affectibus præsertim verbisque simul æstuantibus. Ad quam requiruntur ex parte interpretis tria, videlicet *ascensus in Deum contemplandum; descensus in seipsum arguendum et elevandum; regressus in Deum laudandum et invocandum.*

Quæ methodus erit *sublimis* vel *demissa*, prout vel mystica arcana, vel vias ordinarias imprimis respiciet.

Qua in methodo excelluerunt ac sequendi sunt S. Bernardus, S. Bonaventura, Landulphus Carthusianus, Dionysius Carthusianus, Hieronymus Savonarola, etc.

B. Si interpretatio aliis fiat, tunc vel ad modum *monologi*, vel ad modum *dialogi*.

a. Si fit ad modum monologi, tunc vel *ad vulgus*, vel *ad doctos* habetur.

Dum autem habetur ad vulgus, duplici ratione hoc fieri potest, vel nempe *strictius*, vel *liberius* quoad Scripturarum textum.

Si strictius, tunc est *homilia*, in qua simplici potius et plano sermone exponitur textus et inde colliguntur hortamenta.

Si liberius habetur, tunc vel demisso stylo, et est *alloquutio;* vel sublimiori ac vehementiori, et tunc est *sermo*, *concio*, *declamatio*, etc.

Dum ad doctos fit Scripturarum expositio, tunc ad eos vel *indeterminate*, vel *determinate*, nempe ad scholares habetur.

Si indeterminate, tunc est *enarratio* Scripturarum simpliciter, quæ potius in hoc consistit ut Scripturæ, omnibus mediis recte adhibitis, clarior evadat sententia. Si autem determinate, hoc est ad scholares, tunc fiunt *lecturæ*, *lectiones*, *tractatus*, etc., quæ divisionum perspicuitate, dictorum docta sobrietate et veritate, tum intelligentiæ, tum memoriæ discipulorum commodiores evadunt.

b. Si fiat expositio ad modum dialogi, tunc erit vel per *inquisitionem*, vel per *expositionem*, vel per *utramque*.

Si fit per inquisitionem, tunc habetur *problema*, *quæstio*, *disceptatio*.

Problema est quando de Scripturæ sensu magis ambigue interrogatur, vel respondetur, quam quid certe decernatur. Ita sæpius Aug. *De Gen. ad litt.*

Quæstio est quando fit certa, brevis ac præcisa interrogatio de aliquo. Ita Aug., *Quæst. Evang.*; Vigouroux, *Manuel*, etc.

Disceptatio est quando propositis hæreticorum argumentis respondetur, atque veritas in se comprobatur disputando.

Si dialogus habeatur per expositionem, tunc est imprimis per *epistolas*, quia epistolæ non sunt nisi colloquia scripta, cum hac solum differentia quod hic et nunc non fiant interrogationes, objectiones, etc. Quo in genere excelluerunt apud Græcos quidem Isidorus Pelusiotes; inter Latinos, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius.

Si dialogus per inquisitionem simul et expositionem fiat, tunc est *collatio*, seu *colloquium*, *tractatus*, etc.

In quo sane familiarius adhibetur loquendi genus.

Collatio autem erit vel *continua* vel *interrupta*.

Continua quidem, vel continuata, ubi unus loquitur, aliorum tamen referens verba, simulque eadem hac formula connectens: inquam, inquit, etc.

Interrupta autem est ubi diversæ inducuntur colloquentes personæ, interrogantes vel respondentes proprio nomine, ut fit apud Platonem.

Hoc in genere quoad rem nostram excelluit Aloysius Legionensis, in suo libro *De nominibus Christi*.

Ex his omnibus liquet interpretem aliam aliamve methodum admissurum esse, pro variis rerum, locorum, temporum, personarumque adjunctis.

§ 3.

Quænam sit vis probandi Scripturarum.

249. — Demum ad illud devenimus quod nostra maxime interest, scilicet quænam sit Scripturæ probandi vis et facultas. Quum tamen hic dicenda non sint nisi quædam prædictorum corollaria,

rem brevius faciliusque expedituri sumus, et singillatim quidem *quoad sensum explicitum*, *quoad sensum implicitum* et *quoad sensum nec explicitum nec implicitum*.

I. De vi probandi sensus explicite in Scripturis contenti.

250. — Quem duplicem esse diximus et probavimus, unde dicendum est de utriusque vi probandi, nempe de vi probandi primo *sensus litteralis*, secundo *sensus mystici*. Etsi enim sensus uterque a Deo immediate sit intentus, quia tamen diversimode nobis innotescit, duplex statuenda propositio.

PROPOSITIO I. *Quæ reipsa in sensu litterali Scripturarum continentur sunt certa, et quidem de fide aut theologica aut ecclesiastica.*

Probatur per partes.

A. Primo ea quæ in litterali sensu continentur sunt certa.

a) Ita Origenes: " Omne juramentum confirmatio est verbi de quo juratur. Juramentum ergo esse intelligendum est omne testimonium Scripturarum, quod profertur ad confirmationem nostri verbi: ut sit quidem templum gloriæ Domini omnis Scriptura divinitus inspirata; aurum autem sensus positus in ea. Debemus ergo ad testimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem, quem exponimus, sensum. Sicut enim omne aurum quod fuerit extra templum non est sanctificatum, sic omnis sensus qui fuerit extra divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur a sensu Scripturæ, quæ solet eum sensum sanctificare quem habet in se, sicut templum proprium aurum. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam nostram nostros proprios intellectus jurare, et quasi testimonia assumere, quos unusquisque nostrum intelligit, et secundum veritatem existimat esse, ni ostenderit eos sanctos esse, ex eo quod in Scripturis continentur divinis, quasi in templis quibusdam Dei [1]. "

b) Idem ostendit ratio. Etenim sic argumentari quam facil-

[1] *In Matth.* Tract. XXV.

lime licet: Ea quæ sunt in Scripturis sub litterali sensu certo sunt verbum Dei; atqui verbum Dei errorem continere nequit; ergo.

Patet major ex definitione ipsa sensus litteralis, cum iste nihil aliud sit quam sensus a Deo intentus et certissime in Scripturis expressus.

Patet iterum minor, quia Deus nec falli nec fallere potest [1]. Ergo.

251. — *B*. Deinde ea quæ sub Scripturæ litterali sensu continentur esse per se de fide constat. Etenim ea sunt de fide quæ Deus revelavit, et ab Ecclesia ut credenda proponuntur: atqui ea quæ sub sensu litterali Scripturæ continentur certo sunt revelatio Dei et ab Ecclesia proponuntur ut credenda; ergo.

Patet major ex definitione virtutis atque actus fidei.

Probatur minor *quoad primam partem* quidem ex prædictis, et ex doctrina totius Ecclesiæ; *quoad secundam* autem ex eo facto quod Ecclesia doctrinam sensu litterali Scripturarum contentam tamquam divinam semper et ubique præbeat; unde præsertim de sensu litterali intelligendum sit illud testimonium Eugenii papæ IV: " Sacrosancta Romana Ecclesia..... unum atque eumdem Deum veteris et novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem; quoniam eodem Spiritu sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur [2]. "

C. Tertio demum ea quæ sensu litterali continentur erunt vel simpliciter de fide theologica, si nulla specialis propositio accedat ab Ecclesia; de fide autem ecclesiastica, si hujusmodi propositio accedat.

Corollarium. Ergo hæreticus erit qui contradicere ausus fuerit veritati certo contentæ sub sensu litterali Scripturarum, ab Ecclesia definito, vel communiter acceptato et proposito.

252. — *Quæres*. Utrum igitur nulla mera probabilitas dari poterit quoad argumenta ex sensu litterali educta.

Resp. Dist. Si probabilitas desumatur ex vi probandi sensus litteralis, *Neg.*: ratio est quia ille sensus Dei semper est proindeque omnino certus; si autem sumatur probabilitas ex ejusdem sensus existentia, *Aff.*: ratio est quia hujus vel illius sensus

[1] Cf. Canus, *De Loc. theol.* L. II, c. II, III, IV.

[2] *Decretum pro Jacobitis*, seu Bulla, " Cantate Domino. "

litteralis existentia dubia esse potest, non quidem *in se*, sed *quoad nos*.

Eadem ratione dari poterit *dubium*, vel *opinio*. Sic v. gr. libere disputatur utrum in Genesi legendum sit: " Ipsa conteret caput tuum, „ vel " Ipse conteret caput tuum. „

Cavendum sedulo est ne duo prædicta promiscue usurpentur, quod temere apud nonnullos evenit.

253 — Propositio II. *Sensus Scripturarum mysticus, si consideretur quoad nos, non quidem immediate et per se probat, sed mediate et per aliud.*

Sensui mystico vim probandi omnimodam adimunt rationalistæ, qui, cum Scripturas librorum quorumcumque instar tractent, negentque esse Dei operam, hinc proinde inficiantur aliquid per res aut personas in Scripturis indicatas significari. Immo ex ipsis catholicis aliqui asserunt, aliqui male negant.

Nos, juxta communem sententiam, distinguendum censemus, unde præmisimus: *Si consideretur quoad nos.* Si enim in se consideretur, cum juxta definitionem a Deo ille sit, patet vim probandi eidem inesse, sicut et ipsi sensui litterali.

Probatur propositio per partes.

A. Imprimis sensus mysticus non probat immediate et per se. Ratio est quia non existit necessario, sed hypothetice, seu ex voluntate libera Dei; neque exprimitur signis naturalibus, sed arbitrariis, quorum vim significandi nullus percipere potest, nisi aliunde ipsi innotescat voluntas ejus qui significationem pro libitu indidit. Ita intelligendi sunt doctores qui negant argumentum ullum educi posse e sensu mystico; ita imprimis intelligendus est Doctor Angelicus, ubi tradit nihil necessarium fidei sub sensu mystico contineri [1], quod ipse luculenter propriis verbis passim explanat: " Non est propter defectum auctoritatis quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum; sed ex ipsa natura similitudinis in qua fundatur spiritualis sensus. Una enim res pluribus similis esse potest; unde non potest ab illa, quando in Scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate; sed est fallacia *consequentis:* v. gr. leo

[1] I. q. 1, a. 9 ad 2m; a. 10 ad 1m; *Quodl.* vii, a. 14 ad 3m.

propter aliquam similitudinem significat Christum et diabolum: unde per hoc quod aliquid de leone dicitur in Scriptura, ad neutrum potest fieri processus in S. Scriptura argumentando [1]. „

254. — *B.* At vero non negat S. Thomas, nec ullus negare potest ex illo sensu mystico argui posse indirecte, mediate et hypothetice, seu per aliud. Ubi enim daretur aliqua sufficiens auctoritas quæ significaret de quo et quomodo intelligenda sit similitudo, quidnam præfiguret typus vel symbolum, tunc profecto, posita hac conditione *sine qua non*, textus propositus vim probandi acquirit quoad antitypum, sicut et habuerat a principio quoad typum ipsum.

Porro rem ita se habere, i. e. hanc conditionem aliquando dari posse, certo certius constat. Etenim Deus ipse hanc conditionem apponere potest, cum revelare possit de quo locutus mystice fuerit.

Quod autem reapse ita Deus revelaverit, probatur:

a) Ex ipsa Scriptura. Sic v. gr. verba illa: “ Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium, „ quæ primo de Salomone dicta fuerunt [2], etiam de Christo simul et quidem mystice, teste Paulo, pronuntiata fuerunt [3]. Ita Christus ex serpente æneo exaltato a Moyse in deserto [4] arguit ad probandam exaltationem suam in cruce [5]. Ita Paulus eo quod Abraham duos filios, Ismael ex ancilla, Isaac ex libera suscepit [6], arguit Deum esse patrem duorum populorum, Judæorum scil. et Gentilium, atque auctorem veteris simul ac novi Testamenti [7].

Plura alia et quidem perspicua afferri possent exempla ex Scripturarum variis libris.

Alia autem sunt quæ obscurius forsan in Scripturis indicantur, clarius traditione manifestantur. Sic v. gr. Abel, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Job, Moyses, Aaron, Josue, David, Salomon, etc. Christum ita significant, ut de ipso dicenda sint nonnunquam quæ de typis dicuntur. Haud secus Jerusalem vel Sion aliquando Ecclesiam, aliquando cœlum præfigurat; præsertim vero omnia cæremonialia et sa-

[1] *Quodl.* VII, a. 14 ad 4m.
[2] II. Reg. VII, 14.
[3] Hebr. I, 5.
[4] Num. XXI, 9.
[5] Joan. III, 14.
[6] Gen. XVI, 4; et XXI, 2.
[7] Gal. IV, 22.

crificia veteris Testamenti sacrificium Christi in novo Testamento præsignant [1].

b) Patres et Doctores idem sentiunt, dum hujusmodi interpretationes frequentius afferunt, prout omnibus innotescit. Immo aliqui auctores, v. gr. Origenes, plures quam par fuit figuras in Scripturis finxerunt. Quod agendi ratione monstrant, id verbis confirmant. " Sacra Scriptura, inquit S. Gregorius, omnes scientias atque doctrinas ipso etiam locutionis suæ more transcendit, quia uno eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium [2]. „ Ergo tum Scriptores sacri, tum Patres et Doctores supponunt fieri posse et sæpe fieri ut divinitus innotescat sub sensu litterali latere sensum mysticum, a Deo intentum.

Idem cæterum expresse profitetur Angelicus dicens: " Nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat [3]. „

255. — *Confirmatur I.* Ex archæologia. Sciunt namque omnes in hac scientia non omnino peregrini, quam frequenter Christiani antiqui typos cum antitypis, figuras cum veritatibus in sculpturis, picturis aliisque monumentis repræsentaverint, ut puta in vetustiorum basilicarum valvis, v. gr. S. Sabinæ de urbe, in quibus utriusque Testamenti facta hinc inde sibi invicem olim respondebant; imo et illorum typorum ad antitypos transtulerint characterem et indolem: quod non præstassent, nisi persuasi sensum mysticum vi probandi pollere [4].

Confirmatur II. Ex Hebræorum more, qui figuras Christi nuntiativas didicerunt et acceptaverunt, prout, omissis aliis, patet ex modo arguendi B. Pauli cum eisdem, in Epistola ad Hebræos: neutiquam enim veteris Testamenti figuras tamquam vi probandi pollentes adduxisset, nisi et Judæi eas recipere soliti fuissent.

Notandum autem hic est, ad aliquorum auctorum intelligentiam, sensum spiritualem seu mysticum duplici modo considerari posse: nempe vel respectu ad sensum litteralem, et tunc est simpliciter mysticus et spiritualis; vel respectu ad proprium

[1] 1. 2. q. 101, a. 2. — Cf. Opstræt, *De Loc. theol.* Diss. I, q. X, § II. — De Tabernaculo antiquo, qua Christi figura, recentius librum scripsit D. W. Soltan.

[2] *Moral.* XXII.

[3] I. q. 1, a. 10; *Quol.* VII, a. 14.

[4] Kraus, *Real encyl.* ad vocem *Biblische Darstell.* Cf. Garrucci, *Storia dell'Arte Cristiana.*

objectum, tuncque dum forsan a Deo et auctore inspirato applicatur huic objecto alteri, evadit quasi litteralis. Quod sæpius fit, quia " Sicut dicit Augustinus in libro *De Doct. christ.*, nihil est quod occulte in aliquo loco S. Scripturæ tradatur, quod non alibi manifeste exponatur; unde spiritualis expositio semper debet habere fulcimentum ab aliqua litterali expositione sacræ Scripturæ, et ita vitatur omnis erroris occasio [1]. "

II. De vi probandi sensus implicite in Scripturis contenti.

256. — Propositio. *Sensus implicitus Scripturarum ex se certam fidem facit.*

Probatur :

a) Ex Scripturis, quibus v. g. narratur Paulum contra Hebræos ita quasi cum certitudine arguisse. Hebræis enim Paulus tamquam auctor inspiratus nullatenus haberi potuit, siquidem potius ut adversarius habitus fuit, proindeque contra illos non nisi omnium more argumentatur. Atqui ex veteris Testamenti verbis passim argumentatur sensus consequentis seu impliciti ope: ergo et auctores sacri, qualis revera fuit B. Paulus, sensum consequentem vis probandi capacem agnoscebant.

b) Ita Patres doctoresque omnes perpetuo ex Scripturis arguunt sensu consequenti, earumque doctrinas ex implicitis explicitas faciunt, rati argumentationem suam non deficere in probandis veritatibus intentis.

Haud secus censet cardinalis Turrecremata, vir ingenio et doctrina quondam præclarissimus, qui septem propositionum gradus ponit, quorum primus est " earum quæ in libris sacris habentur expressæ; secundus earum quæ ex hisce per certam et necessariam consecutionem fiunt [2]. "

Confirmatur eo quod passim veteres auctores sensum consequentem sub litterali comprehenderent; dum autem toti sensui litterali vim probandi tribuerent, patet eos tribuisse et sensui implicito.

[1] *Quol.* VII, a. 14 ad 3m.

[2] *Summ. Eccles. Paral.* II, c. IX. Ita apud Canum qui male hanc divisionem, prout minutiorem reprehendit. *De Loc. Theol.* Lib. XII, c. VII.

c) Probatur demum ratione. Sensus consequens seu implicitus reipsa Scripturis continetur et a Deo intentus fuit. Ergo ex se vim probandi habet.

Patet consequentia.

Antecedens iterum patet ex definitione sensus consequentis, de quo supra egimus.

Corollarium. Veritates quæ legitime ad sensum consequentem pertinent, quæ scil. revera continentur in aliis veritatibus revelatis, pertinent ad fidem catholicam, saltem implicitam, ac definiri ab Ecclesia possunt, tuncque, facta definitione, veritates fidei definitæ evadunt.

III. De vi probandi sensus nec explicite nec implicite in Scripturis contenti.

257. — Propositio. *Sensus ille quem accommodatum vocant, nullam probandi vim a Deo habet, sed habet ab homine.*

Probatur per partes.

A. Sensum accommodatum nulla vi probandi pollere ex parte Dei, constat:

a) Quia ita sentiunt passim omnes.

b) Quia id ex ratione patet: siquidem antea ostensum est sensum accommodatum nullatenus a Deo intentum fuisse: ergo nullam a Deo vim probandi habet.

B. Hunc tamen sensum vim aliquam probandi ab homine qui ipso utitur, sortiri facile probatur, dummodo rite intelligatur, scil. ex eodem probari non quidem Dei, sed hominis mentem. Etenim

a) Ita sentiunt theologi, imo et Ecclesia, dum v. g. alicujus sancti vel doctoris referuntur interpretationes accommodatæ, non quidem ad eruendum argumentum ex ipsa interpretatione; sed ad manifestandam ipsorum interpretum sententiam verbis Scripturæ expressam. Exemplo sit Bulla *Ineffabilis* de Immaculata Conceptione.

b) Confirmat ratio. Sensus accommodatus ille est quem homo Scripturis aptat, istis usus ad exprimendos sensus proprios: ergo ex iis probari potest sensus aptantis et accommodantis. Ex quibus interpretamentis colligere possumus doctrinas plu-

rium auctorum, imo et Ecclesiæ, quæ nonnunquam in orationibus, in liturgiis etc. verba Scripturæ accommodando usurpat ad exprimendas sui ipsius sententias.

Hic dictum sit satis de locis quibus continentur veritates revelatæ [1].

APPENDIX I.

DE LIBRIS DEPERDITIS.

258. — Auctores sacri passim referunt libros jamdiu nobis deperditos: de quibus duo inquirere breviter juvat, scil. *primo*, quinam sint; *secundo*, cujusnam auctoritatis fuerint.

I.

Libri ab auctoribus sacris passim laudati nobisque deperditi sequentes sunt, juxta relationum ordinem:

I. *In veteri Testamento:*

1. Liber bellorum Domini [2];
2. Liber Justorum [3];
3. Liber verborum dierum Salomonis [4];
4. Tria millia Parabolarum Salomonis [5];
5. Mille quinque Cantica Salomonis [6];
6. De rebus naturalibus libri Salomonis [7];
7. Liber verborum dierum Juda [8];
8. Liber verborum dierum Israel [9];
9. Liber Samuelis videntis [10];

[1] Hic commendare liceat opus Dominici a S. Trinitate, cui titulus: " Bibliotheca theologica, septem libris distincta, in qua exacto ordine reponuntur cuncta ad completam S. Scripturæ vel Theologiæ notitiam spectantia, tam secundum se quam secundum diversa ejus munera: deducendi conclusiones beneficio artis syllogisticæ, unde *scholastica* vel *argumentativa;* — ordinandi et explicandi locos theologicos, unde *positiva* sive *thetica,* et *fundamentalis;* — defendendi sua principia adversus omnium infidelium genera, unde *polemica;* — disponendi suas materias, unde *methodica;* — utendi *metaphoris*, unde *symbolica;* — provocandi vel dirigendi affectum in Deum, unde *mystica.* „ VII Tom. Romæ 1665-1676.

[2] Num. XXI, 14.

[3] Jos. X, 13.

[4] II. Reg. XI, 41.

[5] III. Reg. IV, 32.

[6] Ibid.

[7] III. Reg. IV, 33.

[8] III. Reg. XIV, 19.

[9] III. Reg. XIV, 20.

[10] I. Paral. XIX, 29.

10. Verba Nathan prophetæ [1];
11. Liber Gad videntis [2];
12. Libri Ahiæ Silonitis [3];
13. Visio Addo videntis [4];
14. Liber Semeiæ prophetæ [5];
15. Liber Jehu filii Hanani [6];
16. Res gestæ Osiæ, auctore Isaia propheta [7];
17. Sermones Hosai [8];
18. Liber dierum Joannis Hircani [9];
19. Jeremiæ descriptiones [10];
20. Liber Jasonis Cyrenæi [11].

II. *In novo autem Testamento duo referuntur, scilicet :*

1. Epistola Pauli ad Corinthios [12];
2. Una ejusdem ad Laodicenses [13].

II.

259. — Cujusnam vero fuerint auctoritatis nullatenus in specie, aliquatenus autem in genere determinari ex prædictis potest.

I. Hoc imprimis statuendum est plures ex prædictis libris mere humanæ fuisse auctoritatis, quia utrum inspirati fuerint, nec ne, nihil constat. Eo quod enim referantur ab auctoribus inspiratis inde nullimode colligendum est et ipsos fuisse inspiratos, ut diximus ubi de verbis profanis ab auctore sacro relatis; immo et laudari potuerunt qua documenta, unde auctores sacri illam hauserunt, de qua pariter diximus, cognitionem præviam quoad humana, in inspiratione requisitam.

Quia igitur plures ex prælaudatis libris qua inspirati nullatenus referuntur, inde liquet eosdem auctoritatis mere humanæ hucusque agnoscendos esse.

260. — II. Nonnullos tamen inspiratos esse probabilius asserendum est. Etenim

Aliquando expresse dicuntur fuisse *videntis* aut *prophetæ*,

[1] I. Paral. XIX, 29.
[2] Ibid.
[3] II. Paral. IX, 29.
[4] Ibid.
[5] II. Paral. XII, 15.
[6] II. Paral. XX, 34.
[7] II. Paral. XXVI, 22.
[8] II. Paral. XXXIII, 19.
[9] I. Mach. XVI, 24.
[10] II. Mach. II, 1.
[11] II. Mach. II, 24.
[12] I. Cor. V, 9.
[13] Col. IV, 16.

quæ nomina in Scripturis passim auctoribus inspiratis competunt.

Aliquando tribuuntur auctoribus qui speciali munere, ita jubente Deo, passim fungebantur, atque inde inspiratione donabantur, v. gr. Isaias propheta et S. Paulus.

Vix igitur in dubium vocari potest istos etiam in scribendis libris deperditis non fuisse inspiratos, etsi nullatenus asseramus omnia quæ passim scribere potuerunt auctores sacri extra libros canonicos fuisse inspirata.

Quæres. Quomodo autem libri isti amitti potuerint.

Resp. Ex dictis pariter explananda res est:

Etsi enim libri inspirati, specialiter providente Deo, conservati sint, attamen quia Scriptura per se necessaria non est ad conservationem revelatæ veritatis, hinc amitti potuerunt, integro remanente revelationis deposito.

Infallibilitas autem Ecclesiæ de discernendo canone et interpretanda Scriptura in hoc versatur ut de veritatibus expressis et libris conservatis judicet, non autem de iis quæ absunt.

Præterea, libri omnes, ut pariter diximus, pro fine speciali scripti sunt: ergo non subsistente forsan fine illo, vel minoris momenti existente, amitti potuerunt libri isti, salva Dei circa Ecclesiam providentia.

Hanc addit rationem S. Thomas de epistolis Pauli deperditis: " Patet quod scripsit S. Paulus alias epistolas; scilicet istam de qua fit mentio hic (nempe ad Laodicenses, Col. IV, 16), et unam aliam ad Corinthios. Sed ratio est duplex, quare non sunt in canone: quia non constabat de earum auctoritate, et forte erant depravatæ, et perierunt in ecclesiis; vel quia non continebant aliud quam canonicæ [1]. "

APPENDIX II.

DE APOCRYPHIS SCRIPTURIS.

261. — Propter rei momentum, nonnihil placet de scripturis apocryphis brevius addere: quorum usum infra, ubi de argumentis ex *historia errorum* educendis agetur.

[1] *In Col.* IV, 16.

Dicimus autem " Scripturis apocryphis, " ut inde innuamus hic agi tantum de scriptis illis quæ aliquatenus inspiratorum præ se ferunt, quibusque minus recte nonnulli plura alia, v. gr. *Pastor Hermæ*, et hujusmodi, assimilant.

Imprimis notandum est ἀπόκρυφον idem esse ac " reconditum. " Hinc nonnunquam apocryphi dicti sunt libri quidam, qui etsi authentici, attamen religionis causa secreto asservabantur.

Quo sensu omnes populi habuerunt libros suos reconditos. Apud Phœnices siquidem asservabantur ἀπόκρυφα βιβλία [1]; apud Phryges " reconditi libri [2]; " apud Romanos " reconditi libri [3], " et " secreta carmina [4]. " Haud secus Judæi, quod ita testatur auctor libri IV Esdræ : " Priora quæ scripsisti in palam pone, et legant digni et indigni: novissimos autem Septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, et sapientiæ fons, et scientiæ flumen [5]..... et feci sic. "

Hinc aliqua extensione dicti sunt " apocryphi " libri quorum origo occulta non claruit [6]; vel quibus tituli non prænotabantur [7]; vel quorum dubia erat inspiratio [8]; vel qui primitus non fuerunt solemniter in canone admissi, scilicet deuterocanonici, ut supra adnotavimus [9]; vel demum codices qui mendose scripti in publicis lectionibus adhiberi prohibebantur, ut volunt recentiores nonnulli una cum Rabbinis [10].

Sed vero ex illo usu libros reconditos asservandi imprimis factum est quod malitiose aut superstitiose, ad explanandam, augendam, immo deturpandam veritatem, plures ex Judæis vel Christianis, libros alios specietenus inspiratos finxerunt atque ediderunt.

Quomodo hujusmodi libri ab authenticis distinguantur, disce ex critices regulis [11], quum hic dicendi tempus desit, neque nobis aliud explanandum sit nisi quæsitum istud, nempe quænam sint præcipua apocrypha, quæ theologo usui esse possunt.

1 Plut. *De facie in orbe lunæ*, cap. XVI.
2 Arnob. *Adv. Gent.* Lib. V, p. 197.
3 Serv. *Ad Œn.* I, 398.
4 Lucan. *Pharsal.* I, 599.
5 IV. Esdr. XIV, 45, 46.
6 Aug. *De Civ. Dei,* XIII, § IV.
7 Hieron. *Ep. ad Læt.*
8 Hugo a S. Charo, *In Prol. Gal.*, opp. I.
9 De quo cf. Cornely, *Introd.* vol. I, n. 74.
10 Cf. Cornely, *ibid.*
11 Wetzer, *Kirchenlexicon*, art. *Apocrypha.*

Quæ, ut patet, vel ad vetus, vel ad novum Testamentum referuntur. Hæc nos indicabimus, hac tamen lege ut separatim quæ majorem et quæ minorem sortiuntur auctoritatem exhibeamus [1], prout exigit tractationis nostræ finis et utilitas.

I.

Apocrypha veteris Testamenti.

262. — Suam acceperunt auctoritatem ex eo quod aliquando ab auctoribus nonnullis relata sunt: qui quidem et ipsi variæ sunt auctoritatis. Unde distinguenda ab aliis ea præprimis sunt quæ in ipsis Scripturis canonicis referuntur.

I. Apocrypha veteris Testamenti quæ referuntur in ipsismet Scripturis.

Ista duplicis sunt generis, prout nempe vel *in ipso Bibliæ volumine continentur;* vel *in ipso textu solum laudantur.*

1. Apocrypha V. T. quæ in ipso Bibliæ volumine continentur.

Quæ continentur vel in Vulgata vel in græcis Bibliis:

A. Quæ in Vulgata continentur sunt duo libri, et tria fragmenta.

a. Libri integri Vulgatæ editionibus contenti, sequentes sunt, scilicet:

Primo, III liber Esdræ, qui duorum Esdræ priorum librorum, atque Paralipomenon partibus constat, exceptis paucioribus. Qui liber partim authenticus, utpote ex authenticis partim eductus, partim, scil. quoad duo capitula addita, apocryphus dicendus est. Ea autem ratio est cur eum Ecclesia nec omnino recipit, nec omnino rejicit.

Hunc cæterum plurimi inter Patres ac doctores olim laudaverunt [2].

Secundo, IV liber Esdræ a pluribus antiquitus laudatus est, v. gr. a S. Barnaba, Clemente Alex., S. Ambrosio. Nullus ta-

[1] De his cf. Cornely, *op. cit.* qui tibi auctoritates undequaque haustas de singulis exhibiturus est.

[2] Cf. Cornely, *Introd.* n. 74.

men authenticum asserere audebit, etsi alicujus christiani auctoris sit, quod patet ex duobus capitulis prioribus.

b. Fragmenta apocrypha vulgatis editionibus addita hæc sunt, nempe :

Primo, Prologus Ecclesiastici;

Secundo, Præfatio ad Threnos;

Tertio, Oratio Manasse, quæ, etsi certum sit Manassen, pœnitentia ductum, orationem aliquam edidisse [1], utrum ipsa hæc eadem sit incertum est. Refertur tamen variis codicibus, atque in principio III Esdræ passim in Vulgatæ editionibus inseritur.

263. — *B.* In editionibus autem græcis sequentia occurrunt apocrypha ; scil. duo pariter libri et tria fragmenta.

a. Libri sunt :

Primo , III liber Machabæorum , qui etsi ab antiquis nonnunquam laudatus, inter inspiratos tamen nullatenus numerari potest ;

Secundo, IV liber Machabæorum, a Patribus mox admissus, mox rejectus, stoici alicujus auctoris, certo non inspirati , videtur.

b. Fragmenta autem hæc sunt:

Primo , Psalmus quo David victoriam de Goliath relatam celebrat : pulcherrimæ quidem poeseos , magnæ æstimationis apud plures ex Patribus, incertæ tamen divinitatis.

Secundo , XVIII psalmi Salomonis, in Occidente vix usque ad sæc. XVII cogniti: eximii quidem doctrina et sermone, sed certo apocryphi.

Tertio , Additio ad Job , qua in fine translationis græcæ Jobi genealogia recitatur: antiquitatis summæ est, etsi nullius canonicitatis [2].

Addi possunt varia *Haggada*, seu præclare gestorum narrationes: sed de his satis.

2. Apocrypha quæ in Bibliis laudari tantum dicuntur.

264. — Nota sedulo citationes istas plerumque fictitias esse, ac proinde recole ipsosmet auctores sacros.

Primo, Liber Henoch, qui olim in Ecclesia propagatus, ex pluribus apocryphis aliis confectus, quemque plures volunt a

[1] II. Paral. XXX, 12-18.

[2] Cf. Lamy, *Introd.* vol. II, pars I, cap. X, n. 7.

Juda in Epistola [1] sua laudari. Exinde tamen libri illius inspirationem colligi nullatenus licet, tum quia non revera constat librum illum a Juda laudari, siquidem prophetia Henoch scriptori sacro aliunde, v. gr. ex traditione, innotescere potuit; et probabile omnino est verba a Juda relata postmodum in librum Henoch introducta esse; tum quia, etsi concederetur laudari a scriptore sacro, non sequitur extemplo asseri divinitatem libri ex alicujus textus approbatione inspirata.

Secundo, Ascensio Moysis, quam volunt ab eodem Juda referri [2], de qua similiter decernendum.

Tertio, Apocalypsis Moysis, e qua sumpta dicuntur ab aliquibus quædam quæ leguntur apud Apostolum, in Epistola ad Galatas [3].

Quarto, Ascensio Isaiæ, e qua assumpsisse male volunt nonnulla quæ habet Apostolus ad Corinthios [4].

Quinto, Apocalypsis Eliæ, e qua accepta aliqua putat Epiphanius quæ apud S. Paulum leguntur ad Ephesios [5].

Sexto, Apocryphus Jeremiæ, unde accipi suspicatur Origenes nonnulla quæ apud Matthæum [6] occurrunt.

II. Apocrypha V. Testamenti quæ a variis auctoribus referuntur.

265. — Hic nominanda veniunt:

Primo, Parva Genesis, seu liber Jubilæorum, auctore Judæo. Qui liber, post Christum scriptus, in eo totus est ut ritualia veteris Legis commendet.

Secundo, Testamenta XII Patriarcharum, liber circa sæculum I post Christum scriptus.

Tertio, Apocalypsis Baruch;

Quarto, Epistola Baruch;

Quinto, Apocalypsis Esdræ;

Sexto, Historia Asseneth, uxoris Joseph.

Quæ omnia supersunt.

Innumera autem alia scripta fuerunt olim, quæ magna ex parte perierunt, nec adeo infauste, siquidem vix nonnihil veritatis latere potuit in tanta errorum fabularumque farragine.

[1] Jud. v, 14. [2] Jud. v, 7. [3] Gal. v, 6; VI, 15.
[4] I. Cor. II, 9. [5] Eph. v, 14. [6] Matth. XXVII, 19.

Suos scripsisse libros dicuntur Adam, Eva, Abel, Seth, Henoch, de quo supra, Noe, uxorque ejus Noria, Sem, Cham, Abraham, Isaac, Jacob, etc. De istis similibusque ita habent *Constitutiones Apostolorum:* " Apud veteres nonnulli conscripserunt Moysis, Henoch, Adami, Isaaci, Davidis, Eliæ et trium Patriarcharum libros apocryphos, exitiales ac repugnantes veritati: consimiles libros nunc quoque ediderunt inauspicati homines, calumniantes creationem, nuptias, providentiam, procreationem liberorum, Legem, Prophetas, adscribentes barbara quædam nomina, scil., ut ipsi dicunt, Angelorum, revera autem dæmonum, quorum afflatu loquuntur [1]. "

II.

Apocrypha novi Testamenti.

266. — Quæ referuntur vel ad Evangelia, vel ad Actus, vel ad Epistolas, vel ad Apocalypses.

I. Evangelia apocrypha diversimode numerantur. Alii quippe in tres classes partiuntur, prout scil. Christi vel infantiam, vel juventutem, vel ultima fata narrant: ita Tischendorf [2]. Alii in duas, utpote qui vel vitam vel mortem imprimis respiciunt.

His prænotatis, huic divisioni adhæremus, ac præcipua apocrypha Evangelia numeramus:

I. Evangelia apocrypha.

1. Evangelia quibus refertur vita Christi:

Primo, Evangelium secundum Hebræos, vel XII Apostolorum, vel Nazaræorum, quod videtur nihil aliud esse quam S. Matthæi Evangelium ab aliquo Judæo interpolatum;

Secundo, Proto-Evangelium Jacobi, sæc. II scriptum, quo narratur infantia Virginis, quodque plures ex Patribus laudaverunt;

Tertio, Evangelium S. Thomæ, eodem tempore conscriptum, quo narratur infantia Christi;

Quarto, Evangelium Matthæi, seu liber de ortu Virginis et de infantia Salvatoris.

[1] *Constit. Apost.* VI, 16.

[2] *Evang. Apocr.* Prol., p. VIII.

Quinto, Evangelium de Nativitate B. V. Mariæ;

Sexto, Historia Josephi fabri lignarii;

Septimo, Evangelium infantiæ arabicum;

2. Evangelium quo narratur mors Christi, ac mortis adjuncta, unum præcipue est, scil. Evangelium Nicodemi.

His et alia adjungi possent, v. gr. Evangelia S. Petri, Ægyptiorum, Cerinthi et Carpocrati [1], etc.: quæ omittimus, ne verborum vix utilium rationem reddituri simus.

II. Acta apocrypha.

267. — Quæ innumera fere extiterunt, nec enumerare vacat, nisi scire velis edita esse acta Petri, Pauli, Andreæ, Joannis, Thomæ, Philippi; prædicationem Petri, traditiones Mathiæ, etc.

Ecce quæ edidit in sua Collectione Tischendorf [2]:

Primo, Acta Petri et Pauli;

Secundo, Acta Pauli et Theclæ;

Tertio, Acta Barnabæ, per S. Marcum;

Quarto, Acta Philippi in Hellade;

Quinto, Acta Philippi;

Sexto, Acta Andreæ;

Septimo, Acta Andreæ et Mathiæ in oppido anthropophagorum;

Octavo, Acta et Martyrium Matthæi;

Nono, Acta Thomæ;

Decimo, Consummatio Thomæ;

Undecimo, Martyrium Bartholomæi;

Duodecimo, Acta Thaddæi;

Decimotertio, Acta Joannis.

Quæ omnia passim ab aliquibus laudantur auctoribus ecclesiasticis.

III. Epistolæ apocryphæ.

268. — *Primo*, Epistola Pauli ad Laodicenses;

Secundo, Epistola prima ad Corinthios; prima, inquam, quia ante primam authenticarum scripta censetur;

[1] Cf. Watzer, *Kirchenlexicon,* art. *Apocrypha.*

[2] Quem de Actibus apocryphis consule in *Prolegomenis.*


Tertio, Epistola Pauli ad Senecam;
Quarto, Epistola Petri ad Jacobum;
Quinto, Epistola Joannis ad hydropicum.

IV. Apocalypses apocryphæ.

269. — *Primo*, Apocalypsis Petri;
Secundo, Apocalypsis Pauli;
Tertio, Altera Apocalypsis Joannis;
Quarto, Apocalypsis S. Thomæ;
Quinto, Apocalypsis S. Stephani;
Sexto, Apocalypsis S. Bartholomæi.

Quæ omnia critices ope, quantæ sint utilitatis ad historiam errorum veritatisque, vix aliquem fugiet, ac cæterum infra patebit [1]. De quo recte dixit Hilarius: „ Magna vis est veritatis, quæ cum per se intelligi non possit, per ea tamen quæ ei adversantur, elucet [2]. „

[1] Hic commendandum censemus opus abb. J. Variot: *Les Evangiles apocryphes*, ubi plura egregie dicta de apocryphorum usu invenies.
[2] *De Trin.* lib. VII, init.



LIBER SECUNDUS

De loco ubi indicantur veritates revelatæ seu de Ecclesiæ magisterio.

---

270. — Auctores qui de locis theologicis tractationes ediderunt, separatim de Ecclesia, de Romano Pontifice, de Concilio, etc. dixerunt. Attamen, prout notat ipsemet Canus, " Hæc est una res prorsus, ut non differat multum inter Ecclesiæ, Conciliorum Sedisque Apostolicæ judicia, propterea quod connexa hæc et colligata sunt, quemadmodum esse videmus humanum corpus et caput [1]. " Illæ namque auctoritates ejusdem sunt Ecclesiæ. Quapropter nos illas omnes in unum, juxta ipsam rei naturam, colligentes, in uno auctoritatis Ecclesiæ loco complectimur.

In quo agendi modo ipsam virtutis et actus fidei definitionem sequimur, siquidem fide credimus quæ Deus revelavit, prout tractantes de traditione et Scriptura diximus, quæque ut credenda proponit Ecclesia, quod dicturi sumus, i. e. Ecclesiæ auctoritas sive a Summo Pontifice, sive a Concilio, sive a Patribus, etc. manifestetur.

271. — Priusquam tamen rem aggrediamur, quædam notanda sunt de ipso nomine Ecclesia.

Si attendatur ad vim nominis, Ecclesia dicitur ab εκ-καλέω, idemque est ac *evocatio* et convocatio. Apud Athenienses ἐκκλησία dicebatur conventus seu congregatio civium; si autem ex agro in concilium magnum accerserentur homines, tunc διάκλησις habebatur; si consulum tantummodo, συγκλησις. Latius tamen passim vocabulum ἐκκλησία patuit, omnemque significavit congregationem: imo et locum ubi fiebat congregatio.

Vox græca καλέω affinis est, quoad sonum simul et sensum, voci hebraicæ קָהַל, *congregavit*, a qua procedit קְהִלּת, *Ecclesia-*

[1] *De Loc. Theol.*, L. v, c. v, q. iv.

stes, etc. Vox קהל, apud Septuaginta ἐκκλησία vel συναγωγή transcribitur [1].

Quo nomine donata est societas religiosa a Christo instituta, et quidem antonomastice et absque addito, quia nempe societatis illius causa finalis, agens, instrumentalis, materialis, etc. summæ dignitatis erat; unde dicta est simpliciter *Ecclesia*, absque admissa ulla restrictiva designatione et quasi per excellentiam.

Qui usus a principio invaluit, imo ab ipso Christo inductus est, his verbis et aliis: " Dic Ecclesiæ [2]; „ vel " ædificabo Ecclesiam meam [3]. „

In novo Testamento plusquam vicibus quadraginta quinque vocabulum *ecclesia* usurpatur, et quidem ad significandum mox congregationem Christifidelium; mox fideles alicujus regionis, seu ecclesiam particularem; mox locum quo congregandi fideles erant, prout indicat ipse Christus dicens: " Ædificabo Ecclesiam; „ mox Ecclesiam docentem, mox Ecclesiam edoctam, mox Ecclesiam militantem, mox Ecclesiam triumphantem [4], etc.; ita ut nulla sit ex sexdecim hujus vocabuli significationibus a cardinali Turrecremata doctissime enumeratis [5], quæ a principio nota et accepta non fuerit.

Attamen, nisi contrarium juberent circumstantiæ, ubicumque dicebatur *Ecclesia* simpliciter, intelligenda erat de cœtu fidelium.

Gentilibus ipsis ignota non remansit *Ecclesia*, unde Celsus eam suo nomine vocat μεγαλης ἐκκλησίας [6], eodem prorsus titulo quo apud Septuaginta auctor libri primi Machabæorum designat congregationem eorum qui de re publica deliberaturi conveniebant [7].

His ita præhabitis, ostendendum est *primo* utrum et quomodo Ecclesia jus sortiatur nobis credenda proponendi; *secundo*, utrum et quomodo jus illud diversimode exercitet.

1 Cf. Deut. xviii, 16; xxxi, 30; I. Reg. xix, 20, etc. edit. Van. Ess.

2 Matth. xviii, 17.

3 Matth. xvi, 18.

4 I. Cor. xii, 28; Eph. v, 24; II. Cor. xi, 28; Apoc. i, 20, etc.; Matth. xviii, 17; Act. xv, 41; Phil. iii, 6; Hebr. xii, 23, etc.

5 *Summa De Eccles.*, L. i, c. ii. — De his cf. si libuerit, Lœbbe, *De orig. voc. Kirche*; Smith W. *A Concise Diction. of the Bible*, ad voc. *Curch*; Kraus, *Real-Encycl.* ad voc. *Kirche.*

6 Apud Origen. *Cont. Celsum*, L. v, n. 59.

7 Mach. v, 16. Hic cœtus dicitur εκκλησια μεγαλη.

SECTIO I.

ECCLESIÆ JUS COMPETIT NOBIS CREDENDA PROPONENDI.

272. — Duo hic nobis præstanda videntur, scil. inquirendum: *Primo*, quomodo probetur jus illud competere Ecclesiæ; *secundo*, quale sit jus illud.

CAPUT I.

Quomodo ostendatur Ecclesiæ competere jus seu auctoritatem proponendi fidei nostræ veritates credendas.

Cujus asserti termini perspicui videntur sufficienterque indicant quomodo dicenda cum dictis cohæreant. Sit ergo

273. — PROPOSITIO. *Ecclesiæ competit jus, et quidem perpetuo, profitendi et proponendi ut credendas veritates revelatas, vel cum eisdem dogmatice connexas.*

Unde agendum est de juris existentia et ejusdem objecto.

Probatur ergo per partes propositio.

A. Quoad juris illius existentiam.

a) Ex Scripturis, et quidem ex veteri Testamento. Ita Isaias: " Verbum quod vidit Isaias, filius Amos, super Juda et Jerusalem: Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem [1]. „ Eamdem prophetiam renovat Michæas [2]. Ita multa aliorum sacra oracula [3].

Haud secus, et quidem clarissime necnon et frequentissime in novo Testamento. Hæc enim Christus discipulis: " Qui vos

[1] Is. c. II, 1 et seq. [2] Cap. IV, 1 et seqq.

[3] Cf. Is. XLIX et LX, et cap. IX, 6, 7; LIII, 10; Jerem. XXIII, 5.

audit, me audit; qui vos spernit, me spernit [1]. „ Demum Christus in cœlum ascendens, hæc solemniter pronuntiat: " Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi [2]. „ Quo textu nihil clarius, nihil certius haberi potest. Hoc tamen notandum est quo firmior evadat demonstratio, scilicet *primo:* quotiescumque in Scripturis dicitur *Deus esse cum aliquo*, indicatur specialis præsentia et efficax assistentia quam semper et ubique reipsa sequitur effectus [3]: unde eodem sensu et hic accipienda sunt hujusmodi verba, atque intelligenda de speciali atque efficaci protectione; *secundo*, ubi legitur " omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, „ gr. πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, hoc intelligendum est de *fine mundi*, tum quia hæc forma συντελεία τοῦ αἰῶνος, universim in Scripturis finem mundi indigitat, tum quia vox αἰών ex se nonnisi ætatem indeterminatam et indefinitam significat (latine *ævum*), ita ut mox æternitas, mox vita humana sit [4]; cum autem hic indeterminate usurpetur, nullus terminus imponendus est.

Quæ omnia testimonia, cæteraque hujusmodi ita resumit S. Paulus, dum vocatur ab ipso Ecclesia " columna ac firmamentum veritatis [5]. „ Argumenti vis melius ex textu græco percipitur: Ταῦτά σοι γράφω, inquit Paulus, ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον. Ἐάν δὲ βραδύνω ἵνα εἰδῇς πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσται, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς αληθείας. „ Aliqui volunt

[1] Luc. x, 16.

[2] Matth. xxviii, 18-20. Cf. Matth. xxiv, 14.

[3] Cf. Gen. xxvi, 24; I. Regum xvi, 18; Jos. i, 5; vi, 27; II. Regum vii, 9; Judic. vi, 16; Luc. i, 28, etc.

[4] Isocr. *De Pace:* Ὁρῶμεν τοὺς μετὰ εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης ζῶντας, ἔντε τοῖς πᾶσι χρόνοις ἀσφαλῶς διάγοντας, καὶ περὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχοντας; Aristoteles de Deo ait in suo *De Mundo:* χρονος δὲκαὶ χρόνου λέγεται, διήκων ἐξ αἰῶνος ἀτέρμονος εἰς ἕτερον αἰῶνα; Philo hæc habet de æternitate, in suo *De Mundo:* ἐν αἰῶνι οὔτε παρελήλυθεν οὐδεν, οὔτε μέλλει, ἀλλὰ μόνον ὑφέστηκε; Nazianzenus demum *In sanct. Pascha:* αἰων γὰρ οὔτε χρόνος, οὔτε χρόνου τὶ μέρος, οὐδὲ γὰρ μετρητὸν. ἀλλ᾽ ὅπερ ἡμῖν ὁ χρόνος ἡλίου φορᾷ μετρούμενος. τοῦτο τοῖς ἀϊδίοις αἰών, τὸ συμπαρεκτεινόμενον τοῖς οὖσιν, οἷόν τι χρωτιμὸν κίνημα καὶ διάστημα.

[5] I. Tim. iii, 15.

illud " columna et firmamentum veritatis, „ non ad Ecclesiam, sed ad ipsum Timotheum referri: quæ tamen interpretatio contraria est totius antiquitatis interpretationi, et obviæ grammaticæ; nec ulla datur sufficiens ratio cur hanc utramque non sequamur [1]. Vis autem vocabulorum *columna* et *firmamentum* statim ex se apparet, tamquam basis cui innitatur veritas, qualem intelligit Paulus, i. e. veritas revelata.

Ex quibus testimoniis [2] patet magisterium ita Ecclesiæ et quidem perpetuo et proprie competere, ut ab ipsa accipiendum sit quid credendum, quid non credendum.

274.—*b*) Nec aliter sentiunt Patres, ex quibus unum Augustinum adducimus: " Eo tempore, inquit, quod opportunissimum ipse noverat (scil. Christus), et ante sæcula disposuerat, venit hominibus magisterium et adjutorium, ad capessendam sempiternam salutem. Magisterium quidem, ut ea quæ hic ante dicta sunt utiliter vera, non solum a prophetis sanctis, qui omnia vera dixerunt, verum etiam a philosophis atque ipsis poetis, et hujuscemodi auctoribus litterarum (quos multa vera falsis miscuisse quis ambigat?) illius etiam in carne præsentata confirmaret auctoritas, propter eos qui illa non possent in ipsa intima Veritate cernere atque discernere: quæ Veritas et antequam homines assumeret, ipsa aderat omnibus, qui ejus participes esse potuerunt... Adjutorium autem quod sine gratia fidei, quæ ab illo est, nemo potest vincere concupiscentias vitiosas; et si qua earum residua non vicerit, veniali remissione purgari [3]. „ Illud autem magisterium adjutoriumque perpetuum fore patet ex Augustini ratione quæ, jubente Christo, perpetua remanet.

c) Probatur ex legitima definitione Ecclesiæ. Definitiones multæ, et quidem rectæ apud catholicos circumferuntur. Nulla tamen admitti potest quin in ista contineatur, vel convertatur cum ea: *Ecclesia est societas instituta ad conservandam profitendamque omnem veritatem doctrinæ Christi pertinentem.*

Etenim Ecclesiam esse societatem patet ex dictis de existentia magisterii a Christo instituti: nulli namque alium do-

[1] Hunc textum eximie elucidat P. Palmieri S. J. in suo *Tractatu de Rom. Pontif.* edit. 1877, p. 160 et seq.

[2] Cf. Is. LXI, 9; Ezech. XXXVII, 28; Dan. II, 44; Ephes. IV, 11, etc.

[3] Epist. CXXXVII, vel III ad *Volus.*

cendi jus competit, nisi subditum: proindeque Ecclesia in qua, sic jubente Christo, exercendum est docendi magisterium, non potest esse aliqua hominum turba vel multitudo qualiscumque, sed necessario societas erit cum magistris tum subditis composita.

Rem ita se habuisse patet iterum ex Scripturis, ubi hujusmodi societati præficiuntur principes, sub uno capite Petro; ubi Ecclesia regno, civitati, domui, ovili comparatur. Patet iterum ex *Actibus Apostolorum*, ubi perpetuo Ecclesia societatis instar apparet.

Ita demum docuit tota antiquitas christiana, ubi commendatur superioribus ecclesiasticis obedientia, et damnatur contra eosdem rebellio.

275. — *Confirmatur* 1° Monumentis archæologicis in quibus eadem innumeris symbolis passim asseritur veritas, præsertim cum arcæ noeticæ vel navis figura significatur [1], dum apud omnes, etiam gentiles navis fuerit civitatis vel societatis imago et symbolum [2].

Confirmatur 2° Ex dictis de existentia Traditionum in Ecclesia, quæ supponunt definitionem illam, existentiamque alicujus societatis.

Probatur denique hac ratione quod Ecclesia necessitate non quidem absoluta sed hypothetica societas esse debuit, unde homines facilius, promptius, securiusque theoriam praximque religionis, fidem et mores, credenda et facienda discerent [3]. Ecclesia igitur revera est " adunatio hominum ad unum aliquid communiter agendum, " prout S. Thomas societatem definit [4].

En ergo *genus proximum* definitionis nostræ: quærenda remanet *ultima differentia*.

Quæ sumi debet a fine, cum societates per finem, præsertimque proximum et immediatum specificentur.

Societatis namque quam Ecclesiam dicimus duo sunt fines: alius nempe *proximus*, alius *remotus*, qui uterque iterum in alios subdividitur.

[1] Cf. Garrucci, *Storia dell'Arte Crist.* I, 205; cf. Tertull. *Idol.* XXIV; August. *De Civit. Dei*, L. XV, c. XXVII.

[2] Æsch. *Sept. Cor. Theb.* 3; Horat. *Od. I*, 14; Sophocl. *Ord. Tyr.*, 20.

[3] Cf. Gatti, *Institut.*, vol. III; Palmieri, *De R. Pontif.*, p. 8, edit. 1877; Zigliara, *Propedeutica in S. Theologiam*, p. 361, edit. 1884.

[4] *Cont. impugn. relig.* c. III.

Finis scil. remotus vel est *absolute* remotus, et quoad Ecclesiam hujusmodi finis est gloria Dei qua auctoris supernaturalium; vel *relative* remotus, et est beatificatio supernaturalis hominis.

Finis vero proximus est vel *immediatus*, quem societas, nullo alio mediante, attingit; vel *mediatus*, qui in alio obtinetur.

Porro finis proximus idemque mediatus est sanctificatio animarum; finis autem proximus simul et immediatus, a quo alii dependent, est professio veritatis sive theoreticæ sive practicæ a Christo imperatæ. Unde Ecclesia per hanc ultimam differentiam definienda imprimis est, ac ab aliis secernenda.

Confirmatur quia hæc differentia alias omnes adducit, aliis omnibus præsupponenda est, nullamque aliam supponit. Quod imprimis patet quoad proprietates et notas Ecclesiæ. *Indefectibilis* quippe est Ecclesia et *infallibilis*, quia doctrinam Christi docet; inde rursus *una* est, sive in tempore unde evadit *Apostolica*, sive in loco unde *catholica;* inde *sancta* est sanctitate auctoris, finis, doctrinæ, morum, etc.

276. — *B*. Probatur propositio quoad juris objectum. Dico igitur: Qui veri nominis magisterium exercet, *primo* habet jus vindicandi omnes veritates quæ ipsi competunt, constituuntque magisterii primarium objectum; *secundo*, vindicandi ipsum magisterii exercitium: atqui Ecclesia veri nominis magisterium exercet et exercere debet. Ergo.

Patent *minor* et *consequentia*.

Probatur *major*. Quoad veritates quæ magisterii objectum proprium constituunt, nulla dari videtur difficultas: siquidem nullum datur magisterium absque veritatibus propriis, istisque deficientibus deficit et magisterium: istud ergo circa easdem vel exponendas, vel defendendas versatur.

Utrum vero decernere possit et debeat circa proprium magisterium, quæstio difficilior est, nisi inferatur distinctio. Ille sane qui magisterium sibi tribuit, non hoc sensu decernere potest circa istud, quod sua solum auctoritate asserat: esset namque circulus vitiosus, quo probaretur magisterium ex supposito eodem magisterio; unde auctoritatem aliam afferre debet qua magisterii existentiam ac legitimitatem demonstret: et hoc præstat Ecclesia, dum sibi magisterium suum vindicat, non tantum quia asserit, sed etiam quia omnis generis rationibus

probat. At vero semel probata magisterii legitima existentia, ille qui eodem munere fungi intendit, potest illud sibi vindicare, tum refellendo et damnando illos qui pertinaciter officii sui sufficientes probationes respuerent; tum refellendo et damnando illos qui, etsi officium illud agnoscerent legitimum, exerceri tamen impedirent [1]. Haud secus alicujus principis legatus, cum semel domini sui litteras authenticas explicuerit, jure potest rebelles punire, vel qui legationem negarent, vel qui legationis exercitium impedirent.

Hæc omnia sane Ecclesiæ competunt, cui commissum est summum salvandi animas officium.

Hinc facile est in genere decernere circa quasnam veritates magisterium exerceat Ecclesia. Quæ sunt veritates vel revelatæ aut explicite aut implicite; vel cum iis connexæ, scilicet:

Primo omnes veritates quæ revelatione continentur, scilicet veritates in Scriptura et traditione contentæ: unde utriusque istius legitimus interpres est et custos contra adversum errorem.

Secundo, omnes veritates quæ supponuntur necessario alicui veritati revelatæ, etsi in se non fuerint revelatæ, sed sola passim ratione innotescant.

Qualis foret doctrina scholastica de composito humano, qua dicitur anima esse forma substantialis corporis. Quam sane nisi jam definierit Ecclesia, eam tamen definire potest, quia præsupponitur v. gr. veritati Incarnationis, vel rectæ doctrinæ morum, etc. Ratio est quia supernaturale naturam non destruit, sed perficit supponendo.

Si autem definiretur hujusmodi præsupposita veritas naturalis ordinis, definitio illa non fieret quia prædicta veritas esset probata ex philosophia aut alio argumento humano; sed quia implicite contenta fuerat in revelatione, cum necessario præsupposita fuerit.

Tertio, omnes veritates quæ ex aliqua veritate revelata educuntur vi conclusionis necessariæ. Norunt namque omnes ejusdem auctoris esse et illud quod explicite, et illud quod impli-

[1] Consonat doctrina jurisperitorum Christianorum de illa nota quæstione: *Utrum lex obliget ante subditorum acceptationem.* Cui respondent omnes *affirmative* per se; licet aliquando negandum sit per accidens. Cf. Suarez, *De Leg.*, L. III, c. IX, n. 12. Cf. iterum *Prop.* XXVIII ab Alex. VII damnatam.

cite dicit; unde licet consequentiæ hujusmodi in se non revelentur, revelantur tamen in alio, proindeque sub magisterio Ecclesiæ comprehenduntur. Sic v. gr. cum revelatum fuerit Christum esse hominem simul ac Deum, inde colligi et ab Ecclesia definiri posset animam Christi esse corporis ejus formam substantialem.

Veritates sic vel præsuppositæ vel necessario eductæ non immediate et per se, sed mediate et per alias, i. e. per revelatas revelationi pertinent ut patet; de hisque judicare potest Ecclesia, et reapse semper judicavit; propositionesque nonnullas damnavit, non tantum ut hæreticas, sed etiam ut falsas, erroneas, perniciosas [1], etc. quia scilicet fides sive *subjectiva* sive *objectiva* in periculum vocaretur.

Quarto autem judiciis Ecclesiæ subjacent facta dogmatica et textus dogmatici. Factum dogmaticum erit v. gr. Leonem XIII (quem Deus diu sospitet) hodie summum Pontificem esse; et quæritur utrum hoc tenendum sit tamquam de fide, et ad judicium Ecclesiæ pertineat; textus dogmaticus erit liber *Augustinus* Jansenii, et quæritur utrum fide certum sit famosas quinque Propositiones in illo inveniri, seu utrum Ecclesiæ judicium ad hæc quoque se extendat. Facta illa textusve illi certo certius nec immediate nec mediate ad revelationem pertinent; hujusmodi tamen sunt quod nisi cum certitudine asserere possit aliquis romanus Episcopus se esse summum Pontificem, negantesque damnare; nisi definire valeat in aliquo libro inveniri errorem vel veritatem, tunc impar omnino erit Ecclesia vel utilibus vel necessariis ad bonum sui et fidelium procurandis. Cum ergo hæc omnia procurandi, sicut et nociva avertendi jus inamissibile habeat, sequitur eam decernere posse circa illa facta illosve textus [2].

[1] Cf. Pius IX, Brev. *Gravissimas inter*, 11 decembr. 1862; et *Tuas libenter*, 21 decembr. 1863. — Sic damnati fuerant articuli Wickleffi, Joannis Hus, Nicolai de Ultricuria, etc. Cf. Denzinger, *Enchiridion*.

[2] Hoc argumentum tractatum invenies apud S. Th. *Quodl.* IX, 16; *Sup. Boeth. De Trin.* q. 3, ad 3. Cf. Billuart, *De Regulis Fidei*, qui perspicacius, pro more suo, rem illustrat. Nonnulla tamen addere libet de utroque allato exemplo, propter rei gravitatem et utilitatem, etiam in hac tractatione nostra. Quoad primum exemplum, scil. qua certitudine tenendum sit aliquem esse Petri successorem, si huic muneri canonice electus certo fuerit, jampridem exorta erat quæstio, si quidem Martinus V, in sua Bulla *Inter cunctas*, præcipit ut suspecti interrogentur " utrum credant quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit,

Quinto demum sese extendit magisterium ad doctrinas quascumque prædictis doctrinis oppositas. Dum enim doctrinam propriam asserendi jus habet, contrarias simul respuendi extemplo habet. Duplici autem via istiusmodi doctrinas damnat Ecclesia: mox, scilicet, *immediate* et in se ipsis, dum v. gr. pantheismum nominatim condemnat; mox vero, præsertim ubi agitur de doctrinis quarum forsan fautores vel auctores fuerunt viri aliunde de Ecclesia benemeriti, non immediate, sed *mediate*, i. e. in nonnullis gravioribus consectariis inde profluentibus; sic v. gr. damnavit aliquem *traditionalismum*. Utrumque autem præstat vel *directe*, i. e. damnando ipsum errorem; vel *indirecte*, i. e. asserendo veritatem contrariam.

De his ergo omnibus judicare potest et debet Ecclesia pro bono non sui tantum, sed etiam nostro; sicque complentur Prophetæ oracula: “ Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David (לדוד, τῷ Δαυιδ) germen justum, et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra; in diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster (יהוה עדקכו) [1]. ”

277. — *Corollarium.* Magisterium Ecclesiæ nihil sese porrigit ad veritates ordinis naturalis quæ cum veritatibus fidei nexum

ejus nomine proprio expresso, sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. „ Verba hæc: *ejus nomine proprio expresso* hunc particularem hominem indicant. Quæstio celebrior postea evasit, cum nonnulli in Hispania, timentes ne aliquod Clementis VIII judicium suis opinionibus contrarium foret, effugiendi causa, viam sibi aperuerunt Thesibus publicis defendentes non esse de fide Clementem VIII esse Petri successorem; quos incarcerari jussit pontifex, doctrinamque contrariam Romæ publice propugnari voluit. Inter doctores catholicos, etsi omnes hodie admittant v. gr. Leonem XIII certo esse Petri successorem, non eadem sententia viget qua nempe certitudine id tenendum sit: alii certitudine morali, alii certitudine theologica, alii de fide certum volunt. Hanc ultimam sententiam propugnat ut probabiliorem Billuart, ad quem remittimus (*De Regulis fidei*, Diss. IV, art. IX). Ejusdem sententiæ videtur P. Palmieri S. J. in suo *De R. Pontifice,* p. 175, edit. 1877. Quoad textus dogmaticos notandum est ab Ecclesia non definiri utrum aliquis liber sit auctoris cujus nomen præfert, nec quid voluerit exprimere idem auctor; sed quem sensum præ se ferat liber in se; et hic sensus dicitur ab auctore *intentus* hac solum præsumptione quod auctor censetur illum exprimere voluisse; Ecclesia scil. de sensu objectivo, non de subjectivo decernit. In his autem omnibus vult fideles judiciis suis non silentio tantum obsequi, sed præterea assensum mentis interiorem exigunt perpetuo Pontifices, quod declaravit Clemens XI, in Constit. *Vineam Domini.* Cf. de istis G. V. Bolgoni: *Fatti dommat.*

[1] Jer. XXIII, 5, 6.

nullum habent. Imo cavendum est ne citius aliquid asseratur magisterio Ecclesiæ subjacere, ita ut hic optime quadret illud sapientissimum sancti Thomæ monitum: " Duo sunt vitanda: quorum unum est ne in hac quæstione aliquid falsum asseratur, præcipue quod veritati fidei contradicat; aliud est ne quidquid verum aliquis esse crediderit, statim velit asserere hoc ad veritatem fidei pertinere; quia, ut Augustinus dicit x *Confess.*, " Ob-
" est si ad ipsam doctrinæ pietatis formam pertinere arbitretur
" falsum, scil. quod credit, et pertinacius affirmare audeat quod ignorat. " Propter hoc autem obesse dicit quia ab infidelibus veritas fidei irridetur, cum ab aliquo simplici et fideli, tamquam ad fidem pertinens proponitur aliquid quod certissimis documentis falsum esse ostenditur, ut etiam dicit *I. sup. Gen. ad litt.* [1]. " Unde immaturius recentissimus quidam ait objectum infallibilis magisterii Ecclesiæ primario quidem esse veritates supernaturales; secundario tamen et ex necessaria consequentia omnes etiam veritates ordinis naturalis. — In quo asserto plura esse falsa ex prædictis patet. Rationem vero hanc affert, quod scil. veritates ad invicem sunt connexæ, quippe quæ omnes derivantur ab unica prima Veritate, quæ est Deus. Futilis atque ridicula argumentatio! Quasi fide credere teneremur omnes veritates quæ a prima Veritate nobis quovis modo procedunt!

CAPUT II.

Quale sit jus Ecclesiæ competens proponendi ut credendas veritates revelatas.

278. — Jus illud debet esse *primo* supremum, *secundo* infallibile, ita ut summa auctoritate, etsi a Christo delegata, et absque ullo prorsus errore doceat.

§ 1.

Jus prædictum Ecclesiæ est supremum.

279. — Quod ita asserimus, et ita intelligendum est ut nulla alia in terris detur auctoritas cui subjiciendum sit Ecclesiæ judicium circa veritates credendas. Unde:

[1] *De Pot.* q. IV, a. 1.

PROPOSITIO. *Judicium Ecclesiæ in determinandis quæ a fidelibus credenda sunt, et traditionibus necnon et Scripturis continentur, est supremum.*

Summi momenti hanc propositionem esse, nullus negare potest. Alii enim spiritui privato, alii Scripturæ, alii principi supremum agnoscunt magisterium in definiendis quæstionibus circa disputationes de veritatibus credendis: catholicus autem hoc supremum magisterium Ecclesiæ concessum a Christo profitetur.

Probatur ergo propositio

280. — *a*) Ex Scripturis, et quidem per textus supra allatos: Si enim qui audit Ecclesiam, audit et Christum; qui autem Ecclesiam non audit, et Christum audire respuit [1], patet magisterium Ecclesiæ esse ipsius Christi magisterium delegatum: ergo et supremum est. Idem colligito ex illis verbis: " Si (quis) Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus [2]. "

Iterum patet ex iisdem Scripturis ubi Ecclesiam regnum Dei, civitatem Dei, domum Dei, etc. vocavit, quasi Deus in illa ipse ageret et gubernaret [3].

Idem denique probatur illa quæ passim a B. Paulo mutuatur metaphora, qua scilicet Ecclesia dicitur [4] *Corpus Christi mysticum*, quamque adeo frequenter explanant antiqui doctores [5] hoc sensu quod ipse Christus sit quasi anima Ecclesiæ, unde postea eximius quidam theologus ita definivit Ecclesiam: " Ecclesia est corpus mysticum, organicum, Spiritu Christi animatum [6]. "

281. — *b*) Quapropter huic argumento accedit argumentum traditionis, cujus testes sunt Patres Collationis Carthag. sub Augustino. " In hanc (Ecclesiam) oculos aperimus, hanc in divinis eloquiis et testimoniis sicut ipsum Deum, Christum et Redem-

[1] Cf. Luc. x, 16.

[2] Matth. xviii, 17. Cf. I. Cor. v, 9; II. Thess. iii, 13.

[3] Aug. *De Civit. Dei*, L. xvi, c. i; Hieron. *In Is.* xxii, c. ix, x; Orig. *In Lev.* Hom. iv, n. 8, etc.

[4] I. Cor., cap. xii, 12 et seqq.

[5] Clem., I. Cor., n. 56; Ignat. *Smyrn.*, n. 1; Euseb., iv, 22.

[6] Joan. Ragus., *Orat. de Commun. sub utraque*, in Conc. Basil. Cf. S. Th. iv, D. 49, q. 4, 3, ad 4; *Verit.* q. 29, a. 4, ad 6.

ptorem nostrum comperimus; ab illo Deo patre, ab hac Ecclesia matre, nullius me hominis crimina, nullius calumniæ separabunt [1]. „ Cujus luculentissimam rationem antea sic expresserat S. Ignatius: “ Sicque immortalitatis coronam adeptus est (S. Polycarpus), una cum Apostolis atque omnibus Sanctis lætus glorificat Deum Patrem et benedicit Dominum nostrum gubernatorem corporum nostrorum, et pastorem *catholicæ per universum orbem Ecclesiæ* (ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς Ἐκκλησίας [2]). „ Ita Patres omnes [3].

Privilegia et charismata ex hac cum Christo unione profluentia, sic et ipsi Protestantes primitus concedebant, hisce ipsis terminis: “ Agnoscimus hanc triplicem auctoritatem competere veræ Ecclesiæ: primam testandi de Scripturis apostolicis, seu discernendi Apostolorum scripta a supposititiis;... secundo, tribuenda est auctoritas veræ Ecclesiæ quod penes eam est verus intellectus seu interpretatio divinæ Scripturæ..... Tertio, tribuenda est Ecclesiæ auctoritas constituendi judicia de doctrina [4]. „

Confirmatur titulis quibus Patres Ecclesiam passim ornant. Ea enim, dicunt, fulget sicut lux [5], videtur tamquam civitas supra montem posita [6], veritate splendet sicut sol [7]. Sicut et ipsi Apostoli [8], ita Ecclesia summa fruitur auctoritate circa doctrinam [9], quia scilicet Christus est fundamentum ipsius auctoritatis [10], et Spiritus sanctus in eadem residens et operans [11], in ipsa deposuit suum veritatis et lucis thesaurum [12].

[1] Vide in *Collect. Concil.* die III, n. 230. [2] Epist. *Eccl. Smyrn.*

[3] Irenæus doctrinas aliquas respuit quia Ecclesiæ sunt contrariæ: Ταῦτα τὰ δόγματα... οὐκ ἐστὶν ὑγιοῦς γνώμης, ταῦτα τὰ δόγματα ἀσύμφωνα ἐστι τῇ Ἐκκλησίᾳ (*Epist. ad Florin.*). Auctoritates congerere res facillima foret. Ad illos remittimus legendos qui textus Patrum collegerunt, vel Dogmatum historias fecerunt. Cf. Klée, *Hist. Dogm.;* Thomassinus, etc.

[4] *Art. Protest.* super articulis a Cæsare propositis. An. 1541, art. I. — Hujus auctoritatis umbram retinent et anglicani.

[5] Cypr. *De Unit.*

[6] Chrys. *In Is.* Hom. II; Aug. *Unit.* c. XVI.

[7] Aug. *De Fide rerum...* c. IV; Iren. L. I, c. X.

[8] I. Cor. IV, 1; Act. V, 1.

[9] Iren. L. V, c. XX; Cyrill. *Cat.* L. IV, c. XXXIII; Tertull. *Præscr.* XIX; Clem. *Strom.* L. VII, c. XV.

[10] Iren. L. V, c. XX.

[11] Iren. L. III, c. XXIV; Orig. *In Lev.* Hom. V, n. 5.

[12] Iren. L. III, c. XXIV, n. 1; Orig. *In Gen.* Hom. I, n. 6.

282. — *c*) Demum probatur ratione. Summum magisterium quoad res et controversias fidei est necessarium: atqui illud magisterium nulli alii quam Ecclesiæ competit. Ergo.

Patet consequentia.

Probatur major et quidem dupliciter: *Primo* ex omnium consensu, quum omnes admittant ad aliquod deveniendum esse criterium cui certo stare possint; *secundo*, ea ratione quod in rebus fidei summa certitudo et quidem omnibus possibilis evadere debet: secus enim Deus nec justus, nec bonus, nec sapiens foret, cum hominem fini certe attingendo destinaret, absque sufficienti medio veritatis cognitæ. Illa autem certitudo ab omnibus sola ratione, etiam revelatione præhabita, obtineri nequit. Constat enim ipsam religionis naturalis veritatem nonnisi a paucis, et post longum tempus et cum multis erroribus investigari posse [1]: idem *a fortiori* asserendum est de veritatibus ordinis supernaturalis, quibus attingendis impar omnino remanet mens humana.

Probatur minor de quo acriores fiunt disputationes atque moventur quæstiones.

Alii volunt supremum magisterium regi vel principi competere; alii spiritui privato seu privatæ inspirationi; alii ipsis Scripturis; alii demum magisterio Ecclesiæ.

Quoad opinionem primam, hanc turpiorem existimamus quam ut confutatione eam dignemur, unde dimittimus, juxta illud: " Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis [2]. „ Cæterum vix hodie in terminis, quod sciam, asseritur [3], etsi de facto res ita se habeat apud hæreticos passim et schismaticos.

Secunda autem sententia *primo* arbitraria est nec uspiam in Scripturis asseritur, qualem asserunt adversarii; *secundo* contraria factis, quia illi qui hujusmodi inspirationem vel assistentiam prætendunt, inter se pugnant, unde fictitia est illa inspiratio: secus enim sibi contradiceret Spiritus Dei; *tertio* huic magisterio (si ita nominare fas sit) deest jus cogendi aliorum sensum, quia nulla exteriori auctoritate confirmatur; *quarto* supponit opinio illa totam revelationem in Scripturis contineri, quam ita auctoritate privata interpretantur: porro supra

[1] I. q. I. [2] Prov. XXVI, 4.
[3] Illustrior hujusmodi indecoræ doctrinæ fautor fuit Brentius.

probatum est rem aliter se habere, solamque traditionem esse revelationis adæquatum locum.

283. — *Dices primo:* Juxta Apostolum, " Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei..... spiritualis autem judicat omnia [1]. „ Ergo sufficit spiritus privatus.

Resp. Textus græcus habet ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται... πνευματικὸς ἀνακρίνει. Unde homo non dicitur hic *animalis* quia sensualis, sed quia *psychicus* seu naturalis; spiritualis autem est qui Spiritu sancto ducitur; ille criterio rationis humanæ, iste criterio Spiritus judicat; ille quæ sunt naturalia, iste quæ supernaturalia. Hic autem Paulus non decernit quomodo a Spiritu spiritualis ducatur, utrum scil. interne tantum, utrum vero etiam externe; unde utrumque modum supponit. Confirmatur versu sequenti: " Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum (scilicet *hominem spiritualem* [2])? Nos autem sensum Christi (græce νοῦν Χριστοῦ, i. e. mentem Christi) habemus, „ seu secretum Christi participamus. Unde nihil hic de spiritu privato, qualem volunt adversarii, habetur.

284. — *Dices secundo:* S. Joannes hæc habet: " Non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium [3]. „

Resp. 1° In textu græco vulgari habetur quidem χρίσμα διδάσκει; plures tamen codices habent mox πνεῦμα διδάσκει, mox χάρισμα διδάσκει, et sic interpretantur scholia græca [4]: unde clarius vox illa sicut in relato S. Pauli textu esset explananda.

Resp. 2° Quin etiam vocabulum χρίσμα eodem sensu accipi potest. Vel dicendum erit ibidem apostolum Joannem non de simplici fide, sed de scientia fidei agere [5]; aut tractare non de omnibus veritatibus, sed de aliquibus per Apostolorum magisterium manifestatis; unde prius dixerat: " Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam. „

[1] I. Cor. II, 14, 15.
[2] Cf. Rosenmüller, *Schol.* in h. l.
[3] I. Joann. c. II, 27.
[4] Cf. *Edit.* Scholz et Tischendorf.
[5] De SS. Basilio et Gregorio Naz. hæc refert Rufinus: quod scilicet in monasterio " per annos tredecim, omnibus Græcorum sæcularium libris remotis, solis Scripturæ divinæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam, non ex propria præsumptione, sed ex majorum scriptis et auctoritate sequebantur: quos et ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat „ (*Hist. Eccl.* L. II, c. IX). Quo exemplo vides nec fidem scientiæ, nec scientiam *unctioni*, nec unctionem auctoritati contradicere.

Ex duobus tamen allatis textibus ostendi posset quam falso et impie aliqui hodierni Scripturam ex proprio sensu, tamquam supremo criterio, seu ex sola sua ratione interpretari audent.

285. — Tertiam vero opinionem, scil. Scripturam ipsam esse supremum criterium, nec alio magisterio opus esse, multipliciter demonstramus esse falsam. *Primo* enim supponit illa nullam dari veritatem revelatam extra Scripturas, quod falsum esse supra ostendimus; *secundo*, plures dantur veritates ex quibus ipsius Scripturæ auctoritas pendet, quæ tamen in Scripturis nec continentur, nec contineri possunt: v. gr. authentia et canonicitas librorum sacrorum; *tertio*, si de ipsius Scripturæ sensu disputetur, impossibile est hunc sensum ipsum, tamquam criterium sumi: secus enim hoc esset probare idem per idem; *quarto*, summum revelationis criterium debet esse incorruptibile: Scriptura autem, sive quoad textum, sive quoad sensum, multipliciter ignorantia aut malitia corrumpi potest et corrumpitur; *quinto*, Scriptura est liber et lex: nullus autem liber, nulla lex sese interpretatur; *sexto*, Scriptura in multis est obscura, ut probant ipsorum adversariorum controversiæ et variationes; *septimo*, demum neque ante neque post Christum Scriptura vel judicio privato interpretanda commissa est, vel tamquam supremum revelationis criterium agnita fuit [1], etc.

Ergo sola Ecclesiæ auctoritas est supremum magisterium quo proponendæ sunt veritates, ita ut exinde obediendum sit

[1] Ante Christum, Scripturarum conservatio et interpretatio commissa erat sacerdotibus, synedrio, prophetis. Cf. Salvador, *Hist. des Instit. de Moïse*, etc. Flavius Joseph historicus integram seriem Summorum Sacerdotum a principio usque ad finem nobis exhibet (*Antiq.* L. xx, c. x): scil. ab Aarone usque ad Salomonem, spatio nempe annorum 612, numerantur 13 sacerdotes; — a Salomone ad captivitatem babylonicam, scil. per annos 466, sacerdotes 18; — a captivitate babylonica, usque ad Antiochum Eupatorem, annos 412, sacerdotes 15; — ab Antiocho usque ad Herodem II, annos 113; sacerdotes 15, omnes Asmonæi; — ab Herode II usque ad Titum, annos 107, sacerdotes 28, quorum ultimus fuit Joannes Giscala, cujus tempore excisum est templum. Cf. Raym. Mart. *Pug. Fidei*, edit. Lips. Unde nunquam Scriptura interpretationi privatæ relicta est, siquidem veteri Jerusalem deficienti successit nova Jerusalem, de cujus auctoritate ita Augustinus: „ Quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non profertur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat „ (*Cont. Cresc.* L. I, c. XXXIII. Cf. Vincenzi, *De sacr. Monarch. Hebr.*).

iis „ quos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei [1], „ juxta illud Apostoli aliud præceptum: „ Obedite præpositis vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri [2]; „ quod iterum ita asserit S. Ignatius: „ Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi est Ecclesia catholica [3]; „ ὅπου ὄν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω, ὥσπερ ὅπου ἄν ᾖ Χριστος Ιησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία.

Confirmatur eo quod in rebus divinis tenendum est Deum, sicut non deficit in necessariis, ita nec abundare in superfluis. Porro abundaret in superfluis Deus, si magisterium illud veritatibus fidei asserendis necessarium non unico judici, sed innumeris tribueretur; deficeret autem si soli Scripturæ. Ergo.

DIFFICULTATES.

286. — *Obj.* 1° Apostoli epistolas suas fidelibus miserunt, istosque traditiones tenere jusserunt, quin attenderent vel attendi præciperent ad auctoritatem Ecclesiæ. Ergo.

Resp. Nego Apostolos non præcipere ut attendant ad auctoritatem Ecclesiæ, prout patet ex allatis textibus et aliis qui afferri passim consueverunt [4].

Obj. 2° Catholicus magisterium Ecclesiæ admittit et credit quia asseritur istud ab ipso magisterio Ecclesiæ, cum non admittat aliam auctoritatem ut supremam: ergo circulus vitiosus habetur in prædicta doctrina.

Resp. neg. supp. et conseq., et quoad probationem dico magisterium Ecclesiæ ejusque auctoritatem non agnosci quia ab ipsa Ecclesia asseritur, sed quia nobis exhibetur tamquam factum aliquod, historia vel experientia compertum, suisque *notis* seu *motivis credibilitatis* munitum. Si autem ad confirmationem facti adducatur vel traditio vel Scriptura, tunc qua monumenta historica speciatim profertur. Unde nullus hac parte datur circulus vitiosus.

287. — *Obj.* 3° *pro supremo criterio Scripturæ*, catholicos magisterium Ecclesiæ suæ per Scripturas, Scripturas autem per ma-

[1] Act. xx, 28.
[2] Hebr. xiii, 17.
[3] *Ep. ad Smyrn.* c. viii.
[4] Cf. Billuart, *De Regulis fidei*, Diss. iii, a. vi.

gisterium Ecclesiæ probare: unde circulum vitiosum committunt; — *pro supremo autem criterio spiritus privati*, catholicos ipsos hunc agnoscere dum supponunt Spiritus sancti illustrationem necessariam esse ad credendum.

Resp. quoad primam partem, neg. suppositum, sensu adversarii. Catholicus enim, dum credit, non eadem ratione credit et Scripturam seu revelationem propter auctoritatem Ecclesiæ, et auctoritatem Ecclesiæ propter revelationem: sed ratione prorsus diversa. Credit scilicet auctoritatem Ecclesiæ suæ propter revelationem, qua motivum formale assensus; credit vero revelationem propter auctoritatem Ecclesiæ ut applicantis revelationem: unde ratio diversa est nec datur circulus vitiosus. *Quoad alteram vero partem* dico illustrationem Spiritus sancti sane requiri ad actum credendi, quo scilicet homo attendat ad motiva credibilitatis, nec assensum renuat; non requiri autem ad constituendum summum credendorum criterium, de quo hic tantum agitur.

§ 2.

Jus prædictum Ecclesiæ est infallibile.

288. — Præmittenda videtur infallibilitatis definitio, ne andabatarum [1] more pugnemus, hisce præsertim temporibus, quum multi de infallibilitate tractant quin eam vel definiant, vel recte definiant, rati sufficienter dixisse, si dixerint ejus effectum, scilicet eam esse erroris immunitatem, aut quid hujusmodi. Audiatur itaque Angelicus: " Aliquid potest judicari possibile secundum se consideratum, quod relatum ad aliquid extrinsecum, impossibile invenitur. Dico ergo quod judicium eorum qui præsunt Ecclesiæ potest errare in quibuslibet, si personæ eorum tantum respiciantur. Si vero consideretur divina Providentia, quæ Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigit ut non erret, sicut ipse promisit, Joan. XIV, quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem de necessariis scilicet ad salutem, certum est quod judicium Ecclesiæ universalis errare in his quæ ad fidem pertinent impossibile est... In aliis vero sententiis quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de posses-

[1] Cf. Hieron. *Adv. Jov.*, I, 36.

sionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes [1]. „ Idem vero S. Doctor sibi objiciens Ecclesiam errare posse in canonizatione Sanctorum, quia in inquirenda eorum vita innititur testimonio humano, respondet, " Quod divina Providentia præservat Ecclesiam ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur [2]. „

Unde infallibilitas considerari potest vel *in se*, vel *in subjecto*, vel *in causis*.

In se considerata nihil aliud est quam privilegium non errandi.

In subjecto considerata est idem privilegium vel Ecclesiæ vel illi cui summe pertinet de Ecclesia concessum.

Si consideretur *in causis*, tunc habentur causæ *finalis*, *materialis*, *agens* et *formalis*.

Causa finalis est necessitas hypothetica (supposita scilicet necessitate cognoscendi certo revelatas veritates) Ecclesiæ facta non errandi circa veritates revelatas; unde indicatur *causa materialis* ejusdem, quæ nonnisi veritas revelata vel ad revelationem aliquatenus pertinens erit; *causa* autem *agens* seu *efficiens*, cum homo ipse esse non possit, siquidem *omnis homo mendax*, erit Providentia divina, non quidem ordinaria, quæ homines pro ipsorum natura in errorem labi sinit, sed *extraordinaria*, ad effectum extraordinarium obtinendum; *causa* demum *formalis* erit judicium ab Ecclesia, sub speciali Dei providentia, sive exteriori sive interiori illustratione Dei prolatum, quo reapse Ecclesia nunquam ut certum tradet quod erit *in se* dubium; nunquam ut verum quod erit falsum [3].

[1] *Quol.* IX, a. 16. [2] Ibid. ad 2.

[3] Hic addere nonnulla præstat, tamquam dictorum corollaria.

Imprimis infallibilitas non est donum prophetiæ qua quis veritates tempore, vel loco, vel propria natura longinquas et inaccessibiles videt; non est revelatio nova, nec inspiratio, cum non versetur nisi circa prius revelata apertius declaranda; non est impeccabilitas, unde S. Thomas: " Magis standum est sententiæ Papæ ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quam quorumlibet sapientum hominum in Scripturis opinioni; cum Caiphas, quamvis nequam, tamen quia pontifex, legatur etiam inscius prophetasse, Joann. XI „ (*Quol.* IX, a. 16). Quæ omnia sedulo retinenda et explananda sunt ne horrorem ignorantibus vel minus attentis creet infallibilitas.

Notandum præterea est hanc concedi Ecclesiæ, non *quoad causam*, ita ut Ecclesia in se causam infallibilitatis propriæ vel *habitualiter* vel *transeunter* ha-

His præhabitis, sit:

289. — PROPOSITIO. *Magisterium Ecclesiæ est infallibile in decernendis quæ traditione et Scriptura continentur, vel cum iisdem connectuntur, aut iis opponuntur.*

Probatur propositio argumento multiplici.

a) Ex Scripturarum auctoritatibus supra quoad existentiam perpetui magisterii relatis. Cum enim Christus promiserit perpetuam fore suam efficacem assistentiam Ecclesiæ concessam, inde luce meridiana clarius sequitur magisterium Ecclesiæ perpetuo infallibile futurum esse.

Confirmatur cæterum aliis utriusque Testamenti auctorita-

beat; sed quoad *effectum*, hoc nempe sensu quod sub speciali Dei providentia *de facto* non errat in decernendis fidei et morum rebus: hinc dicitur passim *assistentia*. Sequitur inde infallibilitatem esse quidem perpetuam *ex parte causæ*, quæ est specialis Dei providentia in perpetuum necessaria et promissa; *ex parte* autem *effectus*, hoc quidem sensu concedi quod semper impeditur error *in definienda doctrina de fide vel moribus* (Concil. Vatic.); quia vero non omnia quæ quovis modo proferuntur, ad fidem vel mores pertinent, hinc in istis non dari infallibilitatis objectum.

Notandum denique est ab auctoribus passim afferri demonstrationem *quia* infallibilitatis, qua scilicet rationibus extrinsecis concluditur aliquid inesse subjecto, seu Ecclesiæ competere infallibilitatem, quin assignetur causa quare inest (Cf. S. Th. *Summa totius Logicæ Arist...*); sed raro profertur demonstratio *propter quid*, in qua manifestatur *quare* prædicatum inest subjecto in conclusione. Ad hanc efficiendam recurrendum omnino est ad doctrinam thomisticam de præmotione physica, qua admittitur et probatur actiones humanas esse, juxta dictum S. Thomæ, *quid totum a Deo et totum ab homine*. Secus enim non explanabis quomodo causa fallibilis infallibiliter agat sub causa infallibili, quin libertatem amittat. Quod argumentum integro tractatu indigeret, idque hic omittimus. Hoc aliquatenus evolvit Const. Schæezler, in suo *D. Th. cont. Liberal.* Adduxisse sit satis hæc eximii philosophi verba: " Sicut Deus, inquit Goudin, utroque modo conservat res fortiter et infallibiliter, quamdiu eas conservare decernit; suaviter tamen non violata rerum natura, sed omnibus sponte sua veluti concurrentibus sub Deo ad effectum ab eo intentum conservandum; ita pariter Deus utroque modo fortiter et infallibiliter, omnes actiones quas effici decrevit, et ut effici decrevit, in suo tempore obtinet; suaviter tamen servata cujusque agentis conditione, ac agentibus ipsis ad actiones a Deo intentas sub eo movente concurrentibus. Porro hæc utraque infallibilitas provenit, non quidem semper ex intrinseca mediorum, quibus Deus utitur, indefectibilitate; sed ex efficacia et universalitate voluntatis Dei, qui cum omnia in manu habeat subsidia essendi et agendi, ita ut opus est dispensat, et sua providentia munit, ut licet deficere possint propter causarum ac rerum defectibilium naturam, ab eo tamen quem decrevit effectu, numquam reipsa deficiant " (*Philosophia*, vol. IV. *De Præmot.* Disp. II, quæst. III, a. VI).

Penitiores indagationes hic prætermittimus, cum ex se ad alium tractatum potius pertineant.

tibus: " Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam [1]. „ Hic autem agi de Ecclesia probat totus capituli contextus. Ita passim alii Prophetæ [2].

Haud secus perpetuo in novo Testamento. De Christo enim nascituro sic prænuntiatur: " Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis [3]; „ illud autem regnum non nisi Ecclesia est, et " portæ inferi non prævalebunt adversus eam [4], „ ut asseruit postea ipsemet mundi Salvator. Cur autem non prævalebunt, rationem assignavit hæc discipulis dicens: " Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis [5]; „ quod alias dixit: " Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi [6]. „

290. — *b*) A qua sententia sane non recedunt Patres, quorum doctrinam ita paucis complectitur Angelicus in sua *Catena aurea*, hæc ultima verba interpretatus: " Non cum illis (scil. Apostolis) solum dixit se futurum esse, sed et cum omnibus qui post illos credunt: non enim usque ad consummationem sæculi Apostoli mansuri erant, sed sicut uni corpori fidelibus loquitur [7]. „ Dixerat enim Chrysostomus: " Omne nostrorum dogmatum principium radicem cœlitus accepit a cœlorum Domino, etsi homines sint qui revelatis ministrant [8]; „ et S. Augustinus: " Nobis tutum est... fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini nostri Jesu Christi, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est [9]; „ et Hieronymus contra Luciferianos lepide dicebat: " Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare. „

Confirmatur auctoritate monumentorum archæologicorum, in quibus cernimus Ecclesiam repræsentari figura mox navis, cujus

[1] Is. LX, 19, 20.
[2] Cf. Is. LXI, 9; Ezech. XXXVII, 28; Dan. II, 44.
[3] Luc. I, 32, 33. Cf. Dan. VII, 14; et Mich. IV, 7.
[4] Matth. XVI, 18.
[5] Joann. XIV, 16. Vide contextum.
[6] Matth. XXVIII, 20.
[7] In *Caten. cur.* ib.
[8] Propter dicti pulchritudinem, en textum græcum: πᾶσα τῶν παρ' ἡμῖν δογμάτων ἡ ἀρχὴ τὴν ῥίζαν ἄνωθεν ἔλαβεν ἐκ τοῦ τῶν οὐρανῶν δεσπότου, ἐὰν ἄνθρωποι ὦσιν πρὸσλεγόμενα διακονούμενοι (*In Is. I, n. 1*).
[9] *De Bapt.*, L. VII, c. LIII. Cf. totum libr. *De utilit. cred.*

gubernator est Christus; mox domus firmissimis columnis suffultæ; mox mulieris Christum loquentem audientis, etc. [1].

291. — *c*) Probatur ratione theologica. Ecclesia est societas constituta propter hominum salutem, ut probatum supponitur: atqui salutem hominum non procuraret, si errare posset: ergo.

Probatur minor: Ecclesia hominum salutem procurare nequit nisi adhibendo et præbendo media certa, ex quibus summi momenti est ipsa veritas revelata: porro veritatem hanc certo, præsertim natura sua supernaturalem, non potest nec adhibere nec præbere, nisi infallibilitatis charismate donetur; ergo recte concludit Augustinus: " Non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, qua velut gradu quodam certo innitentes attollamur in Deum [2]. "

DIFFICULTATES.

292. — *Obj.* 1° Ab actu ad posse valet consecutio: atqui de facto erravit Ecclesia: ergo.

Resp. conc. maj.; neg. minor. Ubi, quando, quo auctore, in quibus dogmatibus erraverit, aut sibi constans et consentanea non remanserit Ecclesia, nec indicabunt, nec probabunt adversarii, quod quotidie magis impossibile ac ridiculum evadit, post frequentiora totius antiquitatis, præsertimque antiquitatis christianæ studia.

Obj. 2° In veteri Testamento Ecclesia cessavit, v. gr. in ipsis Adam et Eva; temporibus Noe [3]; sub Moyse, in deserto [4], tempore Eliæ prophetæ [5], in captivitate Babylonis, demum tempore Christi.

Resp. 1° Etsi admitteretur Ecclesiam veteris Testamenti aliquando defecisse, non ideo colligendum foret et Ecclesiam Christi aliquando defecturam esse, cum ipsi factæ fuerint specialiores promissiones.

Resp. 2° *neg. supp.*, excepto defectu Ecclesiæ veteris, jam constituta Ecclesia nova. Etsi enim scelera multa aliquando commissa fuerint, nunquam tamen ita prævaluit infidelitas ut

[1] Cf. Garrucci, *Storia dell'Arte Cristiana,* vol. I, pp. 200-204, 269-280; III, 179; V, 17, etc.

[2] *De utilit. cred.*, c. XIV.

[3] Gen. VI, 5.

[4] Exod. XXXII, 4.

[5] III. Reg. XIX, 10.

non remaneret Ecclesia, etiam in babylonica captivitate. Adveniente autem Christo, umbram fugavit veritas.

Obj. 3° Ecclesia aliquando ariana evasit, juxta illud Hieronymi celebre dictum: " Miratus est universus orbis se esse arianum [1]. "

Resp. S. Hieronymum loqui hyperbolice, pro frequentiori more suo [2].

Obj. 4° Dum Christus mortuus est, defecit Ecclesia, cum omnes amiserint fidem.

Resp. 1° Propositionem nostram esse de Ecclesia completa et formata, non de Ecclesia informi et incompleta.

Resp. 2° Negando suppositum, tum quia multi remanebant in Christum credentes, v. gr. B. V. Maria, S. Joannes, Joseph ab Arimathæa, etc.; tum quia adhuc remanebat Ecclesia vetus, quæ jure extitit usque ad novæ legis promulgationem, in die Pentecostes.

293. — *Obj.* 5° Christus prædixit Ecclesiam defecturam in fine temporum: " Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra [3]? "

Resp. Christum hic loqui de fide viva, quæ apud multos deficiet, non de infidelitate quæ Ecclesiam ipsam sustulerit. In aliquibus textibus parallelis agitur specialius de gente judaica, non de universis gentibus [4]. — Hæc est ergo Ecclesiæ auctoritas, quam Deus constituit " per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes; per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula... Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ [5]. "

Quærendum nobis nunc est quibus modis ferantur ac manifestentur Ecclesiæ judicia circa veritates revelatas.

[1] *Cont. Lucif.*

[2] Cf. Billuart, *De Trinitate.* Diss. Histor. de Concilio Arim.; Natal. Alex. *Hist. Eccl.* sæc. IV.

[3] Luc. XVIII, 8. Cf. II. Paralip. XV, 3; Dan. IX, 27; II. Thess. 2, 3, etc.

[4] Cf. Billuart, *De Regulis fidei*, Diss. III.

[5] *De utilitate cred.*, c. XIV.

SECTIO II.

QUOMODO ECCLESIA DOCTRINAM SUAM MANIFESTET.

294. — Ecclesia doctrinam suam vel *docendo* vel *credendo* manifestare potest. De utroque manifestationis modo dicendum est.

CAPUT I.

Quomodo Ecclesia doctrinam suam docendo manifestet.

Ecclesia doctrinam suam docendo manifestare potest, reipsaque manifestat vel magisterio *authentico*, vel magisterio *doctrinali*. Quæ distinctio satis superque ex se patet.

ARTICULUS I.

QUOMODO ECCLESIA MAGISTERIO AUTHENTICO DOCTRINAM SUAM MANIFESTET.

Ecclesia magisterio authentico doctrinam suam propalat dupliciter, scil. magisterio *ordinario* seu per Christum instituto, et *delegato*, seu per Ecclesiam communicato.

§ 1.

Quomodo Ecclesia doctrinam suam magisterio authentico eodemque ordinario manifestet.

Magisterium Ecclesiæ ordinarium idemque authenticum vel erit *adæquatum*, seu tota Ecclesiæ auctoritate exercitum, vel *inadæquatum*, seu auctoritate partiali assertum.

I. Quomodo Ecclesia magisterio authentico, ordinario et adæquato doctrinam exerat.

Quod fit ubi vel *Summus Pontifex*, vel *Concilium generale* asserit et docet, quia scil. caput Ecclesiæ considerari potest vel separatim, vel una cum membris aliis quibus præstat ordine, perfectione, influentia.

1. De auctoritate Summi Pontificis.

295. — Hanc in propositione ista describimus, scilicet: Tota illa auctoritas quam supra Ecclesiæ tribuimus in S. Pontifice imprimis residet, ita ut sit summa et infallibilis.

Quæ omnia hac una argumentatione simul probari possent, nempe: *Hujusmodi auctoritatem Christus Petro concessit:* atqui *ista auctoritas Petri successoribus transiit*, seu Summis Pontificibus. Ergo.

Cum tamen hujus syllogismi partes fusioribus indigeant argumentis, inde nos majorem et minorem separatim in specialibus propositionibus demonstrabimus.

Quia vero omnia hic asserta ex libera Dei voluntate pendent, hinc probari nequeunt nisi ex documentis quibus manifestatur Christi et Dei voluntas. Quod sapientissime his verbis monuerat Cajetanus: " Ecclesiasticum regimen, cum domesticum et civile complectatur, juxta illud Apostoli ad Ephesios cap. II, v. 19: *Estis cives Sanctorum et domestici Dei*, ac per hoc altius quid sit non ex divinæ potentiæ immensitate, nec ex divinæ sapientiæ, justitiæ aut bonitatis decentia (quoniam non est impossibile apud Deum omne verbum [1], nec dedecere Deum potest quidquid vult) qualis naturæ sit: sed ex natura facti contemplandum est. Sicut enim domesticum regimen et politicum ex ipsis definimus, ita oportet ecclesiastici regiminis naturam ex seipso speculari. Et quoniam naturalis propagatio regiminis, sicut et aliarum rerum, ortæ rei naturam ostendit, libet intueri quod Ecclesia non a singularibus aut a communitate, sed a capite homogeneo Jesu Christo initium sumpsit originis, perfectionis et potestatis; propter quod Ecclesiæ suæ dixit (Joan. xv, 16): Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et cum princeps iste unus atque idem Dominus Jesus heri et hodie, et in sæcula vivat et regnet, secundum naturalis juris consequentiam oportet ut ad ipsum principem, non ad communitatem Ecclesiæ spectet in sua absentia ordinare de vicario [2]. "

[1] Quare hic Cajetanus alludat ad Luc. I, 37, disce ex præclara S. Thomæ explanatione, 1, q. 25, a. 3; *De Pot.*, q. 1, a. 3 ad 10; in Job XLII, lect. I.

[2] Tract. *De Auct. Papæ Apol.*, p. I, c. I.

296. — Propositio I. *Auctoritas Petri in Ecclesia fuit summa et infallibilis, sensu prius explicato.*

a) Imprimis est de fide: " Si quis dixerit B. Petrum apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse, A. S. [1]. "

b) Ex revelatione ipsa colligendum est definitionis principium [2].

Imprimis et quidem merito adducitur illud S. Matthæi testimonium: " Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? — At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam aut unum ex Prophetis. — Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? — Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei vivi. — Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis [3]. "

Qua in narratione nulla cum textu græco datur diversitas alicujus, vel levioris momenti.

Concilium Vaticanum promissionem Christi ad Petrum interpretatum authentice, hæc habet, scilicet tenendum esse " juxta Evangelii (Matth. xvi, 16-19) testimonium, primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro apostolo promissum a Christo Domino fuisse [4]. " Unde colligitur ex verbis sacrosanctæ Synodi: *primo* Primatum Petro collatum non honoris modo, sed et jurisdictionis esse; *secundo* Petro

[1] Concil. Vat. Constit. *Pastor æternus,* c. i.

[2] Cf. M. Canus, *De Loc. Theol.*, L. vi.

[3] Matth. xvi, 13-19. Cf. Marc. viii, 27-28; Luc. ix, 19; Joann. vi, 70; i, 42; xx, 23; Cf. Is. xxii, 22.

[4] Conc. Vat., Sess. iv, c. i.

immediate et directe collatum fuisse, non autem cæteris Apostolis qui Petro delegarent; *tertio* hæc per Scripturas probari posse. Primatus ille, ut patet, etiam doctrinalis est et esse debet.

Ut autem Matthæi textum explanemus, notanda est *primo* Christi interrogatio; *secundo* Petri responsio, et *tertio* Christi repromissio.

Interrogatio igitur secunda Christi omnibus simul facta est, et facta est de quæstione dogmatica, et quidem summi momenti, nempe de Christi divinitate [1].

Responsio vero ad istam Christi interrogationem, non jam ab omnibus sicut prima, sed a solo Petro profertur, qui solus repromissionem a Christo recipit; responsionis vero objectum est actus fidei ad divinitatem Christi.

Repromissio demum Christi ad solum singularemque Simonem dirigitur, eumque solum beatificat; unde ea omnia quæ continet ad Petrum solum immediate et directe referuntur. Hac in responsione Christus imprimis Petrum dicit *beatum*, indicans quantum meriti responsio ejus contineat [2]; postea autem causas indicat cur ipsum vocet beatum, quarum prima est quod illa responsio non sit a *carne* et *sanguine*, id est ab homine viribus suis naturalibus, præsertim debilitatis relicto, sed a *Patre cœlesti* inspirata; secunda est merces copiosa a Christo retributa.

297. — *b*) Quia autem ex sensu repromissionis Petro factæ habetur imprimis Scripturæ sententia, hinc fusius expendatur oportet.

Quæ duplici metaphora exprimitur. Christus architecti vices sibi tribuens *primo* promittit Ecclesiam suam fundandam fore *supra Petrum; secundo*, occasione sumpta a portis inferi, promittit se daturum claves regni cœlorum eidem Petro.

Imprimis quoad primam metaphoram [3] notandum est Christum Petro nomen mutare: cum hucusque enim dictus fuisset Simon filius Jonæ vel Joannæ שמע בר יונה vel בר יהנה, postea, ju-

[1] Parvi refert utrum illud *alii* referatur ad Apostolos ipsos, vel ad profanos quorum sententiæ referuntur.

[2] « Τῶν ἀριστῶν οὐκ ἔστιν ἔπαινος, ἀλλα μειζον τι και βελτιον καθαπερ καὶ φαίνεται, τους γαρ θεους μακαριξομεν καὶ ευδαιμονιξομεν, καὶ τῶν ανδρῶν τους θειοτατους μακαριξομεν. » (*Arist. Ethic. Nicom.* Lib. I, c. XII. Quod apposite refert Palmieri *De Rom. Pont.* p. 227).

[3] Qualem quantamque vim Christus huic metaphoræ tribuerit, ipse nos luculentius docuit, Matth. VII, 24-27; Luc. VI, 48, 49.

bente Christo, vocabitur Petrus, syro-chaldaice כיפא, vel hebraice כף, quod bis tantum cum forma plurali כפים, in Scripturis usitatum invenitur [1], ac *saxum*, *rupem* significat.

Porro, ut probe advertit S. Thomas, " nomina quæ imponuntur aliquibus divinitus semper significant aliquod gratuitum donum eis divinitus datum, sicut (Gen. xvii) dictum est Abrahæ: " Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te; „ et (Matth. xvi) dictum est Petro: " Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [2]. „ Simoni igitur commissum est officium *petræ* [3], super quam Christus Ecclesiam suam ædificabit, οἰκοδομήσω; hæcque Ecclesia sic ædificata adeo firma erit ut adversus eam nunquam prævalere poterunt portæ inferni, πύλαι ᾅδου. *Portæ* significant *potestatem*, eo quod apud orientales jurisdictio in portis civitatis exerceretur [4]; *portæ inferi*, sunt proprie portæ *inferni*, siquidem LXX vocabulo ᾅδης reddunt celebre illud שאול, quod sedem animarum, præsertim impiarum significat [5]. Exinde igitur patet Petro id commissum esse ut Ecclesiam sustineat. Ita communiter interpretati sunt Patres et Doctores, prout passim referunt auctores probati, ad quos te, lector, remittimus [6], nisi hoc tibi sufficiat quod apud Patres " frequentissime Petrus apostolus appellatur Petra Ecclesiæ (Hilarius Pict. Trinit. L. vi, n° 20; Ambrosius, in hymno 1; Nazianzenus, orat. 26); petra ædificationis Ecclesiæ subjacens (Basil. contr. Eunom., L. 2, n. 4); petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ (Augustinus in Psal. contr. partem Donati; Leo M., serm. 98, c. 1); petra solidissima cui Dominus sui nominis, quo petra nuncupatur, communionem indulsit (Maximus Taurinensis, serm. pro Natali Petri et Pauli); fundamentum (Synod. Ephes. act. 3); fundans sua Ecclesiam

1 Jer. iv, 29; Job xxx, 6.

2 3, q. 37, a. 2. Cf. In Matth. xvi, 18. Cf. Gen. xxii, 28; Luc. i, 13-14.

3 Nomen significat simul *subjectum* et *qualitatem*. Cf. *D. Th.* i, q. 13, a. 1, ad 3, et iii. Dist. vi, q. 1, a. 3.

4 Cf. Patrizi, *De Interpr. Script.* L. ii, q. x, a. iii.

5 Vide quæ de his docte habet Palmieri in suo *De Rom. Pont.*, p. 257, editio 1877. Cf. Motais, *Salomon et l'Ecclés.*, Liv. ii, ch. i, iii.

6 Cf. Palmieri, *De Rom. Pont.*, p. 236-237, edit. 1877. Inter antiquos cf. imprimis Roccaberti, *Biblioth. Pontif.* Quoad Scholam thomisticam, vide Bianchi O. P. *De auctorit. S. Pont.*, Romæ, 1869. Adeas opp. Bellarmini, Natalis Alex., ubi de nostra quæstione tractant. Eximiam tractationem invenies apud Natal. Alexandr. *Hist. Eccl.*, Sæc. i, Diss. iv, et Sæc. xv et xvi, Diss. iv, edit. Mansi.

firmitate (Chrysologus, serm. 154); firmamentum Ecclesiæ (Ambrosius, *De virginitate*, c. 16); divinæ domus fundamentum (Epiphanius, Hær. LIX, nn. 7, 8); firma et solidissima petra supra quam Christus ædificavit Ecclesiam (Nyssenus, in altera laudatione S. Stephani, penes Gallandi, T. VI, pag. 660); Ecclesiæ crepido (Synod. Chalced., Act. III); supremum fundamentum Apostolorum, fundatio et fundamentum Ecclesiæ (Liturgia Ecclesiæ Russiacæ [1]... etc.). „

Eadem Petri auctoritas confirmatur altera Christi metaphora: “ Tibi dabo claves... „

298. — Hic iterum Christus solum Petrum alloquitur. Supponitur regnum cœlorum de quo hic Christus esse ipsammet Ecclesiam, prout passim in Scripturis accipitur [2]. Notabilis tamen hujus metaphoræ usus, præsertim si advertatur regnum cœlorum idem esse ac regnum Dei, in terris scilicet, cum tempore Christi apud Hebræos vocabulo שמים etiam Deus significaretur [3]. Quinimo Ecclesia quia fuit regnum Dei in terris, quasi per antonomasiam regnum simpliciter dicitur [4]: quæ in oblivionem tradenda non sunt, ubi quæritur quænam sit auctoritas illius qui istiusmodi regni claves habet, atque in eodem ligandi et solvendi copiam sortitus est.

Porro traditione clavium significari potestatis alicujus commissionem nullus ignorare potest, cum hoc testentur undique auctoritates sacræ æque ac profanæ. Hinc Isaias de Eliakimo: “ Et dabo clavem David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat [5]. „

Clavis signum super humerum ferebatur ad significandam potestatem: hinc de Christo sic prophetavit Isaias: “ Factus est principatus super humerum ejus [6]. „ Ita et Callimachus de Cerere canebat: κατωμαδιαν δ' ἔχε κλᾳδα [7]. His inhærens, clavium

[1] Palmieri, *Op. cit.*, p. 236. Cf. ib. p. 216.

[2] Matth. IV, 17; Marc. I, 15; Luc. VI, 20, VIII, 10; Joan. XVIII, 36; Apoc. XXI, 2. Cf. *Concordantias Biblicas.*

[3] Palmieri, *De Rom. Pont.*, p. 260. Cf. Lightfoot, *Horæ hebr.* in Matth. III.

[4] Matth. IX, 35.

[5] Is. XXII, 22; cf. Euseb. Cæsar. in h. l.; Apoc. I, 18, III, 7.

[6] Cf. Is. IX, 5.

[7] Hymn. XLIV. “ (Apud Hebræos) Claves ex metallo confectæ, non erant nisi potentioribus, et nonnumquam ansa eburnea ornatæ. Clavis hujus generis, ævo monarchiæ hebraicæ, a dispensatore domus regiæ, tamquam insigne muneris, in humero gestabatur. „ Jahn, *Archæol. Bibl.* § XXXVII.

Petro traditarum sensum ita expressit antiquus auctor: „ Clavem vocat potestatem. Qui enim potestatem claudendi et aperiendi domum habet, ille et ipsam domum consignatam habet; et hoc clarius ex Evangeliis discere licet, ubi Christus Petrum sic alloquitur: Tibi dabo claves regni cœlorum [1]. „

Quoad sensum vero eorum quæ addit Christus: Et *quodcumque igaveris*, etc., otiosum videtur contra nonnullos pertinaces disputare, cum non sint nisi mera continuatio incœptæ metaphoræ, significentque potestatem aperiendi et claudendi. Quæ loquendi ratio, pluries in Scripturis usurpata, etiam apud exteros in usu fuit, semperque plus minusve significat potestatem *illud faciendi quod recte libuerit*. Ita Josephus historicus narrat Pharisæos in tantam familiaritatem reginæ Alexandræ devenisse, ut pro libitu possent λυειντεκαίδειν [2].

299. — *Quæres* utrum nullatenus dicendus sit Ecclesiam repræsentasse, dum potestatem illam a Christo accepit?

Resp. Duplici modo aliquis societatem, signanter Petrus Ecclesiam repræsentare potuit: nempe vel qua princeps, vel qua delegatus ejusdem. Petrus autem non qua delegatus, cum nequidem vestigium delegationis appareat, sed qua princeps repræsentasse dici potest. Sic intelligendos esse Patres qui asserunt Petrum omnium nomine accepisse auctoritatem, patet ex ipsorum Patrum auctoritate: „ Has claves, ait Augustinus, non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ [3]; „ — „ Hoc erant utique, addit Cyprianus, et cæteri Apostoli quod fuit et Petrus, pari consortio præditi honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur [4]; „ ita ut, ad servandam unitatem, illa potestas *immediate* Petro et successoribus conferretur, cæteris autem *mediate*, i. e. mediante ipso Petro [5]. Hinc ipse Christus

1 « Κλεῖδα τὴν ἐξουσίαν κάλει· ὁ γὰρ ἔχων ἐξουσίαν κλεῖσαι καὶ ἀνοῖξαι τὸν οἶκον, οὗτος καὶ τὸν οἶκον επίσταται, καὶ τοῦτο σαφέστερον ἐν εὐαγγελίοις ἔστι μαθεῖν, ἀφ' ὧν πρὸς τον Πέτρον φήσιν ὁ χριστὸς· καὶ δώσω σοι τὰς κλῆς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν » Cramer, *Comm. in Apocal.* c. III, 8.

2 *De Bello Judaico*, L. I, c. v. Cf. Diod. Sic., qui hanc refert inscriptionem Isidis tumulo impositam: „ Ego sum Isis regina hujus regionis, a Mercurio erudita, ὁσα γαρ έγω δησω οὐδεις δυναται λυσαι. „ Apud Palmieri, *De R. P.*, p. 264.

3 *Serm.* 293 (al. 108).

4 *De Unit. Eccl.* Cf. Orig. *In Matth.*

5 Hic exscribere præstat quod ita advertit Calmet: „ Ostendit Lighfoot multa congerie locorum ex Judaicis libris desumpta verba hæc *ligare* et *solvere* in

dum postea omnibus Apostolis hæc ait: " Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo [1]; „ totam Ecclesiam simul alloquitur, nihilque habet nec de fundamento Ecclesiæ nec de traditione clavium, quorum ratio soli Petro congruebat. Unde Optatus: " Cæteris non agnoscentibus (Christum), solus (Petrus) agnovit; cæteris non promittentibus, solus promisit; cæteris nec semel negantibus, ter solus negavit. Et tamen..... interclusa est malitiæ via, ne Apostoli animo licentiam judicandi conciperent, et severe contemnerent eum qui negaverat Christum. Stant tot innocentes, et peccator accipit claves ut unitatis negotium formaretur; provisum est ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores [2]. „ Prius autem sic statuerat idem doctor: " Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est [3], in qua una

Hebræorum lingua significasse permittere vel prohibere, juridice aliquid licitum vel illicitum declarare. Hebræi, cum doctores suos promoverent, in eorum manu claves ponebant dicentes: *Accipe potestatem ligandi atque solvendi*, ut hac innuerent cæremonia illis facultatem conferri alios edocendi, explicandi mysteria, et explanandi quidquid in Lege ac Traditionibus impeditius erat et difficilius (Lighfoot: *Horæ Talmud.*, ad Matth. 16). At hæc potestas doctoribus Judæis in eorum promotione collata toto cœlo minor erat illa, qua Apostoli insigniti sunt, multiplici de causa: 1° Apostoli a Jesu Christo immediate auctoritatem receperunt: Hebræi doctores a similibus sibi, vel ad summum a Republica sua recipiebant, cujus potestas nec in animas, nec in conscientias, neque in cœlum protendebatur; 2° Hebræorum Doctorum auctoritas exiguis sane finibus arctabatur; leges quippe tantum declarare, utrum aliquid per Moysem vel Traditiones fas esset aut nefas disserere poterant. Apostoli e contra recentia irrogare mandata possunt; imperare, prohibere, damnare, absolvere ex sibi tradita auctoritate; 3° Judæorum Doctorum potestas Sacerdotum, Regum, Reiquepublicæ auctoritati erat obnoxia; Apostolica vero, quoad spiritualem attinet jurisdictionem, Deo uni subjecta est; 4° Illorum judicia, decisiones, mandata, Superioris Tribunalis judicio, censuræ et approbationi subdita erant; at quidquid definiunt Apostoli, hoc Deus ipse et Spiritus sanctus definit; 5° Hebræis Doctoribus non aliud est suæ potestatis fundamentum, nisi intellectus sui lumina, et Legis scientia, quam studio suo consequi potuerunt; Apostoli vero suam hauriunt auctoritatem ex Spiritus sancti assistentia, quæ illis promissa est, et quæ illos ad sæculorum usque finem non destituet unquam. „ D. Calmet *in Matth.* XVI, 19. Cf. Palmieri, *De Rom. Pont.*, p. 266 et seq.

[1] Matth. XVIII, 18. Cf. ejusdem doctissimi Calmet commentarium in hunc locum.

[2] *Cont. Parm.*, L. VII.

[3] Hic addit P. Palmieri: " Videntur quidam veteres Cephas a κεφαλη deductum putasse. „ *De Rom. Pont.*, p. 272.

Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quique defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret [1]. „ *Confirmatur* hæc interpretatio omnino ex documentis archæologicis, ubi perpetuo primum locum qua princeps tenere Petrus cernitur, prout videre est apud illos qui hujusmodi monumenta collegerunt atque interpretati sunt [2].

[1] *Cont. Parm.*, L. II.

[2] Cf. Opp. Mamachi, De Rossi, Garrucci, Martigny, Kraus, etc. Ecce tamen hujusmodi aliqua documenta. S. Neo, in pentaclinio a se constructo depingi fecerat Christum in medio duodecim Apostolorum, præbentem Petro legem, et infra scribi:

" Euge, Simon Petre, commissum tibi suscipe munus,
Bis senos inter fratres in principe sistis
Ipse loco, legesque novæ tibi dantur ab alto. „

(Garr. II, 395). Haud secus auctor celeberrimi Codicis Amiatini, in Bibliotheca Laurentiana Florentiæ asservati, his verbis librum Summo Pontifici, forsan Gregorio Magno, dedicabat:

" Culmen ad eximii merito venerabile Petri,
Quem Caput Ecclesiæ dedicat alma fides. „

(Tischend., *Cod. Amiat.* Prol. XI; Garrucci, III, 49).

Haud infrequentius Petrus Moisis personam induere ac vices gerere videtur, manu virgam gestans, rupemque percutiens et aquas fidelibus præbens. Sic visitur in Sarcophago Arelatensi; sic, teste Prudentio, visebatur in nymphæo, Romæ, ad ripam Tiberis dexteram olim extructo, quod ita interpretabatur summus Poeta:

" Pastor oves alit, ipse illis gelidi rigore fontes
Videt sitire quas fluenta Christi. „

(*Perist.* XII, 43, 44). Sic et in calicibus ipsis nonnumquam apparet, ubi pariter legitur:

" Petrus virga percussit,
Fontes cœperunt currere. „

(*Bollett. Arch. Crist.* an. 1877. Tav. V, VI). Nec alio sensu, imo ad rem nostram proximiori, dum Petrus cum Paulo repræsentatur, illi speciale ministerium et officium semper tribuitur, dum v. gr. Christus mox voce Paulum alloquens, Petro legem dat; mox vero, si Paulo volumen, Petro claves præbet (Garrucci, *Storia dell'Arte Crist.* I, 217, etc.). Istiusmodi sculptura Papiæ adhuc extat, in qua præterea legitur:

" Ordino rex istos super omnia regna magistros. „

Demum in Basilica S. Pauli, super S. Petri imaginem hi legendi olim fuerunt versiculi:

" Voce Dei fis, Petre, Dei Petra, culmen honoris,
Aulæ cœlestis splendor et omne decus. „

Et in Basilica S. Petri:

" Janitor hic cœli est, fidei petra, culmen honoris,
Sedis Apostolicæ rector et omne decus. „

Cf. Kraus, *Realencycl.* art. *Petrus.*

300. — *Dices*: Etsi fatendum sit Patres Scripturam allatam sensu prædicto interpretari [1], alii tamen aliter interpretantur; quin immo ii quasi omnes mox adducti sententiam mutant, voluntque *Petram* illam esse vel fidem Petri, vel Apostolorum collegium, vel ipsum Christum [2].

Resp. Primo, Patres vel auctores illos nonnunquam Scripturæ textum nostrum *accommodando* interpretari, ita ut sensum proprium et humanum verbis divinis exprimant, non ipsummet sensum divinum.

Resp. Secundo, etsi admitteretur Patres locutos esse juxta ipsum Scripturæ sensum, varias tamen illas interpretationes nullatenus sibi contradicere et adversari, sed omnes simul veras esse, non quod plures sensus litterales simul sub una eademque littera delitescere agnoscamus, sed quod illi sensus ad invicem subordinati sunt, ita ut ab uno litterali cæteri dependeant, sive præsupponantur, sive consequantur.

Cujus asserti prima probatio est quod illi iidem Patres et auctores varias hujusmodi interpretationes passim afferunt; cum autem Patribus contradictionem impingere nefas sit, agnoscendum est sibi invicem cohærere interpretationes illas.

301. — Altera probatio est ex interpretatione auctoritatum legitima.

Imprimis dixerunt utique nonnulli Patres Petram illam esse Petri fidem seu confessionem. Ita Hilarius: " Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est... Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum [3]; „ ita Chrysostomus: " Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, i. e. fidem et confessionem [4]; „ ita Cyrillus Alexandrinus: " Petram, opinor, nihil aliud quam inconcussam et firmissimam discipuli fidem vocavit [5]. „

Cuilibet autem intuenti liquet Patres verba Christi referre non ad fidem Petri seorsim sumptam, sed prout edita est ab ipso Petro, ita ut Petrum qua fidei professorem agnoscant et intelligant: et hoc vel quia asserunt fidem Petri fuisse causam meritoriam, vel conditionem *sine qua non* dignitatis sibi collatæ; vel quia agunt de illa *fide pontificia*, qua tali, pro qua

[1] Cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.* Sæc. I, Diss. IV, et Sæc. XV et XVI, Diss. IV.; Roccaberti, *Bibliotheca Pontificia*.

[2] Cf. Natal. Alex. *loc. cit.* Nonnullos indicat P. Palmieri, *De Rom. Pont.* p. 246.

[3] *De Trin.* L. VI. [4] *In Matth.* Hom. 55. [5] *De Trin.* L. IV.

rogavit Christus ne deficeret. Ridicula est interpretatio Patres negare Ecclesiam supra Petrum fundari, dum asserunt eam supra fidem Petri fundari. Hinc Hilarius: " Dignum plane confessio Petri præmium consecuta est quia Dei Filium in homine vidisset. Beatus hic est qui ultra humanos oculos intendisse et vidisse laudatus est... Et in nuncupatione novi nominis (scil. Cephæ vel Petri) felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius *Petra* quæ infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret [1]! "

De utraque interpretatione hæc peregregie habet doctissimus Natalis Alexandre: " Itaque duplex illa horum verborum, *Et super hanc Petram*, expositio catholica est, cum ea quæ de fide Petri ipsa interpretatur, tum quæ ad ipsam Petri personam illa refert, eo sensu quem jam dicebamus. Sed inter utramque expositionem id interest discriminis, quod ista immediata est, illa mediata; ista primitiva et perpetua, altera adventitia et temporanea; ista ab initio Ecclesiæ, quatuor sæculorum serie, sola tradita, altera vero data occasione prolata. Nam ante arianæ hæreseos ortum, illa sola expositio viguit quæ verba illa refert ad ipsam Petri personam, ut constat ex Tertulliano, Origene et S. Cypriano... Cum vero Ariani Christi divinitatem palam impugnassent, sancti Patres, qui firmissimum catholicæ causæ præsidium in illis S. Petri verbis: *Tu es Christus filius Dei vivi*, positum animadverterunt, istius confessionis dignitatem summis laudibus extulere. Unde quia S. Petrus illius in gratiam et ob illius meritum constitutus fuerat fundamentum Ecclesiæ, ipsammet confessionem fundamentum Ecclesiæ nuncuparunt metonymice, i. e. translato nomine effectus ad causam, ut Arianos illius impugnatores liberius ac verius velut fundamenti Ecclesiæ destructores insectari possent [2]. "

302. — Nec propositæ doctrinæ obstant Patres qui asserunt Petram esse collegium Apostolorum, vel omnes Apostolos esse fundamenta Ecclesiæ vel claves Apostolis traditas esse. Apostoli utique fuerunt *Petra* et *fundamentum Ecclesiæ;* sed non per se et immediate: at mediate et per Petrum; receperunt utique et ipsi claves, sed *primo* non receperunt nisi mediante iterum Petro; *secundo* non receperunt *primatum* illum qui soli primo recipienti

[1] Hil., *loc. cit.*

[2] *Hist. Eccl.* Sæc. I, Diss. V, § III.

competere potuit. Ita seipsos semper et ubique interpretantur Patres. “ Licet, inquit Hieronymus, super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio [1]. „ — “ Cæteris Apostolis, ait Natalis Alexandre, datæ sunt claves cum dependentia a Petro, et cum subordinatione ad ipsum, *concedo;* æquo jure cum Petro, *nego.* Ista responsio fundata est in doctrina sanctorum Patrum, quorum testimonia... (superius) adducta sunt, maxime Tertulliani in Scorpiaco, Optati Milevitani, lib. I contra Parmenianum, et S. Leonis, serm. III, in anniversario die assumptionis suæ [2]. „

303. — Demum nobis contrarii nullatenus sunt ii Patres qui aliquando dicunt Christum esse illam Petram in qua fundatur Ecclesia: non enim negant inde Petri privilegium prout explanat S. Hieronymus: “ Sicut ipse lumen Apostolis donavit ut lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino sortiti sunt vocabula: ita et Simoni, qui credebat in petram [3] Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphoram petræ, recte dicitur ei: Ædificabo Ecclesiam meam super te [4]. „ Basilius: “ (Christus) Petra est et petram facit: quæ sua sunt largitur servis suis [5]. „ Ita alii omnes. Unde sic breviter resumi potest Patrum interpretatio et sententia quoad allatum textum: Privilegium Petro collatum est *formaliter* in ipso Petro, *causaliter* in Christo, *instrumentaliter* in confessione Petri, et *participative* in cæteris Apostolis. Hinc patet nullam dari inter hujusmodi interpretationes contradictionem.

304. — Dum autem aliquando Patres, imprimis Augustinus, dicunt Petrum gessisse figuram Ecclesiæ, hoc dixerunt *accommodato* sensu, quod testatur ipsemet Hipponensis Doctor: “ Petrus apostolus, ait, propter apostolatus sui primatum, Ecclesiæ gerebat figurata quadam generalitate personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus christianus; abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus: sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves, etc., universam significabat Ecclesiam [6]. „ Eodem sensu asserit idem Doctor “ Christum gessisse figuram Ecclesiæ, quando bapti-

[1] *Cont. Jov.* L. I.
[2] *Hist. Eccl.* Sæc. I, Diss. IV.
[3] I. Cor. x, 4.
[4] *In Matth.*, c. XVI.
[5] Hom. XXXVIII, *De Pœnit.*
[6] *In Joan.* Tract. 124.

zatus est [1]; „ et Judam fuisse impiorum figuram: " Judas malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum; immo corpus Ecclesiæ, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus: Et tibi dabo claves regni cœlorum [2]. „ Concludendum ergo est cum S. Leone: " Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit; et hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum, quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis (i. e. *absque hierarchia*), *quum* inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et quum omnium par esset electio, uni tantum datum est ut cæteris præemineret [3]. „ Verbo: quia Petrus ex se et primus agnoverat et confessus fuerat divinitatem Christi, quæ est totius fidei nostræ fundamentum, ita Christus Petro primo, et postea (saltem posterioritate rationis) cæteris, et quidem per Petrum, commisit ut fidem illam servaret.

305. — Hæc apud Matthæum. Eadem apud Marcum [4] leguntur, de quibus nihil addendum; eadem apud Lucam [5]. Sed et alia præsto sunt testimonia, cæteris Evangelistis propria. Marcum omittimus, cum ejus Evangelium quasi compendium sit Evangelii S. Matthæi.

S. Lucas autem hanc alteram auctoritatem habet: " Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos [6]. „

Imprimis notandum est textum hunc vix cum contextu cohærere, unde nexum non male aliqui [7] a Joanne mutuati sunt, ubi narrat iste superbam Petri fiduciam cum prophetia Christi de triplici ejus futura negatione [8], opinantes præterea Christum illa Matthæi verba addidisse [9].

[1] *In Ps.* CVIII.
[2] Ibidem.
[3] *Epist.* XIV *ad Anast. Thess.*
[4] VIII, 28.
[5] IX, 18.
[6] XXII, 31-32.
[7] Cf. Curci, *Il Nuovo Testamento in Luc.*, c. XXII, 31.
[8] Joan. XIII, 36-38.
[9] Hoc simul ex illo Lucæ capite XXII, 24, ubi narratur Apostolorum contentio " quis eorum videretur esse major, „ colligi potest, nempe Apostolos hucusque vel nihil vel parum intellexisse prærogativam Petro collatam, de qua ex Matthæo supra diximus.

Notandum aliunde est Concilium Vaticanum hujus textus interpretationem authenticam nobis dedisse, inquiens: " Pontificum Romanorum apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt, plenissime scientes hanc S. Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos [1]. „

306. — Ut autem eluceat conclusio nostra mox colligenda præstat singula verba textus exponere. *Simon*, *Simon:* Christus ergo Petrum seorsum alloquitur; cum autem postea dicit *vos*, hinc jam ista oppositione significat nonnihil dignitatis Petro præ aliis competere. — *Satanas*, i. e. græce ὁ σατανας [2], adversarius κατ᾽ ἐξοχήν, *expetivit*, græce ἐξῃτήσατο, seu in causam aut quæstionem vocavit. Hic indicatur Satanæ voluntas utique præsens et habitualis, quæ tamen pendet a voluntate Dei quoad permissionem insidiandi fidei credentium [3]; unde a Deo pendet quod fides immutata remaneat. — Expetivit *vos*. Quod vocabulum majoris momenti est, siquidem Christus solum Petrum alloquens, testatur tamen omnes, non excepto Petro, cribrandos fore. Unde quærendum est si omnium eodem modo fidem intactam servavit. — *Ut cribraret*, τοῦ σινιάσαι, *ut triticum*. Graphice Salvator Apostolorum tentationem hac metaphora exprimit. Σινιάσαι enim est σεισαι, κοσκινησαι, θορυβησαι, ταραξαι, prout explanat Suidas [4]. Hoc tamen notandum quod diversimode res cribratur. Arena enim sic cribratur ut grossiores inutilioresque lapilli in cribro remaneant, arena autem trans cribri telam excutiatur; granum e contra melius saniusque in cribro remanet, nec nisi pulvis herbarumque semina in terram cadunt. Hoc ultimo sensu accipienda est metaphora, ita ut illi idonei agnoscantur qui in cribro remanserint [5].

[1] Sess. IV, Cap. IV.

[2] Hic notetur articulus, quo designatur adversarius ille notissimus qui est diabolus. Hebraice sane legendum fuisset השטן.

[3] Cf. Job I, 12.

[4] Apud Palmieri, *De Rom. Pont.*, p. 280. Cf. Amos, IX, 9.

[5] Aliqui Patres rem potius describunt ex effectu quam ex natura, dum vertunt: " ut vexaret, „ (Cypr., *Epist.* L. IV, ep. IV); " ut cerneret, „ (Ambrosius); " ut discerneret, „ (Tertullianus).

307. — En quæ tentabit Satanas contra fidem omnium Apostolorum: videndum quid facturus sit Christus pro eadem fide servanda. Ille *expostulavit ut cribraret vos*, inquit Christus: *ego autem rogavi pro te*. Petitioni ergo diaboli opponitur oratio Christi. Cuinam victoria erit, hoc nos docet Angelicus: " Oratio est quodammodo interpretativa voluntatis humanæ. Tunc ergo alicujus orantis exauditur oratio, quando ejus voluntas adimpletur. Voluntas autem simpliciter hominis est rationis voluntas: hoc enim absolute volumus quod secundum deliberatam rationem volumus... Secundum autem voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit nisi quod scivit Deum velle. Et ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis, et per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita [1]. " Atqui orationem Christi pro Petro factam absolutæ fuisse voluntatis certum patet eo quod absolute asserat Christus, et quidem ratione absolutæ utilitatis, nempe permanentiæ Apostolorum in fide.

Hoc rursus notandum est, scilicet Christum pro *uno* Petro orare, dum tamen *omnes* cribrandi erant. Duplex igitur orationis Christi scopus fuit: alter quidem ut fides ipsius Petri indefectibilis esset; alter ut hæc eadem fides alios confirmaret.

Ut non deficiat, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ, i. e. ne quemlibet patiatur defectum; *fides tua*, non fiducia, ut male volunt aliqui, sed illa certitudo objectiva simul et subjectiva de divinitate Christi et aliis supernaturalibus, qualem frequentius exprimit novum Testamentum, ubi vocem πίστις usurpat; quæ sane fiduciam involvit, sed tamen aliquid amplius asserit [2]. Hæc pro Petri fide: quid pro fide aliorum? *Et tu*, inquit Christus, *aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

Postquam ergo Christus *per se* confirmavit Petri fidem, *per Petrum* alios confirmare intendit. *Aliquando*, ποτέ, h. e. quando opus fuerit: vocabulum namque illud tempus indeterminatum sonat. *Conversus*, ἐπιστρέψας, quod non est intelligendum de *conversione* a malo, sed melius de *conversione ad fratres*, alloquendi et confirmandi causa [3]. Quo fere neutrali sensu adhibetur vo-

[1] III, q. 21, a. 4.

[2] Cf. I. Cor. XIII, 2, 13; Hebr. XI, 1, 31; Matth. IX, 22, 28; Joan. XI, 25-27, 40; Marc. V, 34; Luc. VII, 50; VIII, 48, XVII, 19, 42; Rom. XIV, 23, etc.

[3] Optime P. Curci hæc duo verba πότε ἐπιστρέψας, ita vertit: *all'occorrenza rivolto, indirizzatoti, etc. (Nuovo Testamento).*

cabulum illud in hoc S. Petri textu, vel melius in illo verbo quod refert S. Apostolus: *Κύων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα* [1]. Unde simul quasi *vicissim* significaret, quia nempe Petrus, postquam a Christo confirmationem accepisset, *vice sua* cæteris communicaret, juxta hanc egregiam S. Leonis interpretationem: „ In Petro omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur [2]. „

308. — Verba autem sequentia per se patent: *confirma*, *στήρισον*, est *consolida* ne vacillent; *fratres* autem sunt cæteri Apostoli, illi nempe qui in vocabulo *vos* simul cum Petro comprehendebantur.

Notandum primo hic est iterum haberi illam Matthæi supra relatam metaphoram, qua Petrus ut *petra* seu basis, firmamentum Ecclesiæ exhibetur.

Notandum secundo est Petrum, quum *fratres in fide confirmare* debeat, nullusque præter ipsum et fratres veritatis in Ecclesia fulcimentum dici possit, causam esse cur Ecclesia ipsa vocetur *στύλος καὶ ἑδραίωμα της ἀληθειας* [3].

Notandum tertio est confirmationis illius objectum fuisse non illam extraordinariam potestatem et infallibilitatem quæ Apostolis ut apostolis concessa fuerat, sed potestatem ordinariam quæ semper in Ecclesia perdurare debuerat.

Concludatur ergo: „ Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit [4]. „

309. — *Quæres* forsan utrum Petrus in passione Christi amiserit fidem.

Resp. neg. Negavit utique sibi ignotum esse hunc hominem, in quo graviter mentitus est et peccavit; nec tamen cessavit in Christum credere. Si nonnunquam asseritur Petrus amisisse fidem, quæstio est vel de fide quæ per charitatem operatur; vel de fide exteriori, quæ actibus manifestatur aut verbis. Haud

[1] II. Petr., cap. II, 22.
[2] Serm. IV, *In annivers. Assumpt.*
[3] I. Tim. III, 15.
[4] S. Leo. Serm. IV, *Anniv. ass. suæ.*

secus S. Augustinus: " In illa negatione, inquit, intus veritatem tenebat, foris mendacium proferebat [1]; " et Prudentius:

Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas;
Cum mens maneret innocens
Animusque servaret fidem [2].

310. — At vero Joannes quoque post Evangelistas alios suum de primatu Petri protulit testimonium et quidem egregium, cum hac tamen differentia quod in duobus primis textibus magis promittitur primatus quam conceditur; in hoc vero mox afferendo magisterium reapse confertur.

En verba Joannis: " Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine: tu scis quia amo te. — Dicit ei: Pasce agnos meos. — Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. — Dicit ei: Pasce agnos meos. — Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? — Contristatus est Petrus, quia dicit ei tertio: Amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. — Dixit ei: Pasce oves meas [3]. "

Aliqui indefessa subtilitate inquirunt quidnam differentiæ intercedat φιλεῖς inter et ἀγαπᾷς, βόσκε et ποίμαινε, ἀρνία et πρόβατα vel προβατία, etc. [4], ut inde sensuum vel diversitatem, vel ordinem eruant. Quæ nos omnia omittimus tum quia subtiliora, minus certa et vix utilia videntur; tum quia propositioni nostræ stabiliendæ sufficit notio generalis vitæ pastoritiæ [5].

Hoc iterum advertimus, sensum nempe hujus textus ab eodem Concilio Vaticano indicatum authentice fuisse, dum hæc habent ejusdem Patres: " Uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum ovile, dicens: Pasce agnos meos, pasce oves meas [6]. "

[1] *Cont. mend.*, c. VI. [2] *Cathemer.* [3] Joan. XXI, 15-17.

[4] Cf. Scholz, *Nov. Test.* lect. var. in h. l.; et Bellarm. *De R. Pont.* L. I, c. XVI.

[5] Ipsa cæterum Vulgata hanc agendi rationem partim saltem approbat dum βόσκε et ποίμαινε eodem verbo *pasce;* ἀγαπᾷς et φιλῶ, verbo *amas, amo*, vertit. Quin ipse textus græcus eamdem innuit, dum post duas Christi interrogationes ἀγαπᾷς με, et tertiam φιλεῖς με, contristatus narratur Petrus quod tertio interrogatus esset φιλεῖς με, unde vocabulum istud tamquam duorum præcedentium synonymum adhiberi videtur. Cf. Calmet, *in h. l.*

[6] Const. *Pastor æternus*, c. I.

Quam recte ita pronuntiat sancta Synodus facile ex ipsa textus analysi liquet, in quo id saltem primo intuitu apparet nempe munus pastoris specialiter Petro conferri, et munus illud aliquam specialem jurisdictionem significare.

Quod Christus Petrum specialiter alloquatur hoc patet ex ipso ejus loquendi modo in secunda persona singulari: *Diligis me; amas me;* ex responsione Petri, in prima persona singulari: *Amo te;* demum ex oppositione aliqua a Christo adhibita inter Petrum cæterosque Apostolos: *Diligis me plus his*, πλεῖον τούτων.

Quod autem illa pastoris metaphora specialem jurisdictionem indicet, hoc colligi potest tum ex ipsius metaphoræ natura, tum ex significatione eidem passim tributa.

Metaphora enim sic interpretanda est ut illud quod de uno ad aliud transfertur, de isto dicatur secundum totam eamdemque formalem rationem, nisi ex contextu vel ex natura rerum admittenda sit aliqua limitatio significationis. Porro nulla datur ratio cur Petrus non dicatur pastor Ecclesiæ ea ratione et quidem tota, qua cum pastoribus gregum convenire potest. Sed vero istis pertinet vera jurisdictio in gregem, ita ut ipsum pascendi, gubernandi, regendi, corrigendi munus et officium iisdem competat: ergo idem munus atque officium Petro competit in Ecclesia, cujus a Christo instituitur et dicitur pastor. Quæ jurisdictio cæterum in totum gregem se porrigit, scilicet ad agnos simul et oves.

311. — Idem præterea confirmatur ex significatione quæ huic metaphoræ tum apud Gentiles [1] tum apud Hebræos tempore Christi passim inerat. Sciunt namque omnes regem apud Homerum, Platonem et alios ποιμένα vocari [2]; ita passim apud omnes populos eodem nomine expressius obscuriusve donantur reges.

Quin immo haud improbabiliter multi putant verbum *rego*, a quo *rex*, a vocabulo רעה, racha, quod est *pavit*, procedere, sicut et vocabulum βασιλεύειν unde βασιλεύς, a verbo משל, *dominatus est*, a quo מושל, *dominator* [3], cujus officium est *pascere*, ποιμαίνειν, prout indicat Matthæus evangelista [4].

[1] Cf. Xenoph., *Cyropæd.*, in principio.

[2] Apud Hesych., ποιμὴν vertitur βασιλεύς « Οἱ δ᾽ ἐπανέστησαν, πείθοντό τε ποιμένι λαῶν: (scil. Agamennoni) Σκηπτοῦχοι Βασιλῆες. » *Iliad.* II.

[3] Mich. v, 2.

[4] Matth. II, 6, ubi refertur Michææ prophetia, Vulgata habet " qui regat; " textus græcus ὅστις ποιμανεῖ. "

Unde et apud gentes pastores dicebantur quibus officium regium fuisset commissum [1]. Haud secus sane apud Hebræos: " In Bibliis reges dicuntur *pastores*. רעה רעים nuncupatio nequaquam est subjecta, sed sublimis et honorifica; quare hoc nomen persæpe Deo tribuitur, qui erat rex Hebræorum; proprie hæc compellatio dicit *rectorem* et *curatorem*: cf. Ps. xxiii, 1-4, viii, 2; Is. xl, 10; lxiii, 11; Jer. x, 21, 22; xxiii, 1; xxxi, 11; xxxvi, 40; l, 6; li, 23; Mich. v, 5; Nahum iii, 18; Ezech. x, 24; xxxiv, 2-23; xxvii, 24; Zachar. x, 3; viii, 26; xi, 5. In antiquo quidem Fœdere, hæc tropica pastorum notio perpetuo indicat regem [2], ætate vero Christi, nomine pastorum פרים condecorabantur præceptores Judæorum, quod primum ex schola stoicorum descendit, qui solos sapientes statuerunt esse vere reges. Hoc modestius saltem quam a stoicis dictum fuit, a Judæis adoptatum est, et deinceps in Ecclesiam christianam transiit, ut qui doctrina regerent et curarent fideles, pastores dicerentur: Ephes. iv, 21; Matth. ix, 36; Joan. x, 11-14; Hebr. xiii, 10; I. Petr. ii, 25; v, 4; I. Cor. iv, 8 [3]. " Tunc temporis ergo pastoris officium hoc jam versiculo distingui potuit:

Collige, sustenta, stimula vaga, morbida, lenta.

Quo sensu, nec alio Christus et Apostoli vocabulum *pascere* intellexerunt. Hac autem metaphora libentius usus est Christus, tum ut significaret Petrum de sua propria auctoritate participare, cum et ipse se pastorem dixerit [4]; tum ut indicaret clementiam auctoritati immiscendam esse [5], sicque pastores omnes *suaviter* et *fortiter* imperarent, prout fert axioma perfecti regni. Recte igitur Leo Magnus ita pronuntiavit : " De toto mundo

[1] Notat Gesenius circa vocab. משל : " *Imperandi* notio qua carent reliquæ linguæ semiticæ, ad Græcos transiisse videtur, apud quos βασιλεύς, βασιλεύω, radice domestica carent. " *Lexic. Hebr.*, edit. Drach. Cæterum, præter rationem similitudinis officii pastorem inter et regem, ex qua oriri potuit metaphora, verisimillimum est hanc simul oriri ex historico facto, quod nempe antiquitus patres familias reges simul ac pastores erant, dum vitam *nomadem* (unde νόμος, lex) agerent.

[2] Cf. Ps. lxxvii, 70-72; Is. xliv, 28.

[3] Jahn, *Archæol. Bibl.* § xii. Quæ in hoc textu non probanda occurrunt, demi a lectore possunt, quin lædatur assertum præcipuum.

[4] Joan. x, 11, 14. Cf. Ezech. xxxiv, 23; Mich. v, 2; Matth. ii, 6, etc.

[5] Cf. Matth. xx, 25-28; Marc. x, 42; Luc. xxii, 25-27. Petrum ita officium intellexisse ab ipsomet disce, I. Petr. v, 1-4.

unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Pastoribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus [1]. „

Quæ rursus patent ex varietate ac dignitate officiorum quæ passim in Scripturis pastori assignantur; scil. pastor docet et erudit [2], pascit [3], congregat et custodit [4]; visitat et liberat [5], segregat [6] gregem a grege malo; grex autem qui sine pastore fuerit dispergitur et devoratur [7].

312. — Tribus Evangelistarum allatis textibus cohærent multi alii textus et locutiones quibus Petri primatus ubique confirmatur, quos tamen breviter indicamus. Imprimis quotiescumque Apostolorum catalogus texitur, Petrus nominatur primus [8], etsi quoad cæteros varietur ordo. Cum autem Petrus primo loco nominari non potuit nec ratione vocationis, siquidem frater Andreas prior vocatus fuit [9]; nec ratione ætatis, tum quia id gratis asseritur, tum quia eadem ratio pro cæteris non servatur, cum mutetur recensionis ordo, hinc prius nominatur ratione dignitatis. — Confirmatur eo quod Matthæus ita catalogum ordiatur: Πρῶτος Σίμων...; cum enim non addantur δεύτερος, τριτος, etc. sequitur illud πρῶτος non numerationis sed dignitatis gratia inductum esse.

Deinde sæpius nominatur seorsum, cæteris in communi tantum nominatis [10]; vel etiam adhibetur hæc loquendi formula quæ apud Græcos principem indicat: Σίμων καὶ οἱ μετά αὐτοῦ [11]... καὶ οἱ σὺν αυτῷ [12].

313. — Nec obstat quod aliquando postponatur Petrus [13] cæteris, quia tunc nobiliores, progressu ascendenti, ultimi inducuntur, si quidem his in locis Christus postremo occurrit; vel quod in Epistola ad Galatas inter Jacobum et Joannem nominetur [14],

[1] Serm. IV, *In Anniv. Ass. suæ.*
[2] Eccli. XVIII, 13.
[3] Is. XL, 11.
[4] Jer. XXXI, 10.
[5] Ezech. XXXIV, 12.
[6] Matth. XXV, 32.
[7] Ezech. XXXIV, 5, 8. Cf. Zach. XIII, 7; Matth. XXVI, 31.
[8] Matth. X, 2-5; Marc. III, 16; Luc. VI, 14-16; Act. I, 13.
[9] Joan. I, 40; Matth. IV, 18.
[10] Marc. XVI, 7; Act. II, 14, 37; V, 29.
[11] Marc. I, 36.
[12] Luc. VIII, 45.
[13] I. Cor. I, 12; VIII, 5.
[14] " Jacobus et Cephas et Joannes „ Gal. II, 9.

tum quia hæc exceptio regulam nullatenus infirmaret, tum quia plures codices et textus Petrum primo nominant [1].

Dictis facta respondent. Petrus etenim semper et ubique primus apparet: in locum Judæ alium subrogandum proponit [2], primus prædicat [3], alios defendit [4]; januas Ecclesiæ gentibus aperit [5], sententiam in primo Concilio dicit [6]; universas ecclesias visitat [7]: quæ omnia nonnisi Ecclesiæ principi convenire possunt [8].

314. — Nec objiciendum vel quod Petrus Samariam a communitate missus est [9], cum illa missio non fuit nisi postulatio ea ratione exhibita quia scilicet omnibus persuasum fuit Petrum melius quam omnes novæ Ecclesiæ fundandæ provisurum; vel quod fideles contra Petrum murmuraverint [10], quia murmuratio illa penitus injusta fuit; vel quod demum Paulus Petri se parem faciat [11], quia comparatio illa fit ratione prædicationis, non ratione jurisdictionis, ita ut ipse Paulus voluerit videre Petrum [12] ad confirmandam prædicationem suam. De quo Chrysostomus: „ Et cur aliis (Apostolis) prætermissis, de his (quæstionibus) hunc (Petrum) alloquitur? Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum, et cœtus illius caput (καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ). Ideo Paulus præ aliis hunc visurus venit [13]. „

315. — *c*) Scripturis suffragatur tota traditio, cujus innumera sunt testimonia. Aliqua tantum proferenda sunt.

Tertullianus: „ Etsi adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus hic Dominum Petro et per eum Ecclesiæ reliquisse [14]. „ Origenes: „ Petro summa rerum de pascendis ovibus tradita, et supra ipsum, velut petram fundata Ecclesia [15]. „ Concil. Chalcedonense: „ (Petrus) est petra et crepido catho-

[1] En quæ habet Scholz de variantibus hujus loci: „ Πέτρος καὶ Ἰάκωβος DEFG. It. Theodoret. (quater, semel ut rec.), Nyss., Ir., Tert., Ambr., Hier. Ambrosiast., Aug., Cassiod., Haymo. Κηφᾶς καὶ Ἰάκωβος. Chrys. etc. „

[2] Act. I, 15.

[3] Act. II, 14.

[4] IV, 8.

[5] X, 1 seq.

[6] XV, 7.

[7] IX, 32.

[8] Totum prædictum argumentum doctrina et eloquentia summa evolvit Bossuet, in sua oratione *Sur l'Unité de l'Eglise.*

[9] Act. VIII, 14.

[10] Act. XI, 2.

[11] Gal. II, 7.

[12] Gal. I, 18.

[13] Hom. 88.

[14] *Scorp.* c. X.

[15] *In Ep. ad Rom.* c. VI.

licæ Ecclesiæ, et rectæ fidei fundamentum [1]. „ Ita cæteri omnes [2], prout referunt passim theologi.

Juxta Cyprianum, Petrus *primatum tenet*, eique a *novellis obtemperandum est* [3]; juxta Basilium, *cæteris prælatus discipulis fuit* [4]; juxta Ambrosium, *omnibus antefertur* [5]; juxta Hieronymum, est *caput omnium apostolorum* [6]; juxta Chrysostomum, est *Ecclesiæ pastor et caput et primus Apostolorum* [7]; juxta Augustinum, *in ipso primatus Apostolorum gratia excellenti præeminet* [8]; juxta Leonem Magnum, *omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponitur* [9]; juxta Gregorium Magnum, est *Apostolorum princeps*, *cui totius Ecclesiæ cura commissa est* [10], etc.

Confirmatur ex archæologia, ubi S. Petrus semper primus apparet, ita ut mox Boni Pastoris vices gerat, ovemque in humeris ferat [11]; mox ut alter Moyses exhibeatur, sicut diximus. Hoc vero imprimis symbolum frequentissime invenitur, quo Ecclesia tamquam navis monstratur [12], cujus gubernator, κῦβερνήτης, ἡγεμὼν, προηγούμενος, προρεὺς, etc., est vel Christus, vel Petrus. Hujus autem officium ita describit Rutilius Numatianus:

> Despectat proræ custos, clavumque sequentem
> Dirigit et puppim voce monente regit [13].

316. — *d*) Ex ratione pluribus argumentis confirmari probabiliter potest propositio nostra. Quinque argumenta assignari possunt, et a S. Thoma assignantur, quæ hic referre præstat.

“ Quamvis populi distinguantur per diversas diœceses et civitates, tamen, sicut est una Ecclesia, ita oportet esse unum populum christianum. Sicut igitur in spirituali populo unius Ecclesiæ requiritur unus episcopus qui sit totius populi caput,

[1] Act. III.

[2] Cf. Orig. *in Luc.* Hom. XVII; *Exod.* Hom. I; Hippolyt. *in S. Theoph.* n. 9; Tertull. *Præscr.* XXII; *De Pud.* XXI; Euseb. *Hist. Eccl.* L. II, c. XIV; Cyrill. Alex. *Catech.* II, c. XIX; Hilar. *in Matth.* c. XVII.

[3] Epist. 70 *ad Quint.*

[4] Serm. *De Judic. Dei.*

[5] *In Luc.* L. X, c. XXIV.

[6] *Adv. Jov.* L. I, c. XIV.

[7] *In Matth.* Hom. LV, et *Adv. Jud. Orat.* IV.

[8] *De Bapt.* L. II, c. I.

[9] Serm. III, *De Ass. sua.*

[10] *Epist.* L. IV, *Epist.* XXXII, *ad Maurit.* Cf. Natal. Alex. *Hist. Eccles.* Sæc. I, Diss. IV; S. Franc. Sales, in *Controv.*

[11] Ita in veteri sculptura quæ Romæ in Ecclesia S. Clementis asservatur.

[12] Cf. Arator, *De Act. Apost.*, L. I, 644.

[13] I, 455. Cf. Garrucci, *Storia*, vol. I, p. 204, 205; et vol. VI, 104, 105, etc.; et præsertim Mamachi, *Orig. et Antiq. Christ.* Lib. IV, P. II, c. I, § V.

ita in toto populo christiano requiritur quod unus sit totius Ecclesiæ caput.

" Ad unitatem Ecclesiæ requiritur quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri ; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem quod Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit, quam dilexit et pro ea sanguinem suum fudit, cum et de synagoga dicatur per Dominum : *Quid ultra debui facere vineæ meæ et non feci?* Is. v, 4. Non est igitur dubitandum quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit.

" Nulli dubium esse debet quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum per quem *reges regnant et legum conditores justa decernunt*, Prov. VIII, 15. Optimum autem regimen multitudinis est ut regatur per unum; quod patet ex fine regiminis, qui est pax: pax enim et unitas subditorum est finis regentis. Unitatis autem congruentior causa est unus quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum ut unus toti Ecclesiæ præsit.

" Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur: unde et Joannes in Apocalypsi vidit Jerusalem descendentem de cœlo [1]; et Moysi dictum est quod faceret omnia secundum exemplar ei in monte monstratum. In triumphanti autem Ecclesia unus præsidet, qui etiam præsidet in toto universo, scilicet Deus: dicitur enim in Apocalypsi XXI, 3: *Ipsi populus ejus erunt, et ipse cum eis erit eorum Deus.* Ergo et in Ecclesia militante unus est qui præsidet universis. Hinc est quod Oseæ I, 11, dicitur: *Congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter, et ponent sibi caput unum;* et Dominus dicit (Joan. X, 16): *Fiet unum ovile et unus pastor.*

" Manifestum est quod ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit: ipse enim est qui baptizat; ipse est qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cujus virtute corpus ejus in altari quotidie consecratur; et tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentia-

[1] Inter Acta Concilii Lateranensis V invenitur egregia Cajetani oratio in hunc textum Apocalypsis facta die XI maji, 1512, quæ rei nostræ optime facit.

liter erat futurus, elegit ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret... Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiæ gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem: *Pasce oves meas*, Joan. ult. 17; et ante passionem: *Tu iterum conversus confirma fratres tuos*, Lucæ c. XXII, 32; et ei soli promisit, Matth. XVI, 10: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem [1]. „

Demum comprobari potest ex analogia inter utrumque Testamentum. In veteri namque fuit summus Pontifex qui Deo excellentiora sacrificia offerebat [2]; oracula consultus edebat [3]; dubia et quæstiones solvebat [4]. Ergo *a pari*, imo *a fortiori* in Ecclesia christiana extitit summus Pontifex, idemque cum majoribus privilegiis, cum vetus Testamentum nonnisi novi umbra fuerit.

Confirmatur ex sensu communi, cum omnes religiones habeant sacerdotes summos.

317. — *Corollarium I.* Ex dictis patet S. Petrum fuisse Ecclesiæ caput, prout asserit concilium Vaticanum. Porro " In (capite humano), inquit S. Thomas, tria possumus considerare, scilicet ordinem, perfectionem et virtutem: ordinem quidem, quia caput est pars hominis incipiendo a superiori, et inde est quod omne principium consuevit vocari caput, secundum illud Ezech. c. XVI: *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ;* — perfectionem autem, quia in capite vigent omnes sensus et interiores et exteriores, cum in cæteris membris sit solus ta-

[1] *Cont. Gent.*, L. IV, cap. LXXVI. Cf. IV, Dist. VII, q. 3, a. 1, et Dist. XXIV, q. 3, a. 2; 2. 2., q. 1, a. 10; q. 11, a. 2 ad 3, etc.

[2] Levit. XVI, 2.

[3] Exod. XXVIII, 30; Eccli. XLV, 12; I. Reg. XXIII, 9, et XXX, 7. Quod ita asserit et ipse Grotius: " Lex mosaica, inquit, plane sacerdotibus, et imprimis sacerdoti maximo, ut eximiam dignitatem, ita et jurisdictionem contulit. „ *De Imp. Summ. Potest.* Cap. IX, n. 4. De quo lege Vincenzi, *De Sacr. Monarch.*

Ita namque Tullius ad ipsos sacerdotes: " Quod si ullo tempore magna causa in sacerdotum populi Romani judicio ac potestate versata est, hæc profecto tanta est ut omnis reipublicæ dignitas, omnium salus, vita, libertas, aræ, foci, Dii Penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei commissa et credita esse videantur „ (Orat. *Pro domo sua*). Plura invenies apud Dionysium Halicarn. Lib. II.

[4] Deut. XVII, 8. Cf. ibid. XIX, 17; XXI, 5; XXIII, 9, 10; Ezech. XLIV, 24; Joseph., *Antiq.*, L. X, cap. ult.; *Cont. App.* L. II. Cf. D. Calmet, *Diss. de Polit. Hebr.*

ctus; et inde est quod dicitur Is. IX: *Senex et honorabilis ipse est caput;* — virtutem vero, quia virtus et motus cæterorum membrorum, et gubernatio eorum in suis actibus, est a capite, propter vim sensitivam et motivam ibi dominantem: unde et rector dicitur caput populi, secundum illud I. Reg. XV: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es* [1]? „ Quæ omnia sane Petro conveniunt in Ecclesia. Ipse enim cæteris altior est, cum ad Christum vicinius, qua vicarius ejus, accedat; ipse omnia charismata, seu privilegia cæteris collata, et aliquid amplius in se habet, atque eorumdem est *subjectum immediatum;* ipse demum ab aliis membris nihil accipit suaque eisdem communicat, nec ista quidquam, prout Ecclesiæ sunt membra, in se habent quod mediante illo non acceperint.

318. — *Corollarium II.* Ex dictis iterum sequitur Ecclesiam esse monarchiam, cui Petrus princeps primo fuit. Omnibus innotescit duplicem esse regiminis formam: *monarchicam* scilicet, in qua unus imperat, et *polyarchicam*, in qua imperant plures, quæ posterior in *aristocraticam* et in *democraticam* subdividitur [2]. Omissa definitione nominum atque rerum, prout notissima, hæc duo tantum advertimus, nempe *primo* monarchiam una cum polyarchia formaliter in eadem societate simul subsistere non posse; *secundo* non obesse monarchiæ, si sub uno principe detur cœtus τῶν ἀριστῶν, dummodo istorum auctoritas, sive separatim sive simul sumpta, par non sit principis auctoritati, nec eam aut imminuat aut impediat; nec pariter regimini monarchico obesse, si princeps aliquibus teneatur legibus, dummodo leges istas ab inferioribus non accipiat coactus. His ita positis, patet Petrum esse Ecclesiæ principem, prout asserit iterum Vaticana Synodus, quia scilicet ipsi competunt prærogativæ quæ veri nominis principibus conveniunt; scilicet *primo*, ipse unus universæ Ecclesiæ præest; *secundo*, potestatis plenitudine gaudet; *tertio*, prælatos alios sibi obnoxios habet; *quarto*, judicare omnes potest; *quinto*, a nemine judicari potest; *sexto*, ipse unitatem *socialem*, a qua deficit quicumque illi non adhæret, *doctrinalem* et *ritualem* servat [3].

[1] III, q. VIII, a. 1.

[2] Cf. S. Th. *De Reg. Princ.* L. I, cap. III; *In* III *Polit.* Lib. VI. — Cf. Liberatore, *Institut. Phil.* Vol. III: *Jus sociale*, cap. III.

[3] Apostolis, præter prærogativas ipsis qua episcopis concessas, aliæ etiam

319. — *Quæres* utrum et quomodo Ecclesia dici possit monarchia absoluta vel temperata.

De hac quæstione disputant theologi, sed potius de nomine quam de re, ut videtur.

Resp. ergo ad *primum*, *Distinguo:* Si accipiatur monarchia absoluta hoc sensu quod in ea princeps leges ab inferioribus coactus non accipiat, tunc dicenda Ecclesia monarchia *absoluta*, quia summus Pontifex nullam accipit ab inferioribus legem; si autem hoc sensu intelligatur illa monarchia absoluta quod princeps nullas a Deo leges accipiat, juxta quas immutabiliter Ecclesiam gubernare debet, et a quibus dispensare non potest; hoc sensu Ecclesia non est monarchia *absoluta*. Summus enim Pontifex non proprio arbitrio, cum sit Vicarius Christi, Ecclesiam regit et disponit; sed omnia agere debet juxta Christi voluntatem, qualis in Scriptura et traditione manifestatur.

Responsio ad secundum ex dictis patet, per eamdem ferme *distinctionem*. Si accipiatur monarchia temperata hoc sensu quod princeps non habeat totam potestatem ordinariam leges ferendi, et alii vel subditi vel non subditi illam imminuere vel impedire jure possint, tunc Ecclesia dici nequit monarchia *temperata;* si autem sic intelligatur quod princeps *leges fundamentales*, ipsi principi et societati præsuppositas, immutare non possit, sive sint leges naturales, sive divino-positivæ; vel quod princeps sibi *conlegislatores* adjungere possit, quin tamen immutetur propria auctoritas, vel tollatur immediata ejus in omnes subditos

collatæ fuerant, inter quas jus docendi et gubernandi Ecclesiam, licet apud auctores de his aliquatenus disputetur. Sed vero diversitates multæ intercedebant Petri prærogativas inter et aliorum Apostolorum. Etenim 1° *quoad causam efficientem*, istæ a Christo ut delegante; illæ a Christo ut vices suas tradente; 2° *quoad causam instrumentalem*, istæ vi apostolatus, illæ vi præcepti concessæ sunt; 3° *quoad causam materialem* seu subjectum, istæ Apostolis ut delegatis, illæ Petro ut Vicario; 4° *quoad causam finalem*, istæ erant ad bonum eorum quibus mittebantur singuli Apostoli, non autem in ipsos Apostolos nec ad omnes alios sese extendebant; istæ autem ad omnes et fideles et Apostolos *; 5° *quoad modum*, istæ extraordinariæ, illæ ordinariæ; 6° *quoad durationem*, istæ temporariæ, illæ perpetuæ; 7° *quoad extensionem*, istæ ad loca quibus degebant Apostoli, illæ ad omnia loca. Unde omnibus quasi circumstantiis diversæ invicem erant. Cf. Cajetanus, *De Auctoritate Papæ et Concilii*, Tract. I, Cap. IV.

* Cf. *Decret. S. Inquisit.* 29 Jan. 1647; Oderic. Rayn. an. 1351, n. 3 ubi de *Epist. Clem. IV ad Armenos; Const.* Joan. XXII, 4 Kal. Nov. 1327. Cont. Joan. de Janduno, n. 2. Apud Denzinger, *Enchiridion.*

jurisdictio; vel demum quod subditi omnes ad omnia officia vocari et provehi possint: tunc Ecclesia dicenda est monarchia temperata.

Rebus ita explanatis, conciliari videntur oppositæ sententiæ. Si tamen contenderet aliquis Ecclesiam esse monarchiam temperatam sensu hodierno, in qua scilicet auctoritas *legislativa* penes subditorum delegatos, potestas vero *executiva* penes Pontificem ejusque ministros remaneret, istiusmodi sententia hæretica foret simul et absurda.

DIFFICULTATES

320. — *Obj.* 1° Apostolos omnes Petro æquales esse nonnunquam a Patribus asseritur [1]: ergo.

Resp. Patres doctoresque catholici, dum asserunt id cæteris Apostolis competere quod Petro competebat, nullatenus tamen negant *primo*, aliqua Petro competere quæ cæteris non pertinent; *secundo*, Petrum plenius priusque possidere quæ possident alii; *tertio*, alios privilegia illa per Petrum participare. Iidem namque Patres Petri primatum asserunt [2].

Obj. 2° S. Paulus dum in Epistolis ad Corinthios et Ephesios varia Ecclesiæ collata munera enumerat [3], nihil de Petri principatu habet.

Resp. Paulum illa charismata in genere tantum enumerare, ita ut inter Apostolos, Doctores etc. quos asserit, præsertim intelligendus sit primus apostolus, primus doctor, etc.

Obj. 3° Paulus Petro in faciem restitit [4]. Ergo.

Resp. Dist. Restitit ratione charitatis, *concedo:* ratione jurisdictionis, *nego*.

321. — *Obj.* 4° Unius regimen tyrannidi favet: ergo illud Christus in Ecclesia sua, in qua viget *libertas filiorum Dei*, constitui noluit.

Resp. Dist. In societatibus mere humanis, regimen unius tyrannidi favet, *transeat;* in societate Ecclesiæ, *nego*, quia eam

[1] Cyprian., *De Unit. Eccles.;* Aug., *De Agon. Christi*, c. xxx; Hieron., *Cont. Jovin.*, L. i.

[2] Respondet Cajetanus apostolos Petro subditos fuisse non qua apostolos, sed qua fideles. *De auctoritate Papæ et Conc.*, C. iii.

[3] I. Cor. xii, 28; Eph. iv, 11. [4] Gal. ii, 11.

Christus non deseruit, sed ab errore tyrannidis præservat. Cæterum Ecclesiam suam non reliquit arbitrio Pontificum regendam, sed Evangelii et traditionis dictamine [1]. Dixi *transeat* quoad prius distinctionis membrum, quia dubium est utrum regimen plurium magis quam unius regimen tyrannidi faveat, cum historia et experientia contrarium ostendant plerumque, et ratio confirmet illum crudeliorem tyrannum fore qui multitudinis nomine sæviet.

Obj. 5° Petro Paulum adæquant passim auctores.

Resp. Dist. Petro Paulum adæquant ratione apostolatus, aliisque hujusmodi prærogativis, *conc.;* adæquant ratione primatus, *nego.* Quod ita expressit Fortunatus:

Cœlorum portæ, læti duo lumina mundi,
    Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus;
Inter Apostolicas radianti luce coronas,
    Doctior hic meritis, celsior ille gradu;
Hunc per corda hominum reserantur, et astra per illum;
    Quos docet ille stylo, suscipit iste polo;
Pandit iter cœli hic unus dogmate, clavibus alter:
    Est via cui Paulus, janua fida Petrus [2].

Evangelio igitur, traditione et rationibus constat veræ Ecclesiæ Christi primitus principem præpositum fuisse, qui fuit Petrus [3].

Quærendum nunc est utrum principatus ille in solo Petro extiterit, utrumve ad alios, ejusdem successores, transierit. Sit ergo:

322. — Propositio II. *Petri principatus ad Romanos Pontifices transiit.*

In hac propositione duplex quæstio solvenda proponitur: alia juris tantum, alia juris simul et facti.

[1] Tyrannidem a regno ita peregregie distinguit Philosophus: "Ἔστι δε ἀρχή... η μεν τὴν ἄρχοντος χάριν, ἡ δὲ τοῦ ἀρχομένου· τούτων δέ τήν μεν δεσποτικὴν εἶναι φαμεν, τὴν δε τῶν ελευτερῶν. " *Ethic.* Lib. VII, Cap. III. Christus voluit ut majores in Ecclesia istud non illam exercere possint: " Οἴδατε ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν· οὐχ ούτως ἔσται ἐν ὑμῖν· ἀλλ᾽ ὅς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν μέγας γενέσθαι, έστω ὑμῶν διάκονος, etc.," Matth. XX, 25. Cf. Marc. X, 42; Luc. XXII, 25.

[2] Lib. III. Cf. Propositio damnata ab Innocentio X, die 29 jan. 1674.

[3] Objectiones alias afferri solitas invenies apud varios auctores, præsertim apud Natal. Alex. *Hist. Eccl.* Sæc. I, Diss. V, et Sæc. XV et XVI, Diss. V in edit. Mansi.

Prima est utrum Petrus successores in primatu suo habere debeat; altera, quinam sint eidem successores inter successores Apostolorum.

Probatur ergo propositio quoad utrumque singillatim.

A. Petrus successores habere debuit, et quidem jure divino:

a) Est de fide definita post Concilium Vaticanum: " Si quis dixerit non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores..... A. S. [1]. „

323. — *b)* Probatur ex Scriptura. Christus enim promisit fore cum sua Ecclesia *usque ad consummationem sæculi*, qua fundata supra Petrum. Sic arguit S. Thomas : " Non potest dici quod etsi Petro hanc dignitatem (principatus) dederit, per eum tamen ad alios non derivatur. Manifestum est enim quod Christus Ecclesiam sic instituit, ut esset usque ad finem sæculi duratura, secundum illud Is. IX, 7 : " Super solium David et super " regnum ejus sedebit ut confirmet illud, et corroboret in judicio " et justitia, amodo et usque in sempiternum [2]. „ Manifestum est igitur quod ita illos qui tunc erant in ministerio constituit, ut eorum potestas derivaretur ad posteros pro utilitate Ecclesiæ usque ad finem sæculi, præsertim cum ipse dicat (Matth. ult., 20): " Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi [3]. „

324. — *Confirmatur* 1° ex variis locis veteris et novi Testamenti, ubi Ecclesia domui [4], regno [5], exercitui [6], navi [7], ovili [8], corpori [9] comparatur, unde eidem perpetuo esse debuit paterfamilias, rex, dux, nauclerus, pastor, caput.

Confirmatur 2° ex similitudine veterem inter et novam Ecclesiam seu Jerusalem. In illa namque olim extitit Summus Pontifex, princeps sacerdotum [10], cujus officium ita describit

[1] Const. *Pastor æternus,* Cap. II.

[2] " Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis „ Luc. I, 32, 33. Cf. Dan. VI, 14, 27; Mich. IV, 7. De quo Epiphanius: Θρόνος γαρ Δαβιδ, καὶ βασιλικὴ ἕδρα ἐστὶν ἡ ἐν τῇ ἁγία Ἐκκλησία ἱερωσυνη, κ. τ. λ. *Hæres.* XXIX.

[3] *Cont. Gent.* L. IV, c. LXXVI.

[4] Cf. Luc. XII, 4. Vide interpretationem Chrys. in Lib. II *De Sacerdot.,* c. I.

[5] Luc. X, 9; Daniel. II, 44.

[6] Cant. VI, 3, 9.

[7] I. Petr. III, 20.

[8] Joan. X, 16. Cf. S. Cypr. *Epist. 76 ad Magn.*

[9] Rom. XII, 4.

[10] Deut. XVII, 8.

Josephus historicus: " Lex sacerdotibus in communi quidem res præcipuas dispensare permittit: Summo vero Pontifici aliorum sacerdotum principatum competenter injungit [1]. „ Atqui omnis generis documentis constat sacerdotium supremum in veteri Lege ad Christum usque fuisse et jure [2] et facto [3] perpetuum. Ergo a fortiori perpetuum esse debuit in lege nova quæ fuit perfectio veteris.

325. — c) Probatur traditione cujus testimonia mox infra ad demonstrandum Romanos Pontifices esse successores Petri, adducenda sunt. Hoc enim notatum volo, scil. Romanum Pontificem, quem Petri successorem esse mox demonstrabimus, considerari posse vel qua jure suo fruentem, vel qua ad illud jus præ cæteris electum. Si autem ostensum fuerit illum rite et certo ad jus illud evectum fuisse, ipso facto ostensum erit aliquem futurum fuisse Petri successorem. Non enim si demonstraverimus Petro successores futuros fuisse, extemplo probatum erit Romanum Episcopum illius esse successorem; sed *e contra*, cum ostensum fuerit Romanum Pontificem esse Petri successorem in principatu, certum remanebit aliquem dandum fuisse successorem Petro, et quidem jure divino, cum tanta institutio in Ecclesia tolerari non potuisset nisi a Deo Christo esset. Quapropter a referendis traditionum monumentis hic abstinemus, lectorem remittentes ad illa quæ inferius proferentur. Unum omnium loco adducatur Concilii Florentini testimonium: " Definimus sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur [4]. „ Hinc perpetuo dicunt Patres *Petrum Romæ semper sedere*, summos Pontifices *per os Petri loqui*, etc.

326. — d) Probatur rationibus. Illa rationis argumenta superius

[1] *Cont. Apian.*, Lib. II.
[2] Exod. XXIX, 9; XL, 13.
[3] Cf. Joseph, *Antiq.*, L. V, c. XV, et L. X, c. XI. Vel melius D. Calmet., *Diction. Bibl.* ad voc. *Sacerdotium.*
[4] Decret. unionis; ex Bulla Eugen. IV, *Lætentur cœli.*

ad probandum Petri primatum allata, hujusmodi sunt quod mortuo Petro in robore suo permaneant. Deducuntur enim ex bono ipsius Ecclesiæ, quod idem semper post Christum et est et esse debet: siquidem Ecclesiæ constitutio ex providentia ordinaria et ex divina voluntate amplius mutari nequit. Unde non immerito sic arguit Concilium Vaticanum: " Pastor æternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit, in qua, veluti in domo Dei viventis, fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt [1]. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem sæculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohærentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo, universa in fidei et communionis unitate conservaretur, B. Petrum cæteris Apostolis præponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem æternum extrueretur templum, et Ecclesiæ cœlo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurgeret [2]..... Quod in beato apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quæ fundata super petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est [3]. "

327. — *Confirmatur.* Ecclesia tamquam monarchia a Christo fuit instituta, eademque immutabilis: ergo monarcha in Ecclesia semper esse debuit. Christus enim non modo voluit in Ecclesia esse regimen aliquod, sed præterea quale regimen futurum foret determinavit: unde utrumque de jure divino est, nec alicui auctoritati humanæ obnoxium et mutandum.

328. — Probatur altera pars, scilicet:

B. S. Petro successores fuisse Romanos Pontifices.

[1] Cf. Joan. XVII, 1, 20, seq.
[2] S. Leo M. *Serm.* IV, al. III, Cap. II *in diem Natalis sui.*
[3] Const. *Pastor æternus*, Prol. et Cap. II.

Romanos Pontifices revera fuisse S. Petri successores demonstrari nequit ratione *a priori*, cum dependeat a libera Dei voluntate, etsi congruentiæ dentur; nec per Scripturas, cum de his nec verbum faciant: unde probandum est sola traditione.

a) Imprimis de fide est, cum ita statuerit Concilium Vaticanum: " Si quis dixerit... Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu (scilicet Petri) successorem, anathema sit [1]. „

329. — *b*) Traditionis antiquæ monumenta innumera sunt ac irrefragabilis auctoritatis. In quibus afferendis cum aliquis servandus sit ordo, sic arguimus: Tota traditio iisdem textibus probat Romani Pontificis auctoritatem, quibus probat auctoritatem Petri; eamdemque Romano Pontifici tribuit auctoritatem quam Petro tribuit: ergo.

Patet consequentia.

Probatur antecedens quoad utramque partem.

Imprimis quoad primam partem, scilicet iisdem textibus et Petri et R. Pontificis auctoritas asseritur.

Tribus novi Testamenti auctoritatibus demonstratum supra fuit Petri magisterium, Matthæi scilicet, Lucæ et Joannis [2]. Atqui tota antiquitas christiana auctoritates illas pariter et eodem sensu de Romano Pontifice intellexit: ergo.

Probatur minor per partes:

Primus textus ille est: *Tu es Petrus*, etc. Quem ita ex traditione et propria sententia interpretati sunt Patres Concilii Ephesini, anno 431: " Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata ipsi potestas data est, quæ ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet [3]. „ Hæc, inquam, Patres illi a Philippo presbytero, Romani Pontificis legato, audiunt, ac nemine reclamante accipiunt; unde

[1] Const. *Pastor æter.* Cap. II.

[2] Matth. XVI, 18; Luc. XXII, 31; Joannis XXI, 15. — Hos textus fusius et quidem optime explanat Cajetanus in suo libro aureo *De Rom. Pontificis auctoritate, seu institutione;* quoad quæstionem præsentem cf. præsertim Cap. XII et XIII.

[3] Act. III.

ita contra Nestorium pronuntiant: " Coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi Patris nostri comministri Cœlestini, Romanæ Ecclesiæ episcopi, lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum (Nestorium) sententiam necessario venimus [1]. "

Haud secus Stephanus I " de episcopatus sui loco gloriabatur, et se successionem Petri tenere contendebat, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, episcopum se esse episcoporum constituebat. Ita Cyprianus et Firmilianus [2]. "

Ita Gelasius Papa, qui postquam canonem et auctoritatem Scripturarum asseruerit, ita prosequitur: " Post has omnes propheticas, evangelicas atque apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus quod quamvis universæ per orbem catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen romana, catholica et apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, *Tu es Petrus*, inquientis, *et super hanc petram*, etc. — Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi [3]. "

Ita orientales patriarchæ et episcopi, qui sequentem formulam ab Hormisda pontifice præscriptam subscripserunt, in re schismatis Acaciani: " Prima salus est regulam rectæ fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri J. C. prætermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus*, etc.; hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio. Ab hac ergo spe et fide separari minime cupientes et Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreticos, præcipue Nestorium,... Eutychetem, Diosco-

[1] Act. I. — In Ecclesia S. Sabinæ de Urbe asservatur pictura musiva tempore vel Cœlestini vel Sixti III successoris immediati facta, in qua legitur:

Culmen Apostolicum cum Cœlestinus haberet,
Primus et in toto fulgeret episcopus orbe.

Illud vocabulum *Primus* non ad *Cœlestinus* refertur sane, cum Cœlestinus *Secundus* nondum certo extitisset, quum effecta est pictura: ergo refertur ad *episcopus*. Unde legendum: *Cœlestinus in orbe primus episcopus*.

[2] Cf. Denzinger, *Enchiridion*, n. 15.

[3] Decret. *De Scripturis, etc.*

rum,... Timotheum,... Petrum vel Acacium... Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi et tibi Hormisdæ sancto et venerabili Papæ urbis Romæ obtuli [1]. „

Concinunt Patres Doctoresque omnes: " Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare, inquit Ennodius episc. ticin.: sed istius sedis præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri successores cœlo tantum debere innocentiam..... Replicabo uni dictum: *Tu es Petrus*..... „

Ita demum Origenes, cujus sententiam refert, explanat et approbat S. Thomas: " Non exprimit utrum petræ non prævalebunt (scilicet portæ inferi) in qua ædificat Christus Ecclesiam, aut Ecclesiæ quam ædificat supra petram: tamen manifestum est, quia nec adversus Petram, nec adversus Ecclesiam portæ prævalebunt inferorum [2]. „

330. — Secundus textus est: *Simon! Simon! Ecce Satanas expetivit vos*..... Ego rogavi pro te..... *confirma fratres.* S. Leo ita explanat: " Pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur [3]. „ Scimus cæterum ex S. Leone judice, privilegium illud Romano Pontifici transiisse, unde dicebat: " Cum Petrus ex Domini voce audierit: *Tu es Petrus*... quis est nisi antichristus aut diabolus qui pulsare audeat inexpugnabilem hujus Petræ firmitatem [4]? „

Haud secus S. Agatho papa ad Constantinum imperatorem hanc interpretationem scripsit, quæ et lecta et approbata in VI Synodo œcumenica fuit: " Consideret vestra clementia, quomodo Dominus et Salvator omnium qui fidem Petri non defuturam promisit confirmare eum fratres admonuit, quod apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse cunctis est manifestum [5]. „

Leo papa IX ita ad Michaelem Cerularium et Leonem Acridanum, utriusque allati textus interpretationem et nexum præ-

[1] *VIII Synod.* Act. I. Cf. Denzinger, *Enchirid.*, n. 141.
[2] *Caten. Aur.* in hæc verba: *Et portæ inferi non prævalebunt, etc.*
[3] *Serm.* III.
[4] *Epist. 75 ad Leonem Aug.*
[5] *Act. Concil.* VI.

bens: " Si Ecclesia super petram, i. e. Christum, et super Petrum vel Cepham, filium Joannis, qui prius Simon dicebatur, ædificata, quia inferi portis, disputationibus, scil. hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa Veritas, per quam sunt vera quæcumque sunt vera: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Cujus promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur dicendo ad Petrum: *Simon, ecce Satanas*, etc. Erit quisquam tantæ dementiæ qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usquam in finem deficiet, sunt confirmata [1]? " Ita omnes qui locum prædictum interpretati sunt [2].

331. — Tertius textus iste est: *Pasce agnos... pasce oves.* De quo interpretando unum sufficiat audivisse S. Bernardum, qui veterum Patrum ac Doctorum sententiam ita refert et explanat Eugenium papam allocutus: " Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum; tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui

[1] Denzinger, *Enchiridion*, n. 290. — Addit idem Pontifex in eadem Epistola: " Præjudicium faciendo Summæ Sedi de qua nec judicium licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis Patribus omnium venerabilium Conciliorum. " Cap. XI. — " Sicut cardo immobilis permanens ducit et reducit ostium, sic Petrus et sui Successores liberum de omni Ecclesia habent judicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum, quia Summa Sedes a nemine judicatur. " Cap. XXXII.

[2] Cf. S. Bern. Epist. 190 *ad Inn. III;* Innoc. III, Epist. 209 *ad Patriarch. CP.;* S. Th. 2. 2., q. 1, a. 10, etc. — Hic placet addere peregregia Cani verba: " Quemadmodum si Christus Petro diceret: Ego rogavi pro te ne deficiat charitas tua, certo certius intelligeretur diligentiam, curam, vigilias, preces cæteraque auxilia opportuna illi impetrasse, quæ sunt ad charitatis conservationem necessaria; ita cum dixit: Ego rogavi pro te ne deficiat fides tua, procul dubio intelligimus id a Patre suo consecutum, ut quæ ad rectum de fidei quæstione judicium oporterent, ea adessent Petro omnia, sive a Deo, sive ab homine expectarentur..... Quibus ex rebus facile comprehenditur cum spiritum veritatis Christus Apostolis eorumque successoribus in fidei judicio promiserit, nihil omnino illis defuturum quod fidei controversiis finiendis fuerit necessarium. " Canus, *De Loc. theol.,* Lib. V, c. V. Vide totum locum.

claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores, et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi assignatos greges singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus; nec modo ovium, sed et pastorum omnium tu unus pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et directe totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius aut illius populus civitatis, aut regionis, aut regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed designasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil... Ergo, juxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis; tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: tua extenditur in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa extiterit, tu episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere, etiam et tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum, tam in datis clavibus quam in ovibus commendatis [1]. „ Quod ita cecinit alius:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundi, quidquid non possidet armis,
Religione tenet [2].

Constat igitur ipsamet verba quibus assertum a Christo fuit Petri privilegium, intellecta passim a Patribus fuisse de Romano Pontifice, eodemque prorsus significatu.

332. — Deinde probatur secunda pars ejusdem illius antecedentis, scilicet eamdem a Patribus Romano Pontifici tributam fuisse auctoritatem, quæ et Petro tributa est. Quod dupliciter ostendimus: *in genere* scilicet et *in particulari*.

Primo quidem probatur *in genere*.

Etenim imprimis id colligi potest ex dictis. Si enim Patres et Doctores eodem sensu de Romano Pontifice intelligunt et de Petro verba mox prædicta, patet eamdem, juxta Patrum Doctorumque sententias, utrique competere præeminentiam.

Idem rursus probatur ex auctoritatibus innumeris quibus asseritur Petrus semper Romæ in Sede sua vivere, loqui, jubere, etc.; vel R. Pontificem esse simpliciter Petri successorem.

[1] *De Consid.*, L. II, c. VIII. [2] S. Prosp. *De Ingrat.*

Ita Patres Concilii Sardicensis, an. 347, in Epistola synodica ad Julium papam, sic concludunt: " Hoc optimum et valde congruentissimum videbitur, si ad caput, id est Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis referant Domini sacerdotes [1]. "

Patres Chalcedonenses, an. 451, qui 630 vel 636 numero fuerunt, postquam lecta est S. Leonis Epistola, simul conclamant: " Hæc Patrum fides! Hæc Apostolorum fides! Omnes ita credimus! Orthodoxi ita credunt! Anathema ei qui non ita credit! Petrus per Leonem ita locutus est [2]! "

In Concilio œcumenico VI, id est III CP., hæc de Romano Pontifice scribunt Patres ad Imperatorem: " Proinde inspirationi S. Spiritus cooperantes, et ad invicem omnes consonantes atque consentientes, et Agathonis SS. Patris nostri et Summi Papæ dogmaticis litteris ad vestram Fortitudinem missis consentientes, etc. Summus autem nobiscum certabat Apostolorum princeps: illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem, et divini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras. Confessionem tibi a Deo inscriptam illa Romana antiqua civitas obtulit, et dogmatum diem a vespertinis partibus exulit. Charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur [3]. "

Ita Patres omnes quos adducere longius foret, nisi tamen unum S. Hippolytum episcopum et martyrem ita, anno fere 230, loquentem audire libuerit: " Princeps Petrus, fidei Petra, quem beatum judicavit Christus Deus noster, ille Doctor Ecclesiæ [4]. "

Ita Cyprianus: " Exordium ab unitate proficiscitur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur... Qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia esse confidit [5]? "

Ita Ambrosius: " Ipse est Petrus cui dixit: Tu es Petrus...; ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna, et portæ inferi non prævalebunt [6]. "

S. Hieronymus: " Emendari cupimus a te, qui Petri et fidem et sedem tenes [7]. "

[1] Labb. *Concil.*
[2] Act. III.
[3] *Serm. acclam. ad Imperat.*
[4] Orat. *De consum. mundi.*
[5] *De Unit. Ecclesiæ.*
[6] *In Psal.* XL.
[7] *Exposit. Symboli.*

S. Augustinus ad Julianum: " Cui (Romanæ) Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim poterat vir ille sanctus africanis respondere conciliis quam quod antiquitus Apostolica Sedes et Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia [1]? "

Ita demum cæteri omnes [2].

333. — *Confirmatur I.* Ex titulis ac nominibus quibus passim apud antiquos designabatur S. Pontifex.

Imprimis dictus est Papa, græce Πάπας vel Πάππας, i. e. pater. Et quamvis hoc nomen primitus cæteris episcopis concederetur, summo tamen Pontifici postea reservatum est et appropriatum, ita ut simpliciter et κατ᾽ ἐξοχήν, seu per antonomasiam, vocaretur Papa, quia scilicet ab ipso procedit omnis paternitas in Ecclesia.

Quæ summæ paternitatis prærogativa multis denominationibus explicata est; unde et Papa simul dicebatur Summus Pontifex, Episcopus Episcoporum, Pater Patrum, Pontifex Christianorum, Pastor et Custos gregis Christi, Petra et fundamentum Ecclesiæ, Caput Ecclesiæ, Caput totius fidei, Præfectus orbis, Caput familiæ Christi, Summus Sacerdos, Papa universalis, fulgens dignitate principatus pastoralis, Primus Sacerdotum, Præses Ecclesiæ, Interpres Petri, Magister orbis universi, Pater summus, Pater sanctissimus, Primus prædicator, Custos fidei [3], etc.

334. — *Confirmatur II* ex factis. Habetur enim S. Pontifex tamquam primas omnium Ecclesiarum [4]; instituit vel removet episcopos [5]; *iter ad limina* ab episcopis fieri jubet [6]; leges pro

[1] *Cont. Jul.* Lib. I, cap. IV.

[2] Cf. S. Leo II, *Epist. ad Const. imp.;* S. Petrus Chrysologus, *Epist. ad Eutych. inter Acta Conc. Chalced.;* S. Leo M., *Epist.* LXXXIV; S. Gregorius Magnus, *Epist.* Lib. VI, *epist.* XXXII; Lib. VIII, *epist.* XXXV; S. Optat. Milevit., Lib. VII; S. Pacianus Barcinon., *Epist.* III *ad Sempr.;* S. Joan. Chrysostomus, *Hom.* LV *in cap.* XVI *Matth.;* S. Maximus Taurin., *Hom. in Natale SS. Petri et Pauli;* S. Eucherius Lugdun., *Hom. in Vigil. SS. Petri et Pauli;* S. Innocentius I, *Epist. ad Concil. Milevit.;* S. Cœlestinus I, *Epist. ad Episcopos Conc. Ephes.;* S. Gelasius, *Epist. ad Episc. Dardaniæ;* Irenæus, *Adv. Hæret.* L. III, cap. III; S. Athanasius, *Apol.* II.

[3] Cf. Martigny, art. *Pape*, II, ubi locos invenies.

[4] Jul. I, *Epist.* I.

[5] Conc. Chalc. Act. I et VII; Cypr. *Epist.* L. III, ep. XIII. — Vide monumenta in *Corp. Juris* relata.

[6] Cf. Baron., *Annal. ad an. 865*, nn. 41, 42.

tota Ecclesia fert, atque ab iisdem dispensat [1]; sententias episcoporum cassat [2]; ab omnibus consulitur [3]; omnium appellationes recipit [4].

Quæ omnia sane R. Pontifex nullatenus potuisset, nisi potestas auctoritasque universalis eidem fuisset agnita.

Idem ostenditur rursus hac argumentatione, scil.: Necessarium hypothetice et conveniens sane fuit ut etiam post Petrum Ecclesiæ princeps præesset, sicut supra dictum est, et ea quidem ratione ut eam auctoritate eadem quæ prius necessaria fuit regeret et gubernaret: atqui, si quis Petro successit, is sane, inspectis documentis historiæ, fuit Romanus Pontifex: nullus namque præter ipsum Petri successor unquam dictus est. Ergo et ipsius auctoritatem habuit [5].

Secundo probatur *in particulari* ejusdem antecedentis eadem pars altera, seu quoad duos characteres illos quos Ecclesiæ magisterio et auctoritati supra assignavimus: scilicet auctoritatem ipsi Romano Pontifici tributam esse simul summam et infallibilem.

Hic vero advertendum est quæstionem hanc summi esse momenti, cum exinde colligendum erit quodnam sit subjectum immediatum et proprium, necnon et primarium totius auctoritatis illius quam Ecclesiæ merito asseruimus, quin tamen de subjecto illo explicatius dixerimus. Patet enim in societate qualicumque non solum juxta poni mutuo vitæ socialis elementa ac vires, sed invicem subordinari, ita ut dari non possit nisi unum auctoritatis primarium et immediatum subjectum.

Haud secus in societate ecclesiastica omnia ad invicem necessario subordinantur. Quamvis autem ex prædictis jam solvi possit quæstio, hic tamen clarius pleniusque enucleanda est. Unde probatur auctoritatem Romani Pontificis, non minus quam

[1] Epiph., *Hær.* xxx, n. 15; Gelas., *Epist.* i; S. Greg. Lib. xii, ep. xxxi.

[2] Tertull., *De Pudic.* Cap. i; Hieron., *Adv. Lucif.*

[3] Euseb., *Hist. Eccl.* Lib. iv, cap. xiv; Nicephor. Lib. iii, cap. xxx, etc.

[4] Bianchi, *Della Potestà Eccles.* Lib. iii, cap. iii, § ii. Qui liber egregius de his omnibus tibi consulendus venit.

[5] Cf. Tillemont, T. i, p. 149-166; Grabe, *Spicil.* T. i, p. 254-305. Hic imprimis supponitur probata historice mansio ac mors Petri in Urbe Roma. De quibus vide Natal. Alex., *Hist. Eccles.* Sæc. i, Diss. xiii; Foggini, *De Romano Itinere D. Petri.*

auctoritatem ipsius Petri esse summam seu supremam, et infallibilem, et hoc quidem sive in docendo, sive in dirigendo.

335. — Romani Pontificis auctoritatem in docendo ut summam agnoscendam esse, inde probatur quod summa semper agnita fuit in Ecclesia.

Probatur imprimis eo quod quotiescumque extra concilia Pontifices vel veritatem approbarunt vel errorem damnarunt, quod præsertim evenit per tria Ecclesiæ priora sæcula, tunc in Ecclesia admissa omnino est ejusdem sententia; nec distinctio inducta fuit inter quæstiones et quæstiones, sed in omnibus omnino quæstionibus judicandis conclusum est cum Augustino: " Rescripta Roma venerunt: causa finita est! „ Sic anno 150, Hyginus damnavit Cerdonem et Valentinum [1]; anno 196, Victor Theodotum [2]; anno 215, Zephyrinus Montanistas [3]; post concilium Nicænum, anno 390, Siricius damnavit Jovinianum; anno 401, Anastasius Rufinum origenistam; anno 416, Innocentius I Pelagium [4], etc.

Haud secus veritates omnes asserunt. Ad Anicetum recurrit Polycarpus, ad Eleutherium Irenæus [5]; ad Cornelium Cyprianus [6]; ad Innocentium I Augustinus et episcopi africani [7]; ad Damasum Hieronymus; isque his verbis: " Inde mihi cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam; inde tunc animæ meæ postulo cibum, unde olim Christi indumenta suscepi, a sacerdote victimam salutis, a pastore præsidium ovis flagitto [8]. „ Haud secus, anno 553 in Concilio œcumenico CP. secundo, Eutychius patriarcha CP. Vigilium papam rogat, " ut præsidente ejus Beatitudine, „ controversia de *Tribus Capitulis* aliquando finiatur, assentientibus petitioni centum quinquagintaquinque Patribus.

Recte igitur S. Thomas omnium traditionem ita explanat: " Nova editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli,

[1] Euseb., *Hist. Eccl.* Lib. I, cap. X. [2] Ibid. Lib. V, cap. XXVII.

[3] Tertull., *De Jejun.* c. I.

[4] Cf. Denzinger, *Enchiridion* passim. — Vide Baronium, *Annal.* ad ann. 146, 155, 248, 254, 350, 373, 418, 430, etc.; Natal. Alexandre, *Hist. Eccles.*, ubi de Hæresibus in singulis temporibus.

[5] Hieron., *De viris illustribus.*

[6] Vide *Epistolas Cypriani ad Cornelium.*

[7] Cf. *Epist.* 90 et 92. [8] *Epist.* 57.

ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores et difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur..... Et hujus ratio est quia una fides debet esse totius Ecclesiæ... quod servari non posset nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, et alia hujusmodi [1]. „

Probatur deinde ex infra dicendis, Concilium nempe nihil posse quod non possit Summus Pontifex, nec Concilium absque Pontifice aliquid posse.

336. — Iisdem fere argumentis ostenditur Romano Pontifici summam competere auctoritatem in dirigendo Ecclesiam.

Imprimis id ex dictis sequitur: qui enim auctoritatem summam habet in decernenda veritate, ille summam auctoritatem habere debet in societate decernendi ea quæ facienda sunt, cum praxis a veritate, lex a ratione procedat.

Deinde probatur ex jure semper et ubique Romano Pontifici agnito excommunicandi, ab Ecclesia separandi, atque leges disciplinares ferendi. Unde non immerito damnata est a Sixto IV, ut scandalosa et hæretica illa magistri Petri Oxomensis propositio: " Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ [2]. „ Illud hisce verbis expressit Angelicus: " Potestas superior et inferior dupliciter possunt se habere: aut ita quod inferior potestas ex toto oriatur a superiori, et tunc tota virtus inferioris fundatur supra virtutem superioris; et tunc simpliciter et in omnibus est magis obediendum potestati superiori quam inferiori... Sic se habet potestas Papæ ad omnem spiritualem potestatem in Ecclesia; quia ab ipso Papa gradus dignitatum diversi in Ecclesia disponuntur et ordinantur, unde ejus potestas est quoddam Ecclesiæ fundamentum, ut patet Matth. XVI.

" Et ideo in omnibus magis tenemur obedire Papæ quam

[1] 2. 2. q. 1, a. 10.
[2] Prop. 8ª inter novem anno 1479 damnatas.

episcopis vel archiepiscopis. Potest iterum potestas superior vel inferior ita se habere quod ambo oriantur ex una quadam suprema potestate, quæ unam alteri subdit, secundum quod vult: et tunc una non est superior altera, nisi in his in quibus una supponitur alii a suprema potestate, et in illis tantum est magis obediendum superiori quam inferiori. Et hoc modo se habent potestates episcopi et archiepiscopi descendentes a Papæ potestate [1]. „

337. — Probatur deinde auctoritatem Romani Pontificis esse infallibilem.

Imprimis de fide est post Vaticanum Concilium, prout infra dicetur.

Deinde probatur ex traditionum monumentis, quæ cum immensi numeri sint omnibusque trita innotescant, ab iisdem referendis abstinemus, nisi unum Cyprianum audire velis, qui de Felicissimo ejusque fautoribus schismaticis Romam confugientibus, ita scribit: “ Navigare audent et ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem unde dignitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse romanos quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum [2]. „

Idem sentire liquet Patres Doctoresque illos qui asserunt portas inferi prævalere non posse adversus Petram in qua fundata est Ecclesia, quorum nonnulla supra attulimus [3].

Postea probatur ex facto, quia scilicet nunquam demonstratum est aliquem Pontificem ex cathedra de fide et moribus definientem errasse, ita ut aliquis ex Summis Pontificibus deprehendatur certo contrarius vel certis Scripturæ aut traditionis dogmatibus, vel iis quæ prædecessores aut successores definiverint. Quod probant passim theologi objectiones omnes et accipientes et solventes [4].

[1] II. Dist. ult. n. 3.

[2] *Epist. 55.* Præter auctores communiter notos, adeas M. V. De la Tour d'Auvergne: *La Tradition Catholique des dix premiers siècles de l'Eglise sur l'infaillibilité pontificale*, 2 vol.

[3] Præter jam indicata opera Turrecremata, Roccaberti, etc. et alia, adeas, si libuerit, Orsi, *De irreformabili Rom. Pontif. in definiendis fidei controversiis judicio;* Ballerini, *De vi et ratione primatus, etc.*

[4] Cf. imprimis Billuart, *De Regulis Fidei,* Diss. IV, art. VI.

Hanc cæterum inerrantiam testati sunt Patres, Doctores, necnon et Concilia, quod ex allatis patet; unde scribebat S. Agatho papa: " Ejus vera confessio a Patre de cœlis est revelata, pro qua a Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus; qui et spiritales oves Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit; cujus annitente præsidio, hæc apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est; cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia et universales synodi amplexæ [1]. "

Demum asserti nostri probationem hæc ultima Pontificis verba insinuant: hanc nempe quod cum auctoritas Romani Pontificis in Ecclesia tamquam *summa* semper ab omnibus, etiam Conciliis œcumenicis agnita fuerit, quod supra ostensum est, sequitur necessario auctoritatem hanc esse infallibilem: secus enim errante summa auctoritate in Ecclesia, tota Ecclesia erraret.

Nec dici potest hanc auctoritatem Pontificis summam esse eo sensu quo datur auctoritas summa in societate civili, quin tamen infallibilis asseratur. Licet enim in hoc conveniant ambæ societates quod in utraque detur ac dari debeat suprema auctoritas cui omnes stare debent; ea tamen extat differentia quod in societate civili, cum ibi non agatur de bono supremo hominum, dari potest error, quin summum sit inconveniens: secus autem in societate religiosa. Unde in ista auctoritas illa infallibilis esse debet quæ summa fuerit.

338. — Ergo Romanus Pontifex debet esse infallibilis, utpote qui in Petro claves regni cœlorum acceperit, jussusque fuerit confirmare fratres in fide, suamque propriam fidem indeficientem conservet [2]: unde non immerito Concilium Vaticanum sequentia definivit:

[1] Epist. *ad Imp. Const.* apud Hard. *Acta Concil.* T. III, col. 1079.

[2] Hic placet exscribere nobilissima verba Concilii Vaticani, quibus asseritur simul et probatur prædicta doctrina: " Quod autem in B. Apostolo Petro princeps Pastorum et Pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super Petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, a D. N. J. C. Salvatore humani

" Si quis dixerit non esse ex ipsius Christi institutione seu jure divino, ut B. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse B. Petri in eodem primatu successorem, A. S.

generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis S. Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ, ejusque consecratæ sanguine, vivit et præsidet, et judicium exercet (Cf. *Ephes. Concilii*, Act. III). Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non dereliquit (S. Leo M. *Serm.* III, al. II, cap. III). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, ut in ea sede, e qua venerandæ communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata in unam corporis compagem coalescerent (S. Iren. *Adv. hær.* L. III, c. III; et Conc. Aquilej., an. 381, inter Epp. S. Ambros. *Ep.* XI; Const. *Pastor æternus*, cap. II).

" Quapropter, innixi Sacrarum Litterarum testimoniis et inhærentes tum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus œcumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christifidelibus est Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum... Docemus proinde et declaramus Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc R. Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujusque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent..... (Cap. III).

" Ipso autem apostolico Primatu quem R. Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, hæc Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque œcumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres Concilii CP. quarti, majorum vestigiis inhærentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est rectæ fidei regulam custodire. Et quia non potest D. N. Jesu Christi prætermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus....*, hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianæ religionis soliditas (*Ex formula S. Hormisdæ Papæ, prout ab Hadriano II Patribus Concilii œcumen. VIII, CP. IV, proposita et ab iisdem subscripta est*). Approbante vere Lugdunensi Concilio secundo, Græci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus R. Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et

" Si quis dixerit R. Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, A. S.

" Nos traditioni a fidei christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicæ exaltationem et christianorum populorum salutem,

humiliter recognoscit; et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiæ Caput et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. — Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Prædecessores nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis antistites, nunc singuli, nunc in synodis congregati, longam Ecclesiarum consuetudinem et antiquæ regulæ formam sequentes, ea præsertim pericula, quæ in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum (cf. S. Bern. *Epist.* cxc). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis Conciliis, aut explorata Ecclesiæ per orbem dispersæ sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis quæ divina suppeditabat Providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quæ Sacris Scripturis et Apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adjutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus S. promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem Apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi, et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes hanc S. Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri pollicitationem discipulorum suorum principi factam: Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

" Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro ejusque in hac cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, cœlestis doctrinæ pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret „ (cap. IV).

sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse [1]. „

339. — *c*) Probatur demum rationibus Romanam Sedem præ cæteris eligendam fuisse cui præesset Petri successor cum juribus propriis.

Adverte tamen hic nonnisi congruentias afferri posse, cum electio illa a voluntate Dei libera omnino pendeat, ultimaque ac sufficiens ratio nobis illa tantum Dei voluntas sit.

Congruentias vero plurimas afferunt passim auctores, quarum præcipuam huc adducimus, cum theologi et Romani Pontificis verbis: " Decebat ut, sicut olim ante Christi adventum electa fuit Jerosolyma caput et sedes omnium synagogarum, in qua Summus Pontifex cum suo concilio resideret; ita, post ejus in cœlum ascensum, eligeretur Roma caput et sedes totius orbis, in qua Christi Vicarius resideret, ut lux veritatis quæ in omnium gentium revelabatur salute, efficacius se ab ipso Capite per totum mundi corpus diffunderet, ait Leo papa, magisque constaret doctrinæ evangelicæ virtus et efficacia, ut quæ fuerat omnium auctrix, fieret magistra cultrixque veritatis. Hic, subdit idem Papa, conculcandæ philosophiæ opiniones, hic dissolvendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum [2]. „

Hæc dicta sufficiant ad probandum magisterium Romani Pontificis, judice ipsamet Ecclesia, esse ipsius Petri magisterium,

[1] Canones II, III, IV.

[2] Gonet, *Clypeus; de S. Pont.*, Disp. IV, art. II. — Verba S. Leonis sunt ex Serm. I de SS. Petro et Paulo extracta. Congruentias alias require apud Baronium, *Annal.*, T. I. — Illud vero quod innuit S. Leo, summa eloquentia ac doctrina evolvit Bossuet, in suo *Discours sur l'histoire universelle;* cf. imprimis Part. II, cap. XXV, XXVI. Vide Leroy, *Philos. de l'histoire.*

quod tamen sic exercere debet, sicut Petrus cæteris Pastoribus suasit et præcepit: " Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed sponte, nec secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo, et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam [1]. „ Quod scribebat ad " seniores „ πρεσβυτέρους, ipse " consenior, „ συμπρεσβυτερος [2].

340. — *Corollarium.* Colligendum est ex prædictis R. Pontificis magisterium sese extendere *adæquate* ad omnes veritates tum speculativas tum practicas religioni pertinentes, ad omniaque officia quorum cura ipsi Ecclesiæ commissa est: ipsum nempe habere claves regni ad aperiendum et claudendum.

Probatum namque est R. Pontificis auctoritatem, ita confirmante antiquitate christiana, summam esse in Ecclesia. Ergo sequitur eam esse adæquatam. Auctoritatis enim adæquatæ subjectum in societate aliqua non potest esse nisi unum: secus enim societas non esset amplius *adunatio* hominum, sed turba et multitudo; et hoc verum est in omni potestatis civilis forma, monarchica scil., aristocratica et democratica. Atqui ille qui summus est, seu caput, habet respectu membrorum ordinem, perfectionem et virtutem [3]: ergo.

Hinc statuitur adæquatio ista singulis auctoritatibus antea adductis, ad probandam potestatem illam esse summam.

Prædicta aliaque asserta Patrum egregie ita compendiantur in confessione fidei Michaelis Palæologi, ipsi a Clemente IV an. 1267 proposita, et ab ipso in Concilio Lugdunensi II, an. 1274, Gregorio X oblata: " Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere; sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad quam potest

[1] I. Petr. c. v, 2-4.

[2] Qua doctrina nihil suavius. Nec a verbis discrepabat agendi ratio B. Petri, unde Chrysostomus: Ὅρα δὲ Πέτρον μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνωμης; οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲν ἀρχοντικῶς.

[3] Cf. III, q. 8, a. 1 et 8.

gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest judicium recurri; et eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ; ipsarum prælati obedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas et patriarchales præcipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata prærogativa, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva [1]. „

Deinde sic probatur. Nisi Romani Pontificis auctoritas adæquata foret, hoc esset quia auctoritas Concilii supra vel juxta Pontificis auctoritatem foret, cum Concilium, prout hic accipitur, non sit nisi adunatio omnium episcoporum, quibus etiam pertinet judicium de fide et moribus: atqui res secus se habet: auctoritas enim Pontificis Romani semper et ubique in Ecclesia super auctoritatem Concilii eminere dicta est, ut notavimus.

341. — Quod confirmant innumeræ auctoritates passim adductæ, quas ita memorat Leo papa X: “ Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem habere, nedum ex S. Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum et aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis; sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat [2]. „

Ita apud veteres omnes [3]; sic enim prosequitur idem Ponti-

[1] Apud Denzinger, *Enchiridion*, n. 389. Vide *Collect. Concil.* Cf. *Epist. Nicolai I, ad Imperat. Michaelem*, anno 865; in *Collect. Concil.*

[2] Bulla *Pastor æternus*, in Concilio Later. V, an. 1516, ubi damnatur *Pragmatica sanctio Gallorum.*

[3] Referre libet auctoritatem Concilii œcum. VIII, quod postquam professioni fidei a R. P. Hormisda propositæ adhæserit, ita decernit: “ Quisquis autem tanta jactantia et audacia usus fuerit ut secundum Photium vel Dioscorum in scriptis vel sine scriptis injurias quasdam contra Sedem Petri Apostolorum Principis moveat, æqualem et camdem quam illi condemnationem recipiat..... Porro si Synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, et solutionem accipere, et aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos Senioris Romæ Pontifices; μὴ μέντοι θρασέως ἀποφέρεσθαι κατὰ τῶν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἱεραρχῶν „ (*Can.* 21).

fex, advertens nonnulla tantum referre, " reliqua vero utpote notiora silentio præterire. „ — " In Alexandrina enim Synodo, Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicænam Synodum statuisse non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari.

" Neque nos latet etiam eumdem Leonem pontificem Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonem transtulisse; Martinum papam V, præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nulla consensus ipsius Concilii mentione habita, dedisse. Ephesinam quoque primam Synodum Cœlestino, et Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Hadriano, octavam etiam Constantinopolitanam Synodum Hadriano s. pontifici prædecessoribus nostris maximam reverentiam exhibuisse, eorumque Pontificum institutionibus et mandatis, in sacris Conciliis per eos editis et factis, reverenter et humiliter obtemperasse. Unde Damasus papa et cæteri episcopi Romæ congregati, scribentes de Concilio Ariminensi episcopis in Illyrico constitutis, præjudicium aliquod per numerum episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur: quandoquidem constat Romanum Pontificem, cujus ante omnia decebat spectari decretum, talibus non præbuisse consensum [1]. „ — Haud secus Pontifici Romano jus agnitum est præsidendi Conciliis per se vel per delegatos seu vicarios [2].

Hoc vero notandum est, scilicet delegatos quoscumque in Conciliis eodem consedisse ordine quo consedissent ipsi delegantes, si præsentes fuissent, eodemque ordine nomina actibus apposuisse: unde nonnunquam presbyteri vel diaconi supra complures episcopos et sedent et nomen apponunt.

Atqui hoc solemne est in actibus Conciliorum quod Romani Pontificis legati primo loco et sedeant et nomina apponant.

[1] Ex eadem Bulla. De his et sequentibus, cf. *Corpus Juris*, Part. I, Dist. XVI, XVII, etc. ubi alia invenies testimonia.

[2] Vicariorum istorum discrimen multiplex fuit. Alii erant *legati a latere*, quasi ex familiaribus electi; alii dicebantur *visitatores*, seu Cognitores, Επιγνώμονες, qui de causis controversis potius inquirerent; alii dicebantur *Apocrisiarii*, seu responsales, quorum munere funguntur hodie Nuntii Apostolici; alii demum fuerunt *Primates*, quibus summus Pontifex, tamquam Vicariis, in varias diœceses aliquam conferebat jurisdictionem. — Vide Schmalzgrueber, *In Eccles. jus univ.;* Richard et Giraud, *Analysis Conc.;* Cabassut., *Notitia Conciliorum*, circa principium. Sed imprimis commendanda est *Concilien Geschichte* D. Héfelé, circa hujusmodi quæstiones omnes,

Ita in Concilio Nicæno, Osius episcopus, Vitus et Vincentius presbyteri; in Constantinopolitano primo, nulli fuerunt ex parte Romani Pontificis præsides, quia Damasus papa tunc temporis aliam occidentalium Synodum celebrabat; in Ephesina autem præsidet Cyrillus, Alexandriæ patriarcha; in Chalcedonensi, Paschasinus et Lucentius episcopi, et Bonifacius presbyter; in secundo Constantinopolitano, Eutychius patriarcha CP. in tertia Constantinopolitana, Theodorus, Georgius presbyteri, et Joannes diaconus; in Nicæno secundo, Petrus archipresbyter Romanæ Ecclesiæ et Petrus monachus; in quarto Constantinopolitano, Donatus et Stephanus episcopi, Macarinus diaconus; et sic deinceps generatim quoad cætera Concilia.

Sed non tantum convocare, dirigere, transferre, etc. Concilia potuerunt non immerito Romani Pontifices: ipsis præterea jus competit confirmandi, ita ut nullum Concilium absque illa confirmatione sententiam definitivam ferre queat; omne autem Concilium quod a Romano Pontifice sancitum fuerit, plenam sortiatur auctoritatem. Quod infra ubi de Conciliis demonstrabitur ex traditione.

342. — Ratione iterum auctoritatis illius adæquatæ, licitum est appellare a sententia Concilii ad sententiam Romani Pontificis; non autem a sententia Romani Pontificis ad sententiam Concilii, siquidem " ipsi sunt canones qui appellationem totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluerunt deferri; ab ipsa nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illum de tota Ecclesia judicare, ipsam vero ad nullius commeare judicium [1]. " Hinc Concilium Vaticanum definivit " Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse [2]. "

Reformavit igitur Romanus Pontifex sæpe sæpius acta non modo episcoporum vel archiepiscoporum, sed etiam Conciliorum. Hinc septem Concilia reprobata numerantur, quæ cæterum universalia dicenda merito fuissent; sex autem quæ partim confirmata, partim reprobata [3]. Ita et Conc. Tridentinum auctoritatem plenam tunc sortitum est quando, anno 1564, a Pio papa IV approbatum est, cum jam ab anno 1545 inchoatum fuerat.

[1] Nicolaus I, *Epist ad Mich. Imper.*
[2] Const. *Pastor æternus*, cap. IV. Cf. Billuart, *De Regulis fidei*, Diss. IV, a. VII.
[3] Cf. Gonet, *Clypeus thomisticus: De Sacris Ecclesiæ Conciliis*, Art. II.

Asserendum ergo est adæquatam esse Romani Pontificis auctoritatem in Ecclesia; hincque de Romana Ecclesia, quæ fuit Petri sedes quæque nomen suum toti hac ratione Ecclesiæ catholicæ transmisit, hisce verbis dicebat S. Irenæus: " Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem (*al.* potiorem) principalitatem [1] necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles in qua semper ab his qui sunt undique conservata est quæ est ab Apostolis traditio [2]. "

343. — *Quæres* 1° quomodo R. Pontifex sententias suas ferat ac manifestet.

Resp. Sententias suas manifestat imprimis per Bullas, Brevia, Rescripta et vivæ vocis oracula, de quibus consule Canonistas [3].

Hic adnotasse sufficiat Summum Pontificem, etsi solemniori Bullarum forma utatur ad ferendas de dogmate sententias, posse tamen omnibus supradictis modis veritatem definire. Quatuor enim requiruntur a Concilio Vaticano conditiones, ut R. Pontifex definire censeatur. Atqui dari possunt illæ conditiones in Bullis, Brevibus, etc. Ergo.

Probatur et explanatur simul major.

Prima conditio est ut *R. Pontifex omnium Christianorum pastoris ac doctoris munere fungatur*, non quidem quovis modo, sed qua pastoris ac doctoris supremi Ecclesiæ.

Secunda conditio, scilicet quod loquatur *pro suprema sua apostolica auctoritate* [4].

Tertia est ut definiat *de fide*, *moribus* et *disciplinis* inde constitutis, de quibus ipsi collatum est magisterium.

[1] Salmasius conjicit in textu græco legendum fuisse ἐξαίρετον πρωτεῖον; Massuet, ὑπέρτερον πρωτεῖον; alii ἱκανώτερον κῦρος. Vide doctam annotationem Moehler, *De Unit. Eccl.* cap. IV.

[2] *Adv. Hær.* Lib. III, cap. XIII. Cf. edit. Massuet *in Dissert.*

[3] Cf. De Luca, *De relatione Curiæ,* T. III, Disc. VII; Ferraris, *Biblioth.* ad voc. *Bulla, Breve, etc.:* Schmalzgrueber, *In Eccles. univ.* T. I, P. I, p. 157.; André, *Cours Alphabét., etc.*

[4] Unde non definiunt Pontifices quotiescumque verbum proferunt, prout innuere videntur in praxi quidam incauti auctores. Notat merito Canus Pontifices respondere sæpe ad privatas quæstiones, suam opinionem de rebus explicandis exponendo, quin tamen sententiam ferant; vel libros edere de re qualibet, quin tamquam qua judices de fide pronuntient. Cf. *De Loc. Theol.* Lib. VI, cap. VIII. Cujus asserti exempla innumera afferri possent, nisi notissimum foret.

Quarta est demum ut doceat veritatem *ab universa Ecclesia* tenendam. Quoad conditionem istam adverte non requiri ut R. Pontifex totam Ecclesiam *immediate* simulque alloquatur; sed sufficit ut aliquem vel aliquos ex episcopis, imo ex fidelibus solemniter et assertive alloquatur, asserens aliquam doctrinam esse fidei vel consonam vel contrariam; ita ut si etiam *mediate* sententia illa et quidem certo et authentice innotuerit, omnes credere teneantur.

Patet autem quatuor illas conditiones prædictas per se inveniri posse, si veritas per Bullam, Breve, Rescriptum, vivæ vocis oraculum, etc. manifestetur. Ergo.

Si deficiat aliqua ex antedictis conditionibus, non dabitur quidem propositio fidei; sed tamen esse poterit proxima fidei, certa, etc. pro sententiæ tenore, juxta casus singulos expendendos [1].

Hic pro rei nostræ negotio satis dictum esse videtur de auctoritate summi Pontificis: qui plura cupierit, adeat nonnullos ex innumeris fere auctoribus qui antiquis nostrisque temporibus argumentum peregregie tractarunt. Cætera omittimus præter sequentes quæstiunculas.

344. — *Quæres* 2°, etsi forsan curiosius, quonam jure magisterium illud R. Pontifici præ cæteris episcopis competat. Potuisset namque Deus ita rem ordinare ut Petro succederet aliquis qua totius Ecclesiæ episcopus immediate, quin sedem particularem occuparet. Tunc autem successor ille designandus fuisset vel immediate et directe ab ipso Deo, vel ab ipsa Ecclesia eligente.

[1] Hic liceat lectionem monumentorum pontificalium, præsertim *Bullarii Romani et aliorum*, etsi incompletissimorum enixe commendare, qua nihil theologo et historico utilius esse potest. — De ipsis documentis discernendis ac judicandis sequentes sex regulas tradit P. Bremont, in *Bullario O. P.* § I, in Præfatione.

1° Privilegia non inspecta non valent argui falsitatis.

2° Vel in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ falsitas dignoscitur.

3° Defectus litteræ non vitiat rescriptum.

4° Rescriptum non censetur falsum aut suspectum ex eo quod in facti narratione et loco non suspecto litteræ sunt abrasæ.

5° Solœcismus vitiat apostolicum rescriptum.

6° Si tenor diplomatis possit esse suspectus fiat collatio de falsa Bulla (i. e. plumbo) cum vera.

At vero, quo facilius continuaretur successio illa Pontificum, rem aliter composuit Deus, jussitque ita primatum Petri alicui sedi particulari, i. e. ipsius Petri Sedi connecti, ut quicumque hanc Sedem occuparet, eo ipso Petri successor habendus foret: dummodo electionis conditiones observatæ fuissent.

Quæritur ergo utrum privilegium illud Romano Pontifici competat ex jure ecclesiastico tantum, ita ut Summus Pontifex vel Concilium generale, ex plenitudine auctoritatis suæ posset alio Sedem transferre, ac titulum mutare, cum in jure ecclesiastico omnia per se Summo Pontifici subsint [1]; utrumve ex jure divino, ita ut etiam relicta vel eversa Roma, titulus remanere debeat [2], eique annecti jus ad primatum Petri, ac Romana Ecclesia semper futura sit, ἀρχαιότατη Ἐκκλησία, quam vocat Origenes [3].

De quo varii varie opinati sunt.

345. — Dico igitur magisterium Petri ac primatum jure divino Sedi Romanæ esse adnexum.

Probatur

a) Ex verbis Concilii Vaticani superius relatis: " Quicumque in hac Cathedra (Romana) Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem, primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet [4]. "

b) Hinc in Syllabo reprobatur illa propositio: " Nihil vetat alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum pontificatum ab Romano Episcopo atque urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri [5]. "

c) Ita opinati sunt plurimi inter veteres: " Sancta Romana Catholica et Apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis cæteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit [6]. " Sic S. Gelasius.

Nec aliter Pelagius II: " Romana Sedes, inquit, instituente

[1] Cf. Propositiones damnatas Petri Oxom., anno 1479; prop. 8.

[2] Hic adnotasse juvabit Petrum episcopum Romanum existere potuisse, quin tamen Romæ vixisset mortuusque esset. Quod dictum volo, non ut minuam mansionis ac mortis Petri in Urbe Roma fidem, sed ad refellendam adversariorum audaciam quoad consequentias ex sua hypothesi eductas.

[3] Ap. Euseb., *Hist. Eccles.* Lib. VI, cap. XLIV.

[4] Const. *Pastor æternus*, Cap. II.

[5] Prop. XXXV.

[6] Ita Gelasius Papa, Cap. *Quamvis;* Dist. II.

Domino, caput est omnium ecclesiarum [1]. „ Eodem modo sentiebant ac sentiunt ii omnes qui narrant ac credunt Christum Petro aliquando Roma aufugienti obviam occurrisse, ipsique suasisse ut Romæ remaneret ac moreretur. Cujus sententiæ fuerunt Ambrosius [2], Hegesippus [3], S. Gregorius [4], S. Athanasius [5], etc.

Non secus ac Doctores illi opinatus esse videtur Constantinus imperator, qui, dum Romanis Pontificibus Romam dabat, ita ratiocinabatur: " Ubi princeps sacerdotum et christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, justum non est ut illic imperator terrenus habeat potestatem [6]. „

Inter recentiores autem qui quæstionem *ex professo* tractaverunt, aliqui aut negarunt aut in dubium revocarunt primatum universalem jure divino Sedi Romane esse annexum; alii vero asserunt, et quidem numerosiores, ut videtur.

346. — Ut autem componatur quæstio advertendum est triplex dubium hic moveri posse: *primum* quidem utrum Petrus habeat successores; cui jam responsum est affirmative, hancque legem juris divini esse et diximus et probavimus; — *alterum* est utrum et quo jure Episcopus romanus primatum universalem in Ecclesia accipiat; — *tertium* est quo jure hæc illave persona episcopatum romanum habeat et servet. Quia hæc duo posteriora vix apud multos theologos distincta fuerint, ita ut duo tantum quærant, utrum scil. S. Petrus successores habeat et quænam persona successionem hanc sortiatur, inde orta confusio est.

Tertium itaque dubium omittimus, respondentes breviter hanc illamve personam Episcopatu romano frui quæ conditionibus canonicæ electionis fecerit satis; quæ conditiones nonnisi juris ecclesiastici sunt, ita ut, prout Romanis Pontificibus, Conciliisve œcumenicis visum fuerit, conditiones illæ mutari possint, ac reipsa mutatæ aliquando fuerint [7].

[1] Epist. I.
[2] Epist. XXXII, *Cont. Auxent.*
[3] *De Excidio Jerosol.* Lib. III, c. III.
[4] *In Psal.* V.
[5] *Apolog. pro fuga*, n. 18. — Ita Innocent. III, epist. 209. Cf. D'Argentré, *Elem. Theol.* C. IX, § II. Cui facto alludere videtur Marcellus Papa qui ita ad Antiochenos scribit: " Petri sedes primitus apud vos fuit, postea, jubente Domino, Romam translata est „ (*Epist. ad Antioch.*).
[6] Cap. *Constantinus.* D. 96. Cf. Euseb., *Hist. Eccl.* Lib. II, c. XIV.
[7] Cf. Moroni, *Dizionario*, Vol. XXI, p. 197 et seqq., ubi indicantur præcipui

Remanet ergo dubium secundum tantummodo, i. e. quonam jure ille qui certo Romanus episcopus fuerit Summus Pontifex simul ipso facto evadat.

Connexionem hanc esse juris tantum ecclesiastici opinati sunt nonnulli, inter quos Dominicus Soto [1] et Bañez [2]; esse autem juris divini opinantur Cano [3], Turrecremata [4], Dominicus a S. Trinitate [5], Driedo [6], Billuart [7], Gonet [8], Bellarminus, Valentia, Sylvius, etc.

Nec omnino dissentire videtur Cajetanus, qui licet neget connexionem illam esse institutionis evangelicæ, hæc tamen habet: " Ex eo quod appropriatione firmata Romana Ecclesia Petri pontificatui addicta est, inde ortum est ut Romanus Pontifex Petro succedat. Appropriationem autem firmatam dicimus, quia Petri morte firmata est, et quia Christi auctoritate robur firmitatis obtinuit. „ Et postquam in probationem narraverit Christum prohibuisse Petro ne Roma egrederetur, ita concludit: " Ut non nuda Petri mors Romæ, sed mors jussa a Christo in urbe Roma firmaret Romanam Sedem in Petri successione. Si ad ortum itaque atque initium successionis R. Pontificis Petro spectes, rationem succedendi invenies fuisse

auctores qui de Pontificum electionibus tractarunt. Consule canonistas generatim, præsertim Passerini, *De electione canonica tractatus; De electione S. Pontificis tractatus.* In fol. Romæ 1661, 1667.

Istud tamen hic notandum est, ne in errorem falsamve doctrinæ nostræ interpretationem labatur aliquis, non obstare assertum nostrum quominus aliquis particularis Pontifex, v. gr. Leo XIII, sit jure divino pontifex, quod ita perspicue docet et explanat doctissimus theologus Bañez: " Bene potest alicui rei competere aliquid de jure divino, supposita aliqua conditione, quæ absolute non competit ei de tali jure, quia conjunctio illius conditionis cum tali re non est de jure divino, sed positivo: v. gr. quod mihi sacerdoti competat posse consecrare, de jure divino est, supposito quod sim sacerdos; at vero sacerdotium mihi non de jure divino competit „ (In 2. 2., q. I, a. X). Haud secus de aliquo Pontifice summo dici potest eum esse jure divino pontificem non quidem absolute, sed hypothetice, i. e. supposito quod prius prioritate rationis sit episcopus Romanus, licet conditio qua aliquis episcopus Romanus fiet ecclesiastici juris tantummodo dicatur et sit.

1 In IV, Dist. XXIV, q. 2, a. 3.

2 2. 2., q. 1, a. 10. Dub. 4, in expositione fusiori ejusdem articuli.

3 *Loc. theol.* L. VI, c. IV, V, etc.

4 In cap. *Rogamus.*

5 *Biblioth. Theol.* T. III, lib. III, sect. IV, cap. VIII,

6 *De dogm. var.* L. IV, c. III, p. II.

7 *De Reg. Fidei,* Diss. IV, a. IV.

8 *Clypeus, De S. Pont.* Disp. IV, a. III, § I. — Cf. Palmieri, *De Rom. Pontifice.* Th. VIII, IX, X.

Ecclesiæ Romanæ appropriationem ad Pontificatum Petri, firmatam et Petri morte et Christi mandato. „ Quæ autem addit eximius idem theologus summi momenti sunt: " Quum autem dicimus Petrum et Romanum Pontificem, et Pontificem Ecclesiæ catholicæ, non duos intelligas pontificatus: non enim sunt duo in actu, sed in potentia tantum, h. e. quia potuissent esse duo. Unde non se habent sicut duo episcopatus uniti: non erat siquidem in Romana Ecclesia episcopatus ante Petrum: sed ipse Petrus Romanam Ecclesiam evexit in pontificatum non alium quam suum, quem secum vehebat, ita quod pontificatus Petri quem a Christo habuit relatum ad Ecclesiam catholicam, retulit ipse Petrus ad Ecclesiam Romanam, appropriando sibi illam. Confert autem nonnihil hæc Pontificatus unitas ad hoc ut idem sit Romanus Pontifex et Pontifex Ecclesiæ catholicæ, non solum unitate personæ, sed identitate pontificatus. In cujus signum non dantur Romano Pontifici duo pallia, sed unum tantum, quum tamen plura dari constet habenti plures pontificatus, quibus debentur pallia [1]. „

347. — *d*) Auctoritatibus adduntur rationis momenta, quorum unum sic exponit egregius Billuart: " Si supremus pontificatus non esset episcopatui Romano jure divino, sed ecclesiastico tantum annexus, fuisset verosimilius alio translatus, cum urgerent quandoque gravissimæ rationes illum transferendi: enim vero tribus primis sæculis Imperatores romani immaniter sævierunt in Summos Pontifices, qui vel continuo latitare vel exulare cogebantur, aut morte afficiebantur: neque tamen de transferendo pontificatu cogitatum est.

" Item, plures Romani Pontifices Avenione in Gallia per septuaginta annos sederunt, nec tamen sedem Ecclesiæ Romanæ sic deseruerunt, ut pontificatum alteri adnecterent, ipsique fierent episcopi avenionenses, aut alii.

" Item, Constantinus Magnus nihil non tentavit ut Constantinopolim, quam *Novam Romam* voluit appellari, omni ornatu condecoraret, absque dubio et summum pontificatum illi adscribi ab episcopis curasset, si id ab ipsis dependisset [2]. „

[1] Ita Cajetanus, *De Romani Pontificis instit.*, c. XIII. Cujus theologi tractatus de R. Pontifice, tres numero, cuique theologo innotescere debent.

[2] *De Reg. Fidei*, Dissertatio IV, art. IV. Cf. Gonet, *Clypeus; De S. Pontifice*, Disp. IV, a. 3.

348. *Quæres* 3° Quomodo constitutum fuerit jus illud divinum.

Resp. Duplex datur sententia. Alii volunt Christum ipsum Petro præcepisse ut sedem suam Romæ demum constitueret, et quidem in perpetuum. Quæ sententia probabilis videtur, destituitur tamen argumento certo in Scriptura, traditione et historia. Cum aliunde non sit consequentia necessaria alicujus principii certi, non videtur probabilitatis limites transgredi. Alii contendunt Christum Petro commisisse ut sedem sibi eligeret atque constitueret, ea tamen conditione ut successores mutare nullatenus possent. " Cum Petrus romanum episcopatum suscepit, ut in eo perpetuos successores in primatu haberet, Deus ratam specialiter habuit hanc Petri electionem: ideoque de jure divino saltem consequente, nempe consequente factum Petri, prævertente autem factum successionis, est quod romanus Episcopus succedat Petro in primatu [1]. „ Quæ sententia iterum, iisdemque ac supra rationibus, probabilis tantum dicenda est.

Lector alterutram eligere potest et debet: potest quidem quia in utraque salvatur Sedis romanæ immutabilitas; debet, quia dari non videtur alia tertia sententia, ex qua sufficienter immutabilitas illa salvetur.

In utraque enim admittitur jus divinum quod per se juri ecclesiastico, seu Romani Pontificis aut Concilii etiam œcumenici non subest [2]: unde immobilis omnino censenda est pontificatus constitutio in Sede Romana. In prima namque sententia Christus per se omnia determinavit, nec Petro electionem sedis propriæ, sive *contradictorie* sive *contrarie* liberam reliquit, cum jusserit simul et eligere sedem, et eligere hanc sedem. Juxta alteram vero sententiam, Christus hujusmodi electionem Petro commisit liberam non *contradictorie* cum eligere jusserit; sed *contrarie*, siquidem jus ei fecit hanc aut illam eligendi: quam tamen contrarietatis libertatem successoribus Petri ademit.

Unde jus Petro factum et commissum Sedem Romanam præ cæteris eligendi, inter illa extraordinaria privilegia connumerandum foret Apostolis qua Ecclesiæ fundatoribus, non qua

[1] Palmieri, S. J. *De Rom. Pont.*, Th. IX.

[2] Cf. Canus, *De Loc. theol.* L. III, c. V

episcopis concessa; ipsis propria, nec ad successores transferenda [1].

349. — *Quæres* 4° Utrum privilegia Petro concessa tamquam Ecclesiæ capiti et principi, dici possint *personalia* Romano Pontifici, qui Petro succedit?

Resp. affirmative. Ratio est quia privilegia illa sunt in persona Romani Pontificis, sicut in *persona* Petri, tamquam in subjecto, fuerunt. Romanus ergo Pontifex, sicut et ipse Petrus, est unitatis centrum, sive quoad fideles, sive quoad Ecclesias particulares; ipseque, non minus quam Petrus, est primus, non *relative* tantum, sed *absolute* in Ecclesia, tum in docendo, tum in dirigendo, tum in munera ecclesiastica impertiendo.

Liceat ergo tractationem hisce eximiis S. Thomæ verbis claudere, utpote quæ totam Ecclesiæ œconomiam, eamdemque perspicue ob oculos ponunt: " Ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale supra particularia regimina, quia in omnibus virtutibus et actibus, ut dicitur in I. *Ethic.*, est ordo secundum ordinem finium. Bonum autem commune est divinius quam bonum speciale; et ideo, supra potestatem regitivam quæ conjectat (al. communicat) bonum speciale, oportet esse potestatem regitivam universalem (al. quæ communicat bonum universale) respectu boni communis: alias non posset esse colligatio ad unum.

" Et ideo cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiæ, supra potestatem episcopalem, qua unaquæque specialis Ecclesia regitur: et hæc est potestas Papæ.

" Et ideo illi qui hanc potestatem negant, schismatici [2], dicuntur quasi divisores unitatis Ecclesiæ. Et inter episcopum simplicem et Papam sunt alii gradus dignitatum correspondentes gradibus unionis, secundum quos una congregatio vel communitas includit aliam: sicut communitas provinciæ includit communitatem civitatis, et communitas regni communitatem unius provinciæ, et communitas totius mundi communitatem unius regni [3]. "

[1] Cf. Canus, *De Loc. theol.* Lib. VI, cap. ult.

[2] A σχιζειν, quod est *scindere, diffindere, dividere*, quod rectissime explanat Angelicus.

[3] Suppl. q. XL, a. 6.

Unde in Ecclesia haberi illud quod peregregie descripsit Homerus adverterit nonnullus, scil.:

Οὐ μέν πως πάντες βασιλεύσομεν ἐνθάδ' Ἀχαιοί.
Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ [1].

Quod non impedit quominus et alii sint principes sceptrigeri, prout ibidem narrat summus Vatum:

πείθοντό τε ποιμένι λαῶν
Σκηπτοῦχοι βασιλῆες [2].

350. — *Quæres* 5° Quænam competat auctoritas nuntiis et delegatis apostolicis?

Resp. Omissis quæstionibus strictius ad jus canonicum pertinentibus, certum est, *quoad jus*, Pontificem potestatem suam ex parte, seu quoad Ecclesiæ in doctrina et moribus regimen ordinarium, delegare posse, cum ipsi competat ordinaria auctoritas in omnes et singulos Christi fideles; — *quoad factum* autem, delegatos et nuntios non tantum ad temporalia, sed etiam ad spiritualia mitti, nisi eorumdem restringantur facultates. Unde et in rebus fidei tamquam non summi quidem, sed authentici interpretes audiendi sunt, si nomine Pontificis statuant ac decernant, salvo tamen cuilibet jure ad Pontificem recurrendi [3].

Quæ omnia ex dictis quasi sponte fluunt.

Nota. Hic sane addenda foret brevis saltem RR. Pontificum chronotaxis, qua singulorum indicarentur *scripta*, *decreta*, etc. Quod postularet utique argumenti nostri ratio et utilitas, ut cuique patet, quodque tentaverunt varii ubi de locis theologicis.

Cum vero istud operis momentum longius evasurum esset, etiam nonnisi necessariis allatis; cum præterea illud multi jam tentaverint, ad istos lectorem remittimus; ex quibus sequentes nominasse sufficiat, nempe Doujat, *Prænotiones canonicæ* [4]; Glaire, *Dictionnaire universel des sciences ecclésiastiques;* Moroni, *Dizionario;* Richard et Giraud, *Dictionnaire;* præsertim vero *Kirchenlexikon Wetzer und Welte* [5]; Penzi, *Rudim. Theol.*

[1] *Iliad.*, II, 203-206. [2] Ibid. v. 85, 86.

[3] Cf. Pii Pp. VI, *Responsio de Nuntiaturis*, et *Epistola* card. Jacobini, Secr. a Stat. data die 15 apr. 1885, qua damnatur aliqua doctrina ephemeridis dictæ *Siglo futuro*.

[4] Lib. II, c. XXII ad c. XLIV, et Lib. IV, in fine.

[5] Imprimis commendatur altera hujus eximii operis editio, nondum perfecta.

DIFFICULTATES.

351. — Contra propositionis nostræ varia capita plures fiunt objectiones, quarum præcipuas hic solvendas proponemus.

Obj. 1° Christus jussit Ecclesiæ, non Summo Pontifici denuntiandos esse qui Apostolis contumaciter contradicerent [1]: Ergo.

Resp. Verba illa: " Dic Ecclesiæ, " indicant Ecclesiam docentem, scilicet episcopos, præsertimque Romanum Pontificem, Apostolorum successores, prout patet ex verbis quæ statim sequuntur: " Amen dico vobis: Quæcumque alligaveritis, etc. "

Obj. 2° S. Gregorius titulum episcopi *œcumenici* seu universalis respuit: ergo.

Resp. S. Gregorius titulum episcopi œcumenici respuit et damnavit eo quod in adversariorum mente significaret exclusionem suppressionemque episcopatus, *concedo;* — respuit prout significat primatum, seu episcopatum supremum; *nego.* Hæc enim Joanni patriarchæ CP. scribebat Gregorius: " Eo perductus es, ut despectis fratribus episcopus appetas solus nominari. " Et ad Mauritium imperatorem: " Iste est qui solus sacerdos appellari appetit [2]. " Cæterum idem Gregorius centies Romani Pontificis jura asseruit, cujus testimonium sint hæc tantum verba: " Nescio quis ei (Sedi Apostolicæ) episcopus subjectus non sit [3]. "

Obj. 3° Concilium Constantiense declaravit Pontificem Romanum Concilio subjectum esse. Ergo.

Resp. 1° Decretum illud nunquam fuisse eo sensu approbatum quod absolute et simpliciter Romanum Pontificem Concilii auctoritati submitteret; imo hoc sensu pluries damnatum fuit, præsertim a Leone X, Eugenio IV et ipso Martino V.

[1] Matth. XVIII, 17.

[2] *Epist.* L. V; *Epist. ad Maurit. et Joann.*

[3] *Epist.* L. IX, *Ep.* 59. Cf. Palmieri, *De Rom. Pont.* Th. XIX.

Hic cæterum in memoriam revocare juvat quæ de S. Gregorii humilitate circa titulos narrant: " Quantæ humilitatis Gregorius fuerit, cum ex multis, tum maxime ex his manifestissime poterit deprehendi, quod omnes sacerdotes fratres et comministros, clericos autem diversi ordinis dilectissimos filios; at vero laicos dominos, et fœminas dominas in suis litteris nominabat. " Joann. Diac. *Vita S. Greg. Magni.* Lib. IV, cap. LVIII.

Resp. 2° Decretum illud emissum fuit ratione schismatis tunc in Occidente vigentis, unde Concilio se submittere debuerunt Pontifices, tum quia dubii erant, tum quia ex conscientia tenebantur ad tentanda media schismati tollendo idonea, inter quæ erat Pontificum omnium illorum simultanea renuntiatio, et novi Pontificis electio [1].

352. — *Obj.* 4° Impossibile est Ecclesiam non esse Papæ superiorem.

Resp. cum Cajetano tres dari posse comparationes Ecclesiam inter et Papam. " *Prima* est inter Papam et Ecclesiam, seu Concilium sine capite, i. e. Papa omnino; *secunda* est inter Papam et Ecclesiam, seu Concilium cum capite personaliter; *tertia* est inter Papam et Ecclesiam, seu Concilium auctorizatum a Papa.....

" De prima comparatione aperte constat quid dicendum sit, scilicet quod Papa sit supra eam (Ecclesiam), tum quia est corpus enormiter diminutum, quia est truncum absque principali membro, ac per hoc non est universalis Ecclesia, quæ perfectum significat; tum quia Dei perfecta sunt opera...

" De secunda autem..... dicitur quod Papa cum residuo Ecclesiæ non est majoris potestatis jurisdictionis spiritualis quam ipse solus, quia potestas sua continet in se omnium reliquorum potestates, ut earum causa universalis.....

" De tertia autem... ex antedictis facile sumitur quid dicendum est, scilicet quod (Concilium) non est majoris auctoritatis quam Papa a quo solo auctorizari potest [2]. "

Obj. 5° Ecclesia in Concilium absque Pontifice Romano convenire potest, ut probatur ex factis.

Resp. " Aliud est loqui de convocatione et congregatione personarum ex quibus constitui potest Concilium; et aliud est loqui de convocatione seu congregatione Concilii. Primum enim significat solummodo congregationem ad simul esse quoad locum, tempus, collationem mutuam et hujusmodi; secundum autem significat congregationem ad auctoritative disponendum de universali Ecclesia [3]. "

Primum pertinet quidem per se ad Romanum Pontificem;

[1] Cf. Palmieri, *De R. Pont.* Th. xvi.

[2] *De auctoritate Papæ et Concilii*, cap. vi.

[3] Cajetanus, *De auctorit. Papæ et Concilii*, cap. xvi.

per accidens tamen pertinere potest ad alios, v. gr. si Summus Pontifex certus non sit, ut tempore schismatis occidentalis.

Alterum tantummodo ad Summum Pontificem pertinet, imprimis si agatur de rebus definitive decernendis, ita ut " secluso Papa, in Ecclesia non sit papatus suppletive, et sicut in regulante usum ipsius, " nec " sit in Ecclesia potestas legislativa, " - " nec nisi in casu permissionis, potestas applicativa ecclesiasticæ potestatis ad personam [1]. " Unde quidquid decernit Concilium, secluso Papa, nonnisi de ipsius consensu explicito vel implicito decernit; de rebus autem fidei potest quidem *materialiter* agere, quia scil. ex se pertinent ad fidem; non autem *formaliter*, ut ex propria auctoritate eas ut credendas proponat.

353. — *Obj.* 6° Juxta celebre S. Leonis dictum, " Aliud sunt sedes, aliud sedentes [2]: " unde privilegia prædicta, imprimis inerrantia, ad sedem pertinent, non ad Summum Pontificem; atque igitur aliquis Pontifex errare potest, quin tamen deficiat ipsa sedes, quia scil. sedes ipsa, tum ex se, tum ex Ecclesiæ voluntate, ad veritatem revertetur.

Resp. S. Leonem inter sedes et sedentes distinguere, quia scil. distingui vult inter dignitatem sedentis, et ipsiusmet personam. Idem namque Pontifex multoties primatus romani prærogativas et quidem solemniter asseruit. — Cæterum distinctio illa objicientis Evangelio contradicit quo asseruntur ipsi Petro ejusque ipsismet successoribus prærogativæ.

Instabis: Pontifices Romani de facto pluries erraverunt: ergo inerrantia sedi, non personæ concedenda est. Idem ex analogia dicendum de cæteris privilegiis.

Resp. neg. suppos. vel melius *disting.:* Aliqui Pontifices erraverunt vel in rebus ad fidem et mores non pertinentibus; vel qua doctores privati asserentes, *transeat;* ex Cathedra de fide et moribus solemniter asserentes, *nego.* Quæ responsio cum speciale opus scribendum exigeret, hic fusius non tractatur, lectoremque remittimus ad historicos Ecclesiæ vel ad theologos, qui omnia optime explanaverunt [3].

[1] Cf. Cajet., *Op. cit.*, cap. XI, XII, XIII.

[2] *Epist. 53 ad Anatol.*

[3] Cf. Natal. Alexand.. *Hist. Eccl.*, edit. Mansi; Mamachi, Gotti, Billuart, Bellarminus, etc.

Obj. 7° Pontificum privilegia ducunt originem ex collectione apocrypha Decretalium, nempe ex collectione Isidori. Ergo.

Resp. neg. tum quia impossibile fuisset tot tantaque dogmata, prius inaudita, in Ecclesiam inducere, nullis reclamantibus; tum quia, concesso aliquas Decretales apocryphas fuisse, constat tamen nihil in istis asseri quod prius in aliis non fuerit assertum; tum quia multa in illa collectione falsa credita sunt, quæ tamen authentica esse constat [1].

Obj. 8° Omnis societas jus habet principem sibi juxta voluntatem suam præficiendi: ergo et Ecclesia.

Resp. dist.: in societatibus humanis, *transeat;* in societate theocratica, *nego* [2]. In ista namque Deus ipse leges *fundamentales*, ut ajunt, statuit, quæ scilicet ipsimet societati præexistunt.

Obj. 9° Quoad Sedis romanæ præ cæteris electionem: Privilegium Petri fuit vel locale, et tunc ab Antiochia Romam transferri non potuit; vel personale, et tunc variis sedibus adnecti potest, ab iis qui illud gerunt eoque fruuntur.

Resp. Privilegium illud fuisse personale Petro quoadusque iste Romam appulisset; tuncque illud locale factum est ex ordinatione Christi.

Obj. 10° Ex propositione prædicta sequitur Ecclesiam esse quid incompletum, dum vacat S. Sedes: quod tamen repugnare videtur.

Resp. cum Melchiore Cano: " Mortuo Summo Pontifice, una sine dubio Ecclesia manet, et manet in ea Spiritus veritatis; sed manca et diminuta, sine Christi vicario et Ecclesiæ uno Pastore relinquitur. Quocirca, licet veritas tunc etiam in Ecclesia sit (non enim est in solo Pontifice passive); at si controversiæ fidei et religionis oriantur, Ecclesiæ judicia sine capite in terris non adeo certa erunt [3], " vel si certa fuerint, non tamen *per se* infallibilia erunt, sed tantummodo per connexionem cum Summi Pontificis doctrina.

354. — *Obj.* 11° Impossibile est illum esse Caput Ecclesiæ sanctæ qui sæpe sæpius sanctus non est. Ecclesiæ Romanæ ac quorumdam Pontificum aliquando nonnisi cæco cæcior mores approbare potest, quin et ipse perversus sit.

[1] Cf. André, *Cours alphab. de Droit Canon.;* Doujat, *Histoire du droit canon.;* Palmieri, *De R. Pont.* Th. xx.

[2] Cajet., *De auct. Papæ Apolog.*, c. I.

[3] *De Loc. theol.* L. IV, cap. ult.

Resp. " Malos urbis mores, si quos forte urbs malos habeat, non esse hujus loci defendere. Non sumus tam rudes et stupidi quam Lutherani nos esse calumniantur. Oculos etiam nos eruditos habemus, sed modestos tamen. Scriptum est enim quod patris nudata verenda boni filii adversi veniendo texerunt. Adversari autem dicimur quod reprobamus. Quid autem est filios verenda patris superjecto dorsis pallio aversos operuisse, nisi, ut Gregorius ait [1], bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicere, ut tamen hæc ab aliis occultent? Operimentum, inquit, aversi deferunt, quia judicantes factum, et venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt [2]. Sic magistrorum vitam discipuli probi jure apud se taciti reprehendunt, et eos, etiam cum displicent, venerantur. Super cathedram, inquit Christus, sederunt Scribæ et Pharisæi: quæcumque dixerint vobis, facite; secundum vero opera eorum nolite facere [3]. "

Hic tamen non pigeat quemque hæc meditatum esse S. Bonifacii martyris verba, quæ *Decreto* inscribuntur: " S. R. Ecclesia, privilegio specialis auctoritatis divinitus et humanitus caput omnium Ecclesiarum post Christum Jesum effecta, secundum antistitis vel rectoris sui qualitatem et valetudinem, afficit totius christianitatis membra, ut illius incolumitati sua respondeant incolumitate et congaudeant: et nihilominus ejus languoribus suo languore consentiant; et sicut ejus gloria, juxta Apostolum [4], conglorificantur, sic ejus dejectione dejiciuntur, ut illud propheticum in eo præcipue compleri deprehendatur [5]:
" Omne caput languidum et omne cor mœrens: a planta pedis
" usque ad verticem non est in eo sanitas. " Et revera tanta reverentia apicem præfatæ Apostolicæ Sedis omnes suscipiunt, ut nonnullam sanctorum canonum disciplinam, et antiquam christianæ religionis institutionem magis ab ore prædecessoris

[1] *Moral.* xxv, c. xxii.

[2] Ubi tamen agitur de veritate historica et publica, reprobandi sunt illi qui historiam destruunt, monumenta dimittunt, ut omnia pro gustu excusent: quo nihil inutilius, nihil pejus in defensionem Ecclesiæ fieri potest: nihil inutilius, inquam, quia Ecclesia mendaciis nostris non indiget, et quia mendacium aliquando revelatur et probatur; pejus autem, quia adversariis maledicendi ac ridendi causam præbemus, imo et malæ fidei nos accusandi; demum effutiendi stare non posse rem nostram nisi falsitatibus munitam.

[3] Canus, *Loc. Theol.* Lib. vi, cap. ult.

[4] II. Cor., c. i.

[5] Is., c. xiv.

ejus, quam a sacris paginis et paternis traditionibus expetant; illius velle, illius nolle tantum explorent, ut ad ejus arbitrium suam conversationem et ipsi remittant aut intendant. Quod si, ut summopere sibi et omnibus expedit, zelo domus Dei sine intermissione tabescens, fidelis dispensator et prudens existens, Deo et hominibus opere et sermone irreprehensibilem sese conservare studuerit, ut vere fatear, universum pene mundum secum attonitum et sollicitum post Deum currere facit, ex utroque sexu populos diversæ professionis, conditionis et ætatis catervatim Domino suo super omnia bona ipsius constituendus ducit. Si vero suæ et fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis et remissus in operibus suis, et insuper a bono taciturnus (quod magis officit sibi et omnibus), nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus: cujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, a nemine est judicandus, nisi forte deprehendatur a fide devius: pro cujus perpetuo statu universitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animadvertunt propensius pendere. Salvo enim divinæ omnipotentiæ mysterio, ut dignum est, loco ab ipsa secundo, illud B. Job [1] non incongrue aptari S. R. Ecclesiæ potest: " Si destruxerit, nemo est qui ædificet, et si in-" cluserit hominem, nullus est qui aperiat ei; si continuerit " aquas, omnia siccabuntur; et si emiserit eas, subvertent " terram. „

" Nec immerito: cum ipsa specialius in Petro cœli terræque retentet habenas. Hæc cum omnium fidelium in Christo spiritalis sit mater, nemo debet renuere illius feriri disciplina, vel emendari censura, juxta illa Proverbia Salomonis [2]: " Ne di-" mittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo jugiter: qui " enim abjicit disciplinam, infelix est; et stultus homo despicit " matrem suam; et maledictio matris eradicat fundamenta; „ illa utique quæ arrogant (al. arroganter) divisa a Sede illius cui dictum est [3]: " Tu es Petrus, et super hanc petram ædi-" ficabo Ecclesiam meam; „ et super arenam concupiscentiæ

[1] Job, c. XII.
[2] Prov., I, VI et XVIII.
[3] Matth., XVI.

carnalis seu humanæ præsumptionis probantur posita: cursus rivi minime prosperatur, si a sua fonte dividatur [1]. „

Nota. Nihil addimus quoad præcipuos auctores qui de Romani Pontificis auctoritate ac magisterio tractarunt, cum innumeri sint et omnibus noti. Adeas cæterum card. Joannem Turrecrematam in sua *Bibliotheca pontificia*, qua illustriora opera ex vetustis, ad undevigenti supra centum numero, continentur [2].

II. De auctoritate Concilii Œcumenici.

355. — Non omnes christiani jus habent æquale docendi, vel jubendi in Ecclesia, nec omnibus commune est sacerdotium [3]; sed est hierarchia divinitus instituta [4], quæ proinde per ordinationem, non a plebe, vel magistratu, aut aliqua sæculari potestate constituitur [5]; nec imo asseri potest collatam esse ipsi Ecclesiæ immediate potestatem, quæ pastoribus communicaretur, ita ut isti non essent nisi Ecclesiæ ministri, Summusque Pontifex caput ministeriale Ecclesiæ dicendus foret [6].

Hierarchia autem illa, divinitus instituta, constituitur episcopis, presbyteris et ministris [7], cum hac tamen differentia quod episcoporum est regere Ecclesias, ipsique jure divino sint presbyteris superiores [8], ita ut presbyteris et diaconis non liceat prædicare absque missione episcopi, vel contra ejus voluntatem [9]; nec parochi sint fidei judices vi ordinationis, neque habeant in Synodo diœcesana jus æquale decidendi cum episcopo [10], etc.

Omnibus autem præest Summus Pontifex, ut supra asseruimus atque probavimus.

Datur ergo Ecclesia docens et edocta, quarum prior Summo Pontifice et episcopis proprie ac essentialiter constat, posterior autem cæteris Christi fidelibus.

1 *Decret.*, I P., Dist. XL, c. VI.
2 Alios tibi nominat Penzi, *Theol. Rud.* L. VII, c. VI.
3 Conc. Trid., Sess. VII, can. 10; Sess. XXIII, c. IV.
4 *Ibid.*, Sess. XXIII, c. IV, can. 7. 5 *Ibid.*
6 Ex damnat. propp. 3 et 4 Pistoriens., et ex damnat. prop. 90 Quesnellii.
7 Conc. Trid., Sess. XXIII, c. IV, can. 7.
8 *Ibid.* Cf. Prop. damn. Wicklef 28; Marsil. 4.
9 Prop. damn. Wicklef 14; Huss 17, 18.
10 Ex Prop. damn. Pistorien. 9 et 10.

Si autem adunantur omnes passim Ecclesiæ episcopi in unum locum ut causas definiant quæ ad Ecclesiæ fidem seu mores pertineant[1], tunc habetur Concilium œcumenicum et generale[2]. Quod quidem apud veteres vario vocabatur nomine, scilicet *Conventus*, *Congregatio*, *Conventus synodalis*, *Synodus*, etc.[3].

356. – Definitur Concilium generale " Congregatio episcoporum totius Ecclesiæ, sub Summo Pontifice, ad controversias fidei definiendas, legesque universales ad totius Ecclesiæ mores spectantes condendas. „ Apud Græcos οἰκουμενική, seu ἐκ τῆς οἰκουμένης audiit.

Dicitur *Congregatio episcoporum*, quia soli episcopi per se et de jure nativo in concilium universale sunt convocandi, cum soli per se jurisdictionem non interiorem modo, sed et exteriorem habeant in Ecclesia.

Hinc in Ecclesia nonnisi episcopi ad concilia consueverunt adunari. Hinc Concilium Chalcedonense: " Mitte foras superfluos: Concilium episcoporum est; „ hinc Theodosius et Valentinianus imperatores ad Synodum Ephesinam jam prius scripserant: " Nefas est qui sanctorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus se immiscere[4]. „

At vero *de jure acquisito*, seu ex privilegio, legi ecclesiasticæ vel consuetudini innixo, prælati ordinum religiosorum majores, votum etiam decisivum in definienda fide ferre possunt: ratio est quia auctoritatem quasi episcopalem in subditos a jurisdictione episcopali immunes ferunt.

Si concilio adsint Canonistæ ac Theologi, nonnisi votum seu suffragium consultativum ferunt.

Convocandi sunt episcopi *totius orbis*, moraliter loquendo: secus enim Synodus non esset materialiter universalis. Requi-

[1] Solemne apud antiquos fuit hunc esse Concilii generalis scopum, scil. δογματίζειν καὶ κανονίζειν; ita ut illud ad doctrinam, istud ad mores præcipue referretur.

[2] Cf. Canus, *De Loc. Theol.*, Lib. v, cap. ii. Hic nihil de Conciliis particularibus, de quibus infra.

[3] Cf. Kraus, *Realencycl.* ad voc. *Concilien;* Héfélé, *Concilien Gesch.* Quod ultimum opus omnino de re Conciliorum legendum est, prout " Nach den Quellen bearbeitet. „ Friburgi in Brisgavia, an. 1863-1879.

[4] Hoc notandum scil. quod sicut apud Græcos populi concio vocabatur ἐκκλησία, ita senatorum concilium dicebatur συγκλησία.

ritur ergo et sufficit convocationem auctoritate Summi Pontificis factam omnibus innotescere, saltem majoribus provinciis, ita ut ex omnibus provinciis aliqui episcopi, non separati ab Ecclesia, vel per se vel per delegatos vel adsint, vel adesse possint. Sed non requiritur omnes omnino adesse episcopos, quia secus impossibile foret concilium unquam celebrari, quia hoc praxi Ecclesiæ repugnat, quia demum hoc nullatenus requiritur ad validitatem sententiarum, siquidem plenitudo potestatis in Summo Pontifice residet: hoc enim additur, scilicet congregationem illam fieri debere sub *Romano Pontifice*, quod cæterum patet ex supradictis.

At vero notandum est hoc diversimode intelligi posse, pro diversis Summi Pontificis juribus ac officiis quoad concilium, si istud sumatur prout contra Pontificem distinguitur. Quæ officia tria sunt, scil. *convocare*, *præsidere* et *confirmare*.

357. — Imprimis eidem competit Synodum convocare, proindeque prorogare, solvere, transferre, etc. Ratio est quia illi competit jus convocandi, cui competit totius Ecclesiæ cura, et ita statuunt doctores omnes [1]; nec discrepat praxis universalis, siquidem " auctoritate Romani Pontificis etiam antiqua Concilia congregabantur [2]. "

358. — Illa tamen conditio non adeo intrinsece necessaria est, ut ejusdem defectui a Pontifice suppleri nequeat. Requiritur enim *ad liceitatem* convocationis concilii; *validitas* autem dependet ab alia conditione, quæ est confirmatio. Hinc concilium, etiam absque Pontificis explicita vel implicita licentia, convocatum, potest œcumenicum a Pontifice postea declarari.

Item R. Pontifici competit jus præsidendi conciliis, siquidem ad ipsum pertinet Ecclesiæ præsidere. Cui rationi consonant auctoritates mox allatæ, nec non usus perpetuus in Ecclesia [3], ab

[1] Cf. 2. 2ae, q. 1, a. 10; Jul. I, *Ep. ad Orient.* apud Socr., Lib. II, c. XIII; Concil. IV, act. I; Concil. VII, act. VI; Leon. X, Const. " Pastor æternus " in Concilio Later. V edita. — Haud secus Pelagius II, Epist. I, cap. I, scripserat: " Multis apostolicis et canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia R. Pontificis Concilia celebrari. "

[2] 1a q. 36, a. 2 ad 2m.

[3] Cf. Natal. Alex. *Hist. Eccl.* ubi de singulis Synodis agitur. Quoad Concilium Nicænum, cf. Sæc. IV, Diss. XII. Cæterum alia est tum *convocatio* tum *præsidentia juridica* quæ soli R. Pontifici ejusque vicesgerentibus competit; alia est *ministerialis* vel *honorifica* quæ aliis, v. gr. imperatoribus concedi potest. Hinc Patres Chalced. ad Leonem, in relatione de Synodo: " Tu quidem sicut membris caput præeras benevolus, per eos qui tuum tenebant locum: fideles vero imperatores

ipsius Ecclesiæ incunabulis, quando scil., teste N. T., " Apostoli Petro, tamquam Dei locum tenenti, darent locum in omni Capitulo et Synagoga, in omni electione et affirmatione [1]. „ Unde declaraverat Julius I ecclesiastico canone interdici ne præter sententiam, παρα γνωμην, Pontificis quidquam ab Ecclesia decernatur [2].

Ratio est quia " loco Christi in terris non est nisi unus Papa, et ille potest facere in omnibus; sed alii in partem sollicitudinis vocati sunt, et ideo non licet eis extendere jurisdictionem ultra quam permissum est [3]. „ Quapropter " SS. Patres in concilio congregati nihil statuere possunt, nisi auctoritate R. Pontificis interveniente, sine qua etiam nec concilium congregari potest [4]. „

Præsidet ergo tamquam princeps et monarcha, sive per se, sive per legatos, non tantum ut ordinem in synodis servet, sed etiam ut res definiendas proponat, amoveat, etc. prout sibi coram Deo visum fuerit.

Notandum vero hic est conditionem hanc, sicut et priorem, non requiri essentialiter ad *validitatem*, sed ad *liceitatem* Concilii, unde Concilia *acephala*, quæ œcumenica *celebratione* proinde non fuerint, œcumenica evadere possunt *acceptatione*, idest confirmatione Pontificis [5].

Jus demum confirmandi ex summa Pontificis auctoritate colligitur.

Addimus in Concilii definitione necessarium esse ut episcopi conveniant tractaturi *de fide et moribus:* nisi enim religionis causa, sed propter sæcularem aliquem finem congregarentur, non haberetur Ecclesiæ Concilium.

359. — Propositio: *Concilium œcumenicum a Summo Pontifice actu confirmatum, totam refert Ecclesiæ auctoritatem, summam scilicet, et infallibilem, in tradenda veritate revelata de fide et moribus.*

Dixi *actu confirmatum*. Non sufficit enim ut Concilium decreta certo vera edat, etiam sub præsidentia legatorum Summi Pon-

pro decentia, προς εὐκοσμίαν præsidebant. „ Int. Ep. Leon.; ep. xcviii. Aliquando etiam Pontifices honorem præsidendi possunt aliqua concessione ad alios transferre.

[1] Ita S. Cyrill. Alex. apud S. Th., opusc. *Cont. err. Græc.*, cap. lxviii.

[2] Socr., *Hist. Eccl.*, Lib. ii, c. xvii. Cf. Sozom., L. iii, c. x.

[3] Albertus M., iv, Dist xix, a. 10. Quod de jurisdictione ait B. Albertus, de cæteris dicendum est.

[4] S. Th. *Cont Impugn. Relig.*, c. iv.

[5] Cf. Cabassut, *Notit. Concil.*, et Gotti, *Theol.*, t. i.

tificis, imo et ipsius Pontificis, sed requiritur ut S. Pontifex, tamquam ex cathedra loquens, decreta solemniter approbaverit et explicite. Unde in propositione Concilium intelligimus, non tamquam adunantiam episcoporum, prout a Papa distinguitur, sed prout totius Ecclesiæ docentis, incluso ipso Papa, congregationem, quæ proinde constet omnibus fidei judicibus: tum subalternis qui sunt *authentici* quidem, sed *fallibiles;* tum supremo, qui est *authenticus* simul et *infallibilis.*

360. — *A* Probatur prima pars propositionis, nempe Conciliorum decreta *valorem* non sortiri definitivum ac irreformabilem, nisi ex Romani Pontificis confirmatione. Et ostenditur quidem

a) Ex allatis supra Scripturæ textibus, ad probandam Petri auctoritatem, qui semper et ubique fratres in fide, per se vel per successores, confirmare debet.

b) Ex traditionum innumeris monumentis. Sic Patres Concilii Nicæni, œcumenicorum primi, ita Sylvestro papæ scripserunt: " Quidquid constituimus in Nicæno Concilio precamur vestro oris consortio confirmetur [1]. "

Haud secus Concilium Constantinopolitanum, anno 381 celebratum, a Pontifice Romano robur accepit. Hinc namque ipsemet Photius: " Secunda Synodus... Eo congregati sunt 150 episcopi... Quibus non multo post tempore etiam Damasus romanus antistes, eadem confirmans, agnoscebatur consentaneus decretis factus [2]. " Imo concilium istud primitus nonnisi nationale fuit; postea autem ex confirmatione pontificia œcumenicum evasit [3].

Ita Concilium tertium œcumenicum, seu Ephesinum, ad Cœlestinum scribit: " Quia vero necesse est ut omnia quæ consecuta sunt sanctitati tuæ significentur, non potuimus non scribere [4]. " Ita perpetuo [5]. Cui doctrinæ innitantur facta illa sic declaravit Gelasius: " Totum in Sedis Apostolicæ positum est potestate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica,

[1] *Epist. Synod. in Collect. Crescon.* Quod testimonium confirmatur auctoritate et quidem historica Felicis papæ III, qui idem narrat. Cf. Mansi, *Concil.*, T. VII, col. 1140.

[2] *De Septem Synodis*, apud G. Vouëllium: *Biblioth. juris can. vet.*, T. II, p. 1443. En verba Photii: " οἷς οὐ πολύς χρόνος καὶ Δάμασος ὁ τῆς Ρώμης τὰ αὐτά κρατύνων ἐγνωρίζετο, σύμφονός τοῖς προλαβοῦσι καθιστάμενος. "

[3] Cf. Billuart, *De Trinit.*, Dissert. Prooem., Digress. IV.

[4] Act. V.

[5] Cf. Natal. Alex., *De Conciliis singulis;* Muzzarelli, *De auctorit. R. Pontificis.*

hoc robur obtinuit, quod refutavit habere non potest firmitatem [1]. „

Unde nullum unquam Concilium absque illa confirmatione auctoritatem irreformabilem obtinuit; quæcumque autem, etiam nationalia, ut dictum est de primo Constantinopolitano; etiam particularia quælibet, ut patet de Arausicano II, auctoritatem universalem obtinuerunt, quæ semel auctoritate Pontificis solemnius munita sunt.

361. — *c*) Rationes omnes desumuntur ex iis quæ supra diximus de auctoritate Summi Pontificis. Qui si desit, deest corpori ecclesiastico caput, seu membrum non modo primum inter omnia, non modo perfectius, sed etiam quod in omnia alia vitam influit, prout patet ex definitione capitis [2].

Notandum vero est, priusquam probetur altera propositionis pars, tripliciter confirmari a S. Pontifice posse acta alicujus Concilii, *antecedenter* scilicet, *concomitanter* et *consequenter*.

Aliquando enim S. Pontifex episcopis in concilium adunatis sententiam suam communicat jam prius solemniter assertam. Quo in casu, episcopi suffragium ferunt, et Pontificis sententiam in discussionem vocare possunt, non quidem ut dubitent, sed ut ejusdem fundamenta inquirant: unde eorumdem suffragium non ad dubium, sed ad accessionem est, quo sensu dixit Leo papa, “ universæ fraternitatis assensu firmari quod ipse definierat [3]. „ Adverte porro hanc accessionem non esse necessariam sive ut amplius removeatur timor errandi, sive ut fidelium mens plene Pontificis sententiæ adhæreat: utrumque enim pontificiam definitionem sequitur; sed ut habeatur motivum novum credendi, et quidem extrinsecum et accidentale, ex omnium episcoporum sententia et adhæsione, eodem fere modo quo varii dantur certitudinis gradus apud logicos. Etsi enim episcoporum auctoritas eminenter contineatur in auctoritate Pontificis, et potestas Papæ sit tota Ecclesiæ potestas, attamen sunt plures pro personis potestates in Ecclesia, quam solius Papæ potestas; unde cum isti illæ accedant, facilior erit omnium adhæsio, saltem ex parte multitudinis, præsertim si conjungatur personarum scientia atque sanctitas.

[1] Coletti, *Concil.*, T. v, col. 356. — Plura lege apud J. Roccaberti, *Bibl. Pontif.*
[2] Cf. Billuart, *De Reg. Fidei,* Diss. v, art. v; Gonet, *De Fide*, Disp. v, art. I.
[3] *Epist. ad Theodoret.*

Quo in casu, etsi præverterit sententia irreformabilis Summi Pontificis, episcopi tamen vere judices remanent et quidem liberi, quia, adempta specificationis libertate, ita ut episcopi contra Papam judicare non possint, remanere tamen supponitur libertas exercitii [1].

Nonnunquam autem fieri potest ut Pontifex et episcopi quasi simul suffragia ferant, si ipse Pontifex Concilio per se præsideat, et solemniter asserta communia ipse asserat: tuncque habetur confirmatio *concomitans*. Ita fere res evenit in Concilio Vaticano.

Sæpius tamen confirmatio sequitur episcoporum decisiones, ut patet ex historia Concilii Tridentini; atque inde habetur confirmatio *consequens*. In duobus hisce casibus, episcopi, prout ex se liquet, qua judices agunt, cum de non judicatis tractent, disputent ac sententiam ferant. Accedente confirmatione, irreformabiles evadunt sententiæ, Conciliumque habetur quod totam revera etiam materialiter Ecclesiam repræsentat docentem.

362. — *B* Probatur altera propositionis pars, scilicet Concilium hoc sensu intellectum pollere auctoritate summa et infallibili in decernendo de fide et moribus.

a) Innuitur assertum ex Scriptura, ubi Apostoli in unum concilium congregati, de suis decretis dicunt: " Visum est

[1] Quod quo plenius intelligatur, adverte in episcopis considerari posse et vices fidelium et vices judicum, ita ut illi sint simul et fideles et judices. Si considerentur qua fideles, tunc sententiam pontificiam semel latam exterius ac interius toto corde et mente accipere tenentur, etiamsi per se rationes sententiæ non perspicerent: unde hoc sensu nec specificationis nec exercitii libertatem apud se conservant. Si autem qua judices considerentur, certum est ipsis non amplius remanere libertatem contradictionis, quia judex inferior contra superiorem nihil judicare potest: utrum vero amiserint libertatem exercitii, ita ut sententiam ferre teneantur, quæstio difficilior videtur. Asserunt aliqui, addentes libertatem nullatenus inde lædi: quod tamen ægre alii capiunt siquidem nulla remanet libertas, ablata et exercitii et specificationis libertate; unde iidem vel contendunt episcopos non esse liberos nec proinde judices, sed tantum testes; vel saltem exercitii libertatem intactam servare, ita ut possint sententiam ferre vel negare. Neque in hoc dari videtur ipsis inconveniens, quia episcopi admittunt qua fideles sententiam; licet qua judices, seu ex propria conscientia et scientia opinantes, destitui possint scientia, opportunitatis certitudine, etc. Simpliciter vero statui posset episcopos, vel qua judices, teneri ad assentiendum supremi judicis latæ prius sententiæ: non quidem propter rei propositæ, sed propter auctoritatis proponentis evidentiam; hic tamen remanere quidquid perfectionis in actu libero datur, cujus dignitas consistit in summa conformitate cum summa ratione.

Spiritui sancto et nobis [1], „ asserentes sententiam suam simul esse Spiritus sancti sententiam.

b) Sic tota antiquorum traditio, unde in Concilio Lateranensi, sub Martino I, anno 649, legitur: “ Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem omnia quæ tradita sunt et prædicata sanctæ catholicæ et apostolicæ Dei Ecclesiæ, perindeque a sanctis Patribus et venerandis universalibus quinque Conciliis usque ad unum apicem verbo et mente, condemnatus sit [2]. „

S. Leo asserit Concilii œcumenici decreta esse “ a Spiritu sancto inspirata [3], „ eaque addit Nicolaus I habere “ auctoritatem divinam et Evangeliis parem [4]. „

Quibus dictis consonat usus universalis, siquidem in Ecclesia Dei semper et ubique hujusmodi Conciliorum auctoritati steterunt omnes quotquot in Ecclesia remanserunt, sive quoad veritatis asserta, sive quoad erroris damnationem.

363. — *c*) Idem comprobatur rationibus, quarum prima sit: Ecclesia docens summam auctoritatem, eamdemque infallibilem habet in decernendis fidei rebus, sicut supra ostensum est: atqui Concilium generale a Summo Pontifice confirmatum totam Ecclesiam docentem repræsentat, siquidem huc conveniunt omnes fidei judices in Ecclesia existentes [5]. Ergo.

d) Altera est: Summus Pontifex prædictam auctoritatem pariter habet, ut probatum antea fuit: ergo et eamdem sortitur Concilium ex plenitudine auctoritatis pontificiæ confirmatum [6].

e) Tertia erit *ab absurdo*. Si errare posset in decernendis fidei et morum rebus Concilium œcumenicum a Pontifice Summo confirmatum, tunc sane erraret ipsa Ecclesia, cum nullus remaneret amplius dux veritatis inter homines visibilis.

[1] Act. xv, 28.

[2] Can. 218. Cf. Can. 219-221. Cf. Symb. fidei a Leone IX propositum, circa finem; Propositiones 5ª, 6ª, 7ª et 8ª damnatæ Wickleff et Huss; Professio Fidei a Pio IV edita, circa finem; Professio fidei ab Urbano VIII et Benedicto XIV Orientalibus præscripta.

[3] Epist. LIII.

[4] *Epist. ad Mich. Imper.*

[5] Qui de hæresi Wikleff suspectus habebatur interrogandus erat “ utrum credat, teneat et asserat quod quodlibet Concilium generale..... universam Ecclesiam repræsentet. „ Cf. Denzinger, *Enchiridion,* n. 551. Cf. n. 552. Adeas Bullam “ Inter cunctas „ Martini V.

[6] Ex duabus illis probationibus collige eamdem esse auctoritatem essentialiter et Ecclesiæ, et Concilii œcumenici et Summi Pontificis.

Confirmatur. Vel populus christianus Concilio definienti repugnare potest, vel non potest. Si potest, ergo fideles fiunt veritatis judices contra episcopos, quod absurdum est; si autem non potest, tunc Concilium œcumenicum a S. Pontifice confirmatum manifesto debet esse auctoritatis summæ et infallibilis: secus namque fideles in errore invincibili de re salutis versarentur: quod bonitati ac justitiæ Dei dissonat.

364. — *Quæres.* Utrum Pontifex in confirmandis Concilii decretis teneatur sequi majoris partis sententiam?

Resp. neg. Etenim " sive pauci, sive plures ad errorem deflexerint, munus est apostolici antistitis ad veram eos fidem revocare, juxta illud quod Petro dixit Christus: Ego rogavi pro te ne deficiat fides tua; et tu, non unum et item alterum, sed sive paucos seu multos confirma fratres tuos. Ita Damasus scribens ad episcopos per Illyricum constitutos, numerum Concilii Ariminensis magna libertate contempsit; illique tantæ multitudini unum Vincentium et alios paucos opposuit, qui contra illius Concilii sententiam dixerunt. Et Leo, cum Anatholius decretum Chalcedonensis Synodi de Ecclesiæ Constantinopolitanæ primatu sexcentorum triginta Patrum consensione præferret, quasi, inquit, refutari nequeat quod illicite voluerit multitudo. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Concilia blandiantur, nec tercentis illis decem atque octo copiosior numerus sacerdotum comparare se audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Hactenus Leo [1]. "

DIFFICULTATES

365. — *Obj.* 1° Contra primam propositionis partem: Concilia ante Pontificis confirmationem anathema dicunt, decreta sua executioni mandant, ut Ephesinum contra Nestorium, Constantiense contra Hieronymum de Praga, etc.

Resp. In Conciliorum decretis duo sunt, scil. dogmata et sententiæ disciplinares. Quoad priora, opus est confirmatione summi

[1] Canus, *De Loc. theol.*, Lib. v, cap. v.

Pontificis unde robur suum adæquatum sortiantur, nisi Pontifex prius jusserit definiri juxta sententiam a se jamjam prolatam, ut supra diximus. Unde Concilium nondum confirmatum anathema dicit pro illo tempore quo a Pontifice confirmatum fuerit; i. e. *conditionate* seu *hypothetice*, non autem *absolute*.

Quoad vero sententias disciplinares, non est opus confirmatione pontificia ut executioni mandentur, obedientiamque requirant, licet contra easdem ad Pontificem recurri ab omnibus et semper possit.

Obj. 2° Contra alteram propositionis partem dixit S. Gregorius Nazianzenus: „ Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum ut omnem episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum et faustum vidi [1]. „

Resp. S. Gregorius loquitur de quibusdam Conciliis quæ propter peculiares circumstantias scandalis plena evaserunt, v. g. Seleuciense, Ariminense, etc.; vel agit de illis humanis incongruentiis quæ etiam in sancto cœtu occurrunt, nec tamen Spiritus sancti intentionem frustrant. Unde idem S. Gregorius de Nicæno hæc habuit: „ Nicænæ Synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes complectimur [2]. „

APPENDIX

DE CONCILIORUM ŒCUMENICORUM SERIE ET ACTIBUS.

366. — Hic addere juvat *indicem* Conciliorum generalium, brevemque de ipsorum actis præcipuis notitiam; ac *collectiones* actorum celebriores indicare, pro majori studiosorum ac faciliori utilitate.

I. *Conciliorum generalium chronotaxis.*

1. — Nicænum I, anno 325, sub S. Sylvestro papa, Constantino Magno regnante, adstantibus CCCXVIII Patribus, præsidentibus autem Osio ep., Vito cum Vincentio R. Pontificis legatis. Ibidem definitur Filium Dei cum Patre consubstantialem esse; condemnatur Arii impietas, ejusdemque libri comburi jubentur; conscribitur Symbolum exinde *Nicænum* nuncupatum.

[1] *Epist.* LV *ad Procop.*

[2] *Orat.* XLIX.

2. — Constantinopolitanum I, anno 381, sub S. Damaso papa, Theodosio I imperante, cui interfuerunt Patres CL, in quo propugnatur S. Spiritus divinitas contra Macedonium, cujus error damnatur. Symbolo Nicæno nonnulla de divinitate Spiritus sancti adduntur.

3. — Ephesinum, anno 431, sub S. Cœlestino I papa, Theodosio juniore imperante, adfuerunt Patres CC, præsidibus Cyrillo R. P. vicario, Archadio, Projecto episc., et Philippo presb. In quo damnatur Nestorii error qui duas in Christo personas seu hypostases asserebat; agnosciturque B. V. Maria tamquam θεοτόκος, Deipara, seu mater Dei.

4. — Chalcedonense, anno 451, sub S. Leone I, Martiano imperante, et Patribus DCXXX constitutum, sub præsidentia Paschasii, Lucentii et Juliani episc., et Bonifacii ac Basilii presb.: in quo excommunicatur Eutiches qui in Christo nonnisi unam naturam admittebat.

5. — Constantinopolitanum II, anno 553, sub Vigilio papa, Justiniano imperatore. Interfuerunt CLXVIII Patres, præfuit Eutychius Patriarcha CP. In quo componuntur lites trium Capitulorum circa doctrinam Theodori Mopsueni, Ibæ Edesseni, et Theodoreti Cyrani; atque damnantur Origenis errores.

6. — Constantinopolitanum III, anno 680, sub S. Agathone, imperante Constantino Pogonat. Astiterunt Patres CCLXXXIX, sub præsidibus Theodoro et Georgio presb., et Joanne diac. In illo confutatur Monothelitarum hæresis.

7. — Nicænum II, anno 787, sub Adriano I, imperantibus Constantio et Irene, CCCL Patribus constans, præsidibus Petro archipr. S. Petri, et Petro abbate S. Sabæ. In quo anathematizantur Iconomachi.

8. — Constantinopolitanum IV, anno 869, sub Adriano II, imperantibus Basilio Maced. in Oriente, Ludovico II in Occidente. Interfuerunt Patres CCCLXXXIII, præfuerunt Donatus Ost. ep., et Stephanus Nep. ep., et Marianus R. E. diaconus: in quo in suam sedem restauratur S. Ignatius patriarcha CP.; indeque expellitur Photius, qui et damnatur.

9. — Lateranense I, anno 1123, sub Callixto II, Henrico IV imperante, CCC Patribus constitutum, præside ipso Callixto II, in quo de Investituris actum est.

10. — Lateranense II, anno 1139, sub Innocentio II, Con-

rado III imperante, quod ad restituendam disciplinam, condemnandosque varios hæreticos, præsertim Petrobrusianos celebratum fuit. Adfuerunt Patres M, et præfuit Innocentius II.

11. — Lateranense III, anno 1179, sub Alexandro III, imperante Frederico I. Interfuerunt Patres CCC, et præses extitit Alexander III; in quo Waldenses et Cathari damnantur, disciplinaque revocatur in clerum.

12. — Lateranense IV, anno 1215, sub Innocentio III, Frederico II imperante, præsidente ipso Innocentio III, in quo reprobantur abbatis Joachim falsæ opiniones et Albigensium hæreses, Crucigerorumque bella indicuntur. Huic interfuerunt Patres MCCLXXXIII.

13. — Lugdunense I, anno 1245, sub Innocentio IV, regnantibus S. Ludovico in Gallia, Balduino II in Oriente, præside ipso Innocentio, in quo Fridericus II Ecclesiæ inimicus a CXLIII Patribus declaratur, sede sua privatur; Terræ sanctæ recuperatio jubetur, S. Ludovico duce; cardinalesque rubro pileo ornantur.

14. — Lugdunense II, anno 1274, sub Gregorio X, regnante Philippo III, in quo Græci Ecclesiæ Romanæ adhærent. Præses fuit Gregorius ipse, et interfuerunt Patres D.

15. — Viennense, anno 1311, sub Clemente V, regnante in Francia Philippo *Pulchro*. Adfuerunt Patres CCC; præfuit ipse Papa Clemens. In quo *Clementinarum* liber recipitur, Ss. Eucharistiæ processio solemnis in tota Ecclesia instituitur, doctoresque linguarum orientalium in quatuor ex celebrioribus universitatibus instituuntur, pro dilatanda fide inter Orientales.

N. B. Hic omittimus Concilia Pisanum, Constantiense et Basileense, celebrata annis 1409, 1414, 1431.

16. — Florentinum, anno 1439, sub Eugenio IV, Joanne Palæologo Orientis imperatore. Aderant Patres CXLI, præside ipso Eugenio. In quo Armeni et Abyssini Ecclesiæ Romanæ uniuntur; declaratur recte additum esse τὸ " Filioque " ad Symbolum, demumque celebre profertur testimonium de primatu Romani Pontificis.

17. — Lateranense V, anno 1517, sub Julio II et Leone X, in quo bellum Saracenis indicitur, propter Lutheri hæresim remissum; *Concordatum* Leonem X inter et Franciscum I con-

ficitur. Adfuerunt Patres CXIV; præfuerunt Julius Pp. et Raphael ep. Ost.

18. — Tridentinum, annis 1545-1563, sub Paulo III, Julio III, Marcello II, Paulo IV et Pio IV, in quo Lutherani aliique hæretici recentiores damnantur; disciplina vetus reducitur. Interfuerunt Patres CCLXXIII, præfuerunt successive varii cardinales, quorum nomina ubique leguntur.

19. — Vaticanum, anno 1870, sub Pio IX, cum DCCCLIV Patribus celebratum, in quo statuitur fidem inter et rationem concordia, atque definitur Romani Pontificis infallibile magisterium.

Octo igitur priora in Oriente, cætera autem in Occidente celebrata sunt.

II. *Præcipuæ Conciliorum collectiones.*

367. — 1ª græca, circa annum 385 confecta est, cura Stephani episcopi Ephesini, vel Sabini episcopi Heracleensis.

2ª iterum græca et antiqua, typis prodiit Parisiis, an. 1610, opera D. Justel Christophori, viri protestantis, sub hoc titulo: *Codex Canonum Ecclesiæ universæ a Justiniano imperatore confirmatus.*

3ª est Dionysii Exigui (sæc. VI) quæ prima vim legis habuit;
4ª est Jacobi Merlin, Parisiis, an. 1524;
5ª et 6ª est patris Crabe, ord. min. Coloniæ, 1538, 1551;
7ª Joverii, an. 1567;
8ª Surii, Coloniæ, an. 1567;
9ª Bollani, Venet., 1585;
10ª Romana, 1608;
11ª, 12ª, 13ª Binii, annis 1606, 1618, 1636;
14ª Parisina, an. 1644;
15ª Labbe et Cossart, an. 1672;
16ª Baluzii, an. 1683;
17ª Harduini, an. 1715;
18ª Labbei, Venet., 1732; cum suppl. Mansi, Lucæ, an. 1748;
19ª Mansi, Florentiæ, 1779.

Compendia seu Summas ediderunt plurimi, præsertim beatus Bartholomæus de Martyribus, Bartholomæus Caranza, Cabassut et Richard, qui propter egregiam methodum laudatur.

Canonistæ omnes de Conciliis agunt, ad quos te remittimus. Doctius autem rem ex professo Jacobatius illustravit.

II. Quomodo Ecclesia magisterio authentico, ordinario et inadæquato doctrinam exerat.

368. — Ecclesia prædicto modo sensum suum manifestat judicio episcoporum vel *singulatim* vel *in concilio judicantium.*

I. De auctoritate singularium episcoporum.

Hic nihil tractamus de auctoritate episcoporum simul in synodo coadunatorum, sed de eorumdem auctoritate seorsum sumptorum, singulatimque docentium. De quorum prærogativis ita Concilium Vaticanum: " Tantum abest ut Summi Pontificis potestas officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud S. Gregorii Magni: " Meus honor " est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meo- " rum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum sin- " gulis quibusque honor debitus non negetur [1]. „ Sic Vaticana Synodus [2].

Quomodo autem Apostolis succedant episcopi, sic tradit certa doctrina Canus: " Romanus Episcopus non fuit hæres aut privilegiorum aut culparum Petri propriarum, quæ videlicet ex accidenti publicæ Petri potestati conjungebantur, sed successit in his quæ spectabant ad Ecclesiæ communes et necessarias commoditates. Nam privilegia Apostolis a Christo concessa, aliter ad ipsos, aliter ad successores referuntur. Quippe in Apostolis fuerunt etiam privilegia personalia amplioris gratiæ quam in posteris. Ut, verbi causa, per illa verba: " Quæcum- " que ligaveritis super terram, „ etc., et per illa: " Sicut misit " me Pater, et ego mitto vos, „ etc. intelligimus potestatem generalem in universum orbem Apostolos suscepisse. Ita pares

[1] *Epist. ad Eulog. Alexand.*, Lib. VIII, ep. XXX.
[2] Const. *Pastor æternus*, cap. III. Cf. Trid., Sess. XXIII, c. IV, can. 7.

Petro dicuntur XXI Dist., cap. *In novo*, et XXIV, q. I, cap. *Loquitur.* Sed episcopi posteriores non successere Apostolis in potestate generali extraordinaria, sed in ordinaria, quam singuli in suis Ecclesiis Apostoli habuerunt, ut Simeon Jacobo in Ecclesia Jerosolymitana [1], etc. „

Neque in dono inerrantiæ singulis concesso successerunt, exceptis Petri successoribus, quia, ut patet Evangelio, inerrantia Petro tamquam donum seu charisma ordinarium concessa fuerat.

Quibus ita se habentibus, quærimus quænam sit episcoporum in judicando auctoritas.

Cui quæsito ut respondeatur advertendum est in aliqua sententia duo considerari posse, aliud nempe ex parte subjecti, aliud ex parte objecti, seu quænam sit ejusdem *authentia*, (αὐθεντια) quænam *veritas.* In Summo Pontifice summa est sententiarum ejusdem solemnium et authentia et veritas, quia ipse jus summum habet ut doceat et audiatur, et quia in docendo veritatem semper docet. Quærimus ergo quænam sit episcopalium sententiarum et authentia seu authenticitas, quænam veritas.

369. — PROPOSITIO I. *Episcopi jus habent judicandi authentice de fide et moribus.*

Probatur

a) Ex Scripturis. Hæc Christus omnibus Apostolis: “ Sicut misit me Pater, et ego mitto vos [2]. „ Quomodo autem illud sit intelligendum ostendunt ipsæ Scripturæ. Episcopi enim debent regere Ecclesiam, juxta illa D. Pauli verba ad *Seniores* Ecclesiæ [3], i. e. episcopos, quos Mileti congregaverat: “ Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos

[1] *De Loc. theol.*, Lib. VI, cap. ult. [2] Joan. XX, 21.

[3] Act. XX, 17. Græce πρεσβυτέρους, quod Vulgata vertit “ majores natu. „ Sciunt omnes titulum πρεσβυτέρος fuisse primitus et presbyteris et episcopis communem *. Hic Patres omnes, sive contextum, sive traditionem sequentes, intelligunt de episcopis tantum, quidquid dicat Cornelius a Lapide. Voce autem πρεσβυτερο primitus episcopos designasse videntur, cum nihil aliud sit quam translatio vocabuli זקנים *seniores*, seu synagogarum capita et membra τοῦ Συνέδριου Hinc S. Ignat. vocat apostolorum cœtum πρεσβυτέριον Ἐκκλησίας **.

* Cf. Act. XX, 17 et 28; Tit. I, 5 et 7; I. Petr. V, 1 et 2; II. Joan. I, 1. Cf. Chrysost., hom. I in cap. I *ad Philipp.* et Clem. *ad Cor.* I, c. XLII, XLIV, IL. ** *Epist. ad Philad.*, c. V.

regere Ecclesiam Dei [1]. „ Pro *regere* græce habetur ποιμαινειν. Jam vero scimus vocabulum istud nihil nisi potestatem gubernandi significare. Quapropter episcopi omnes in Concilio Jerosolymitano congregati, se de dogmatibus fidei judicare asserunt: “ Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria [2]. „ Demum ipsis incumbit jus corrigendi defectus, judicandi presbyteros; dicit enim Apostolus ad Titum: “ Reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego dısposui tibi [3]; „ et ad Timotheum: “ Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus [4]. „

Quæ auctoritates omnes manifeste ostendunt episcopis competere, jubente Deo, jus docendi, unde nobis imponitur audiendi munus et debitum: istud autem nihil aliud est quam authentice de doctrina judicare.

Confirmatur ex omnibus quæ Joannes ad Angelos septem Ecclesiarum in Apocalypsi scribit, eos alloquens tamquam doctrinæ magistros [5].

370. — *b*) Ita traditio Patrum. “ Omnes episcopum sequimini, ait S. Ignatius, ut J. Christus Patrem, et presbyterum ut Apostolos: idcirco vos autem revereamini ut Dei mandatum. Nullus sine episcopo aliquid operetur eorum quæ conveniunt in Ecclesia. Illa forma gratiarum actio reputetur, quæ sub ipso est, vel quam utique ipse concesserit [6]. Ubi apparet episcopus, illic et multitudo sit, quemadmodum utique ubi est Christus Jesus, illic catholica Ecclesıa. Non licitum est sine episcopo neque baptizare, neque agapen facere [7]; sed quod utique ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum ut stabile sit, et firmum omne quod agitur. Honorans episcopum a Deo honoratus est: qui occultum ab episcopo aliquid operatur, diabolo præstat obsequium [8]. „

[1] Act. xx, 28.
[2] Act. xv, 28.
[3] Ad Tit. I, 5.
[4] I. Tim. v, 19.
[5] Apoc., cap. II et III præsertim. Cf. Gal. IV, 14.
[6] Εκείνη βεβαία Εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρεψῃ. Ita ex edit. Funck.
[7] Οὐκ ἐξόν ἐστίν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίξειν οὔτε προσφέρειν, κ τ λ. Ibid.
[8] *Epist. ad Smyrn.*, cap. VIII.

Ita perpetuo sanctus ille doctor et martyr Apostolis coætaneus [1].

S. Dionysius consentit: " Est igitur, inquit, pontificatus seu episcopatus ordo, qui consummante virtute fultus, perficientia quæque sacri ordinis munia præeminenter consummat, atque sacrorum disciplinas interpretando tradit, et edocet quænam ipsis sacræ competant habitudines et virtutes [2]. "

S. Cyprianus: " Dominus noster, cujus præcepta metuere et observare debemus, episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur et dicit Petro: Ego tibi dico quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, etc. Inde per temporum et successionum vices, episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, quando Ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus sit constituta [3]. " Ita Patres omnes [4].

371. — *Confirmatur I.* Ex eo quod antiquitus solebant Ecclesiæ episcoporum suorum seriem texere, ut inde doctrinæ suæ authentiam comprobarent. Unde apud Eusebium hujusmodi episcoporum chronotaxes inveniuntur nobiliores, ab antiquis auctoribus indicatæ, præsertim Romanæ, Jerosolymitanæ, Corinthiacæ, etc. [5]; hinc Ecclesiæ illæ catalogos illos summa veneratione asservabant, ut apparet ex earumdem liturgicis libris [6]. Quocirca sic arguebat S. Irenæus: " Habemus numerare eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et suc-

[1] Cf. *Epp. ad Magn.*, c. VI; *ad Trall.*, c. II; *Ad Philad.*, c. III, hæc habet: Οσοι γὰρ θεοῦ εἰσιν καὶ Ιησοῦ Χριστοῦ οὗτοι μετὰ τοῦ Ἐπισκόπου εἰσίν; *Ad Polycarp.*, c. IV: Τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, ἵνα καὶ ὁ θεὸς ὑμῖν. etc. Cf. Dissertationes Jac. Usserii, Is. Vossii et Joan. Pearsonii, in Epistolas S. Ignatii. Vide editionem PP. Apostolicorum a cl. Funck curatam.

[2] *De Eccles. Hierarch.*, cap. V.

[3] *Epist.* XXXVII *ad Lapsos.*

[4] Cf. *Herm. Pastor.* Lib. III, 5; *Canon. Murat.*, § XX; Hegesip. apud Euseb., *Hist. Eccles.*, Lib. II, 29, etc. Vide innumera documenta apud Natalem Alex., *Hist. Eccles.*, Sæc. IV, Diss. XLIV. Cf. Petav., *De Hierarch. Eccl.;* Thomass., *De Vet. et Nov. Disc.*, T. I; Mamachi, *Orig. et Antiq. Christ.*, T. I.

[5] Cf. Euseb., *Hist. Eccl.*, Lib. IV, c. V, XXII, etc.

[6] Cf. Martene, *De Antiq. Eccl. Rit.*, Lib. I, Part. II, cap. VIII, a. 11; Goar., *Euchology.*, p. 307, 311, etc. Vide Opp. Morini, Assemani, etc.

cessores eorum usque ad nos [1]. „ Ita Tertullianus qui hæreticos sic arguebat: " Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia habet Polycarpum ab Joanne collocatum; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum ibidem; perinde utique et cæteræ exhibent quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant [2]. „

372. — *Confirmatur II* ex variis iisdemque significantissimis titulis ac nominibus, quibus donantur episcopi apud veteres.

Episcopus enim nihil aliud est quam ille cui munus invigilandi, imo superintendendi (επι-σκορειν [3]) commissum fuit: επίσκοποι apud Athenienses erant prætores illi qui ad jus dicendum mittebantur in oppida sub Atheniensium ditione posita [4]. Haud secus in ecclesia ejusdemque ditione episcopis committebantur παροικία, διοίκησις, tamquam Apostolorum successoribus. Quia tamen vocabulum illud, præsertim adjective usurpatum, nonnunquam simplices sacerdotes designavit, hinc quonam sensu de episcopis proprie dictis intelligeretur indagandum est; quod eximie apparet ex synonimis, adjectivis, titulis, quibus ornantur illi [5].

[1] *Adv. Hær.*, L. III, c. III.

[2] *De Præscr.*, cap. XXXII. Cf. quæ supra diximus de Traditione.

[3] Επισκοπειν idem est ac *supra intendere* " Quod quidem græce significantius dicitur ἐπισκοποῦντες, i. e. superintendentes, unde et nomen episcopi tractum est. „ Hieron. *Epist.* LXXXI *ad Evagr.* Cf. Aug., *Enarrat. in Ps.* CXXVI; *De Civit. Dei*, Lib. XIX, cap. XIX; Isidor., *Orig.*, Lib. VII, c. XI.

[4] " Ἐπίσκοπος ἥκω δεῦρο τῷ κυάμῳ λαχών. „ (Aristoph., *De avib.*). Hos Ἁρμοστάς, seu *moderatores* vocabant Lacedæmonii. Unde et S. Dionysius vocavit ἁρμοστάς episcopos nostros: Καὶ ἤνταυθα τοίνυν ἁρμοστὴν τὸν ἄρχοντα τῆς Ἐκκλησίας Ἐπίσκοπον οἰκείως ὠνόμασε. „ S. Maxim., *Schol. in Dionys. De Eccl. Hierarch.*, cap. III. Apud Romanos antiquos et episcopus fuit, tum in profanis: " Vult me Pompejus esse quem tota hæc Campania et maritima ora habeant ἐπίσκοπον (Cic. *Epist.*, Lib. VII, ep. XI); tum in sacris, cum Plutarchus de Numa hæc tradat: ἦν καὶ τῶν παρθένων (scil. *Vestalium*) ἱερῶν ἐπίσκοπος. „

[5] Notandum tamen est LXX nomen ἐπίσκοπος usurpasse in sua V. Testamenti versione, ut significarent rerum sacrarum *Detentorem* (Num. IV, 16; XXXI, 14), vel etiam *seniorem* (Num. XI, 16; Jer. XIX, 1, etc.). Levitarum *præfectus* dicitur episcopus (II. Esdr. XI, 22) hebraice פקיד. In Novo autem Testa-

Vocatur enim episcopus, apostolus, apostolicus, successor Apostolorum, vir apostolicus, προεστώς, προεστώς τῆς ἐκκλησίας, ὁ προσστατῶν ἄγγελος, προϊστάμενος, πρόεδρος, præpositus, præsidens, antistes, primus presbyter, ἄγγελος, angelus Ecclesiæ, ἔφορος, speculator, inspector, προηγούμενος, πρωτοκαθεδρίτης, παπας, ἄρχων, princeps Ecclesiæ, rector, præsul, ἱεράρχης, ὁμέγας ἱεράρχης, sacerdos, pontifex, summus sacerdos, summus pontifex, maximus pontifex, Μεσίτης, mediator, pater patrum, episcopus episcoporum, vicarius Apostolorum, vicarius Christi, vicarius Dei, ποίμην, pastor [1], πατριάρχης, θεὸς ἐπίγνως μετὰ θεον, thronus Dei, etc. Cognominatur autem sanctissimus, beatissimus, reverendissimus, Deo amabilis, piissimus, religiosissimus, ἁγιώτατος, θεοφιλέστατος, μακαριώτατος, αἰδεσιμώτατος, ὁσιώτατος, εὐλαβέστατος, θεοσεβέστατος, dominus, domnus, δεσπότης, sanctitas, χρηστότης, αγιότης, μακαριότης, etc. [2]. Qui tituli auctoritatem eximiam supponunt ac significant.

Confirmatur III eo quod quum Aerius, sæc. IV errorem suum, a recentioribus nostris hæreticis innovatum, propalavisset, de æqualitate episcopum inter et sacerdotem simplicem, ab omnibus ecclesiis omnium confessionum unanimi consensu damnatus est [3].

Confirmatur IV. Ex archæologia quæ nobis exhibet cathedras episcoporum eminentiori vel digniori loco in ecclesia positas, ac summo honore apud fideles habitas. Hinc velaminibus pretiosis circumdabantur, et, quod significantius est, columba, Spiritus sancti symbolum, imminens desuper repræsentabatur [4]. Imo hodiedum episcopus jus habet cathedram propriam eam-

mento, prima vice adhibetur vox ἐπισκοπή, ad significandum *apostolatum* (Act. I, 20), ipsique Apostoli judicant eodem tantum munus significari, ex antiquis prophetiis v. gr. ex Ps. CVIII, 8: " Episcopatum ejus (hebr. פקחה) accipiat alter. " Cf. Ps. LXVIII, 26.

[1] S. Petrus vocabula *Pastor* et *Episcopus* seu Ποίμην et ἐπίσκοπος, profert de Christo loquutus, Ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα. ἀλλ᾽ ἐπιστράφητε νῦν ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν (al. ἡμῶν) I. Petr. II, 25. Episcopus enim custos est, custos autem pastor.

[2] Harum nomenclaturarum locos invenies indicatos apud Mamachi, *Orig. et Antiq.*, Lib. IV; W. H. Haddan, *Dictionary of Christ. Antiq.*, T. I; Kraus, *Real-Encycl.* art. *Bischof;* Goschler, *Diction. de Théol Cath.* etc.; Martigny, *Diction.* ad vocab. *Evêques.*

[3] Renaudot, *Perpétuité de la foi,* T. V, L. V, c. X.

[4] Cf. Martigny, *Dict.* art. *Chaire;* Kraus, *Real.-Enc.* art. *Kathedra;* Viollet-le-Duc, *Dictionn. d'Arch.*, art. *Chaire, Chaise.*

demque eminentiorem habendi in sua Ecclesia, etiamsi Capitulum ab ipsius jurisdictione eximatur [1].

Iterum confirmatur assertum nostrum ex archæologia, qua discimus indumentorum episcopalium naturam atque historiam. Unde notat S. Thomas novem ornamenta concedi, quæ presbyteris non conceduntur, propter novem quæ soli faciunt episcopi [2].

373. — *c*) Recte igitur ita statuit Trident Synodus: " Sancta Synodus declarat præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse [3]. „ Vaticana autem: " (Episcopi) positi a Spiritu sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos pascunt et regunt [4]. „ Positi sunt ergo a Spiritu sancto ut greges pascant, præsertim cibo doctrinæ: unde authentice doctrinam certo interpretantur.

374. — *d*) Probatur ex rationabilibus congruentiis.

In omni societate bene ordinata, præter societatis principem, dantur et alii qui sub ipso subditorum partes regunt, cum impossibile sit unum omnibus particularibus attendere; dantur imprimis legum interpretes authentici: ergo idem occurrit in Ecclesia.

Confirmatur hac ratione theologica, scil. quod Ecclesia christiana Ecclesiæ judaicæ respondere debuit: atqui in Ecclesia judaica præter summum sacerdotem, et sub ipso alii in synagogis minoribus authentice legem interpretabantur. Ita igitur res habere se debuit in Ecclesia christiana.

[1] Cf. De Vert, *Cérém. de l'Egl.*, T. I, p. 68; Bergier, *Dictionn. de Théol.* Recole iterum quæ diximus de *Traditione.*

[2] IV. Dist. XXIV, q. III, a. 3, et *Suppl.* q. 40, a. 7. De singulorum paramentorum significatu vide Durandum Mimat, *Rationale divinorum offic.;* Goschler, *Dictionn. de Théol. Cath.;* Lamy, *De erudit. Apost.*, T. I, edit. 1766; Jaquin, *Dictionn. d'Ant. Chrét.* De Pallio speciatim cf. Bianchi, *Della Potestà della Chiesa,* T. III, Cf. Martigny ad voc. *Evêques*, *Pallium*, etc.

[3] Sess. XXIII, cap. IV. Cf. Can. VII. Quomodo episcoporum potestas a potestate presbyterorum differat, sic indicat Angelicus: " Potestas sacerdotis exceditur a potestate episcopi, quasi a potestate alterius generis „ (*Suppl.*, q. 40, a. 6, ad 3m). Idcirco non omnia potest sacerdos quæ potest episcopus.

[4] Const. *Pastor æternus,* cap. III.

DIFFICULTATES.

375. — *Obj.* 1° Nomina *episcopus* et *presbyter* idem primitus significabant, ita ut promiscue usurparentur: ergo nihil episcopo competit quod non competat presbytero.

Resp. In vocabulis, præsertim in nominibus, duplex significatum passim invenitur: aliud quidem primigenium et radicale, seu ex radicibus verbi indicatum; aliud artificiale et usuale, quod usu inditur.

Porro in prædictis vocabulis significatio radicalis non est nisi generica, atque ex se aliquid significat quod episcopis et presbyteris, imo et prætori civili convenit, scil. invigilandi officium, gravitatem, prudentiam, etc.

Primitus ergo adhibebantur generice, quin tamen excluderentur speciales significationes quæ ex usu et circumstantiis adnecti poterant. Postea vero istæ eædem significationes speciales usu inditæ fuerunt, ita ut episcopus κατα ἐξοχην diceretur qui sacerdotii plenitudinem sortitus fuerat, cæteri autem presbyteri vocarentur [1]. Ita Chrysostomus in hunc textum: " Cum episcopis et diaconibus [2], „ hæc habet: " Itane unius civitatis plures episcopi? Nequaquam! Sed hoc titulo (Paulus) designat presbyteros: tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune [3]. „ Ex usu autem commune amplius postea non remansit.

376. — *Obj.* 2° Cum ex Concilio Vaticano Romanus Pontifex immediatam habeat jurisdictionem in omnes et singulos fideles, ac præterea sit infallibilis, inutile ac superfluum evasit episcoporum magisterium, neque amplius audiendum est magis quam curatorum.

Resp. 1° Nihil post Concilium Vaticanum Romano Pontifici pertinet quod prius non pertinuerit: unde objectio illa semper et ubique afferenda fuisset.

Resp. 2° Jurisdictio immediata Summi Pontificis in omnes

[1] Circa Sæc. III, significatum mere ecclesiasticum accepisse videtur illud vocabulum, tuncque primum in sepulchris episcoporum inscribitur, sic EP vel EIIIC. Cf. Martigny, *Dictionn.* ad voc. *Evêques;* De Rossi, *Bollett. Arch.* 1864, n. 7; Donati, CLXXXIII, 2, etc.

[2] Ad Philipp., c. I, 1.

[3] Hom. I, In *Epist. ad Philipp.*

singulosque fideles nullatenus impedit quominus et episcopi jurisdictio sit immediata [1]; sicut principis jurisdictio nihil impedit quin ad subditos sese extendat pariter consulum auctoritas. Ratio est quia tota subalterni auctoritas ab auctoritate subalternantis, ut causa secunda a causa prima, procedit [2].

Auctoritate vero episcopi cum auctoritate aliorum sacerdotum collata, hæc habet S. Thomas: " Episcopi principaliter habent curam ovium suæ diœcesis; presbyteri autem, curati et archidiaconi habent aliquas subministrationes sub episcopis; unde super illud I. ad Cor. XII: Alii opitulationes, alii gubernationes, dicit Glossa: Opitulationes, idest qui majoribus ferunt opem, ut Titus Apostolo, vel archidiaconi episcopis; gubernationes, scil. minorum personarum prælationes, ut presbyteri sunt, qui plebi documento sunt. Et Dionysius dicit cap. v Eccles. hierarchiæ, quod sicut universalem hierarchiam videmus in Jesu terminatam, ita unamquamque functionem in proprio divino hierarcha, idest episcopo. Et Dist. XVI, quæst. I, cap. *Cunctis:* Omnibus presbyteris et diaconibus attendendum est ut nihil absque proprii episcopi licentia agant. Ex quo patet quod ita se habent ad episcopum, sicut balivi vel præpositi ad regem; et propter hoc sicut in mundanis potestatibus solus rex benedictionem solemnem accipit; alii vero per simplicem commissionem instituuntur; ita etiam in Ecclesia cura episcopalis cum solemnitate consecrationis committitur; cura autem archidiaconatus et plebanatus cum simplici injunctione; consecrantur tamen in susceptione ordinis, scilicet antequam curam habeant [3]. „ Ea sunt Angelici verba.

[1] Cf. S. Th., *Quol.* XII, a. 31; Sent. IV, Dist. XXIV, q. ult. a. 2, sol. 31. S. Leo M. ait: " Si quid cum eo (Papa) commune cæteris voluit esse principibus (Deus), numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit. „ (Serm. III. *De ass. ad Pont.*).

[2] Procedit saltem quoad exercitium, quia hic quæstionem non aggredimur utrum episcopi auctoritas sit immediate a Deo necne.

[3] 2. 2., q. 184, a. 6, ad 2m. Cf. S. Th. *In Sent. II.* Dist. ult.; Expos. litt.

Hinc omnino damnandi sunt illi *ephemeridum* scriptores, homines laici, rerumque divinarum ignari, qui tamen rerum divinarum judices ac æstimatores agunt contra episcopos. Quibus non immerito aptaveris hæc S. Cypriani verba *ad Pupianum:* " Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio ad cognitionem suam præpositos et sacerdotes vocare; ac nisi apud te purgati fuerimus, et sententia tua absoluti, ecce jam sex annis nec fraternitas habuerit episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, nec Ecclesia gubernatorem, nec Christus antistitem, nec Deus sacerdotem! „ Cypr., *Epist.* LXIX, juxta editionem Pamel.

377. — PROPOSITIO II. *Episcopi certo veritatem docent, si omnes eamdem teneant sententiam; probabiliter, si aliqui tantum eadem conveniant sententia, aliis non contradicentibus; dubie, si aliqui asserant, aliqui negent.*

Suppono 1° episcoporum auctoritatem non esse summam, hoc sensu quod excludatur Romani Pontificis auctoritas; quod patet tum ex dictis, siquidem probatum est S. Pontificis auctoritatem esse summam simul et immediatam quoad omnes et singulos fideles: impossibile est ergo aliam dari auctoritatem quæ simul summa sit; tum ex illa Pistoriensium damnata propositione, qua schismatica Synodus profitebatur " persuasum sibi esse episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ diœcesis [1]. „ — " Perinde, prosequitur Pius VI, ac si ad bonum regimen cujusque diœcesis necessariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes summos Pontifices et Concilia generalia, pro universa Ecclesia; „ unde propositio illa dicitur " schismatica, ad minus erronea [2]. „

Suppono 2° præsumendum esse episcopum vera docere quotiescumque in ecclesia sua docet. Quæ præsumptio non erit quidem *juris et de jure*, cui opponi probatio in contrarium nequit; sed *præsumptio juris*, cui opponi potest probatio in contrarium, licet tamen in dubiis semper pro auctoritate episcopi standum sit. Cum enim Christus episcopis docendi munus commiserit, ipsos audiri voluit, etsi tamen jus nobis fecerit ad magisterium supremum appellandi. Omnibus quidem Christus dixit: " Docete omnes gentes: „ etsi non omnibus: " Tibi dabo claves regni cœlorum. „ — " Pasce oves, pasce agnos; „ " Confirma fratres tuos, etc. „

Suppono 3° illud " omnes episcopi, „ intelligendum non esse hoc sensu quod nullus omnino contradicat vel abstineat, sed de totalitate morali, quam haberi dicit Perronius cardinalis, " cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione conveniunt, ita ut inter illos nemo qui semper orthodoxus, semperque orthodoxis adhæsit, dissentiat [3]. „

[1] Prop. 6ª.
[2] Ex Bulla *Auctorem Fidei*. Cf. alias propositiones damnatas, scil. 7, 8, 74, 77.
[3] *Resp. ad Reg. Britt.*

Nec requiritur ut omnes omnium temporum episcopi consentiant: sed sufficit ut omnes alicujus temporis episcopi similiter et publice sentiant ac doceant de rebus fidei moribusque pertinentibus [1].

378. — *A*. His præhabitis, probatur prima pars propositionis, scilicet episcopos veritatem certo tradere, si in eadem sententia conveniunt.

Non quæritur quænam sit episcoporum auctoritas, dum docent veritates prius definitas, seu ad fidem catholicam eamdemque definitam pertinentes. Tunc enim patet ipsorum auctoritatem discrepare non posse ab Ecclesiæ definientis auctoritate. Sed inquirimus quænam sit eorumdem auctoritas, si illa definitio vel non existat, vel in philosophando non attendatur.

Præterea non asserimus certo veram esse *in se* omnem quamcumque propositionem quam simul omnes docuerint episcopi; sed eamdem esse qualem docent, scil. certo veram, si tradunt ut veram; certo probabilem, vel probabiliorem, etc. si ut probabilem vel probabiliorem exhibeant.

Quæ distinctio oblivioni tradenda non est, ne in errorem labatur aliquis, dum certam faceret propositionem quæ non nisi ut certo probabilis ab episcopatu traderetur, quod sane esset contra mentem episcoporum opinari. Etenim, quidquid somniaverint Genuensis aliique minus sani philosophi, certitudo non componitur multis probabilitatibus vel probabilitate multipliciter asserta. Ratio est quia perspecta mentis cum re conformitas, seu certitudo, est quid essentialiter unum et simplex, nec in frustula dispergi potest, neque ex frustulis congestis constat.

Hinc sequitur quod si episcopi omnes aliquam sententiam simul doceant ut probabilem tantum, opinio hujusmodi probabilis omnino remanet, proindeque et probabilis remanet sententia opposita: unde hæc sententia omnium episcoporum essentialiter reformabilis est non solum Summo Pontifice, vel Concilio generali, sed etiam aliis futuris episcopis vel doctoribus, qui opinionem contrariam amplecterentur, atque etiam hanc posteriorem, luce meliori facta, ut certam, priorem vero ut improbabilem et falsam traderent [2].

[1] Hic forsan quæres utrum errare possint omnes simul episcopi in credendo, seu opinando apud se. De qua quæstione, cf. Bañez, in 2. 2., q. 1, a. 10, Dub. 3.

[2] Hic notasse juverit aliquam propositionem simul et minus probabilem

Atque illa certitudo vel probabilitas ab omnibus episcopis asserta, nullatenus sumenda est pro certitudine vel probabilitate personali episcoporum theologorum qua privatim opinantium, sed juxta respectum quem episcopi in docendo servare debuerunt ad veritatem catholicam. Aliquis enim opinione ut certum sibi tenere potest, quod tamen non nisi probabile in Ecclesia esse agnoscet; vel ut falsum propria sententia respuere, quod tamen Ecclesia ut improbabile nondum definivit. Sic v. gr. aliquis thomista opinando molinistarum doctrinam aliquam respuet quam tamen ut probabilem in jure publico admittet. Unde pensanda est omnium episcoporum sententia ex illa quæstione, utrum nempe tamquam doctores privatim opinando et arguendo loquuti fuerint; utrum vero tamquam doctores ac judices publici, et qua tales asserendo.

Inde colligimus episcopos etiam omnes nunquam opinionem aliquam in Ecclesia ut certam tradere nisi hypothetice seu conditionate, supposita scilicet supremæ illius auctoritatis confirmatione sive concessa sive concedenda; si autem ista confirmatio vel supponatur vel asseratur ab episcopis omnibus docentibus, tunc ex ipso consensionis illius facto certa evadit.

Sensus ergo asserti nostri est episcoporum omnium sententiam esse vel certo veram vel certo probabilem, si ut veram, aut probabilem, qua judices fidei asserant, juxta prius explanata.

Probatur :

379. — *a*) Juxta Apostolum, Christus " dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores,... in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei,... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ [1]. "

Confirmatur ex jussione ejusdem Pauli ad Timotheum facta, custodiendi scilicet depositum traditionis, quæ jussio sane episcopis omnibus competit [2].

et tutiorem esse posse. Quod evenisse dicunt in controversia de Imm. Conceptione, priusquam dogma definiretur. Aliquando enim adversantium sententia tutior videbatur, prout conformior ad doctrinam definitam de transmissione peccati in omnes Adæ posteros; minus autem probabilis propter multitudinem eorum qui exceptionem asserebant.

[1] Ad Ephes., Cap. IV, 11-14. [2] I. Tim. VI, 20.

b) Probatur ex traditione, quam ita enucleat Bañez: " Imprimis ex Epistola Ephesini Concilii ad Nestorium, a quo exigitur ut juret se sentire quæ universi per Orientem et Occidentem episcopi principesque populorum crederent ac docerent. Quæ epistola comprobata est a sexta Synodo, act. II.

" (Item) Augustinus, lib. XXVIII, *cont. Faust.*, c. II, et lib. XXXIII, cap. IX, ideo putat aliquem librum esse verum et canonicum, quia omnes episcopi succedentes Apostolis, illum receperunt: ergo illorum omnium auctoritas vera est.

" Item Ægesippus qui fuit vicinus temporibus Apostolorum, circa annum Domini 160, ut auctor est Eusebius, lib. IV, *Hist. Eccles.*, cap. XXII, hac tantum via veram fidem diligenti investigatione quæsivit, consulens scilicet quid singuli et omnes episcopi doctoresque in fidei dogmatibus sentirent atque docerent.

" Item Irenæus, lib. III, cap. III, et lib. IV, cap. XLIII et LXIII, sensum omnium doctorum et episcoporum putat sufficere ad ostendendum aliquam veritatem esse de fide: et qui eorum sensui refragatur ait sententiæ Ecclesiæ refragari. Et Cyprianus, l. IV Epist., epist. IX, eum Ecclesiæ sentit contradicere, qui episcoporum sententiæ resistit. De quibus dixit Deus: Qui vos audit, me audit [1], etc. „

380 — *c*) Probatur rationibus.

Quarum prima hæc est, impossibile nempe esse tot tantosque viros, doctrina et virtute præstantes, locis distantes, in re tanti momenti, eadem sententia convenire, quin sit vera hæc sententia, seu cum veritate infallibili conveniat, quia veritas sola eademque clare perspecta unitatem hujusmodi parere potest, ita ut omnes idem eodem modo asserant.

d) Altera hæc est, scilicet errantibus omnibus episcopis, " totam Ecclesiam posse errare: nam populus simplex tenetur doctrinam doctorum sequi, juxta illud Matth. cap. XXIII: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi: omnia ergo quæ dixerint vobis servate et facite. De quo vide Greg. lib. II *Moral.*, cap. XXV, sup. illud Job, cap. I: Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos: si ergo dicunt et docent falsa, non bene

[1] In 2. 2., q. 1, a. 10, Dub. 3 in fusiori Comm. Rem gravius asserit et probat S. Augustinus, *Cont. Jul.*, Lib. II, n. 33.

Deus Ecclesiæ suæ providit præcipiendo nobis sequi eorum doctrinam [1]. „

381. — *Confirmatur* ex hoc quod episcopi non tantum docent in propriis ecclesiis, sed etiam de istarum fide judicant et testificantur. Constat enim ex universali credentia omnium ecclesiarum erui posse argumentum certum quoad traditionem in rebus fidei. Cujus asserti exemplum recentius habemus in definitione Immaculatæ Conceptionis, quum prius omnium Ecclesiarum traditio et sententia inquisita fuerit, indeque educta dogmatis probatio [2]. Sed vero impossibile foret ecclesias particulares consulere, si errarent simul episcopi omnes. Etenim, inquit Bañez, " Consensus populorum a quo fidei dogmata debemus petere, non est consensus omnium fidelium, etiam simplicium: sed tantum doctorum et pastorum Ecclesiæ, tum quoniam isti res fidei, quas populus ignorat, tenentur scire, ut quod Pater et Filius sint unum principium Spiritus sancti, quod lex antiqua non justificaret; tum etiam quoniam istorum sententia facilius innotescit; consulere autem omnium fidelium sensum esset impossibile: ergo si istorum doctrina est falsa et erronea, non erit certa regula ad res fidei probandas [3]. „

e) Tertia est impossibile esse omnes episcopos simul unam eamdemque sententiam publice docere in Ecclesia, quin reclamet et damnet eam Summus Pontifex, si falsa et erronea fuerit, si nempe ut certa tradatur quæ probabilis tantum fuerit; vel ut probabilis quæ certa omnino fuerit aut omnino falsa; vel ut vera quæ erronea extiterit. Secus namque et muneri suo deesset Pontifex, et errare posset tota Ecclesia. Unde si tacet Pontifex, cum loqui potest, signum est ipsum consentire, atque idcirco episcopi habent Pontificem nisi explicite, saltem implicite consentientem. Ergo veritatem certo docent, ita ut, cum ut probabilem tradunt, doctrina eorum sit revera probabilis (neque, ut diximus, dum Pontifex eamdem ut probabilem approbat, certam facit, sed certo probabilem); cum autem ut certam exhibent, sit reapse certa, et pertineat ad fidem catholicam vel definitam, vel definibilem.

Itaque ex dictis colligas hanc esse tenendam sententiam quod

[1] Bañez, *loc. cit.*

[2] Cf. Bulla *Ineffabilis.*

[3] Bañez, in 2. 2., q. 1, a. 10, Dub. 3.

omnium episcoporum assertum imprimis sit certum et irrefragabile propter connexionem certam cum doctrina supremi ejusdemque per se infallibilis magisterii.

382. — *B*. Probatur altera pars propositionis, i. e. episcopos probabiliter tantum docere, si non omnes simul doceant, etsi alii non reclament: unde eisdem non est præbendus assensus nisi cum aliqua formidine oppositi.

a) Etenim nullibi in Scripturis aut traditionibus promissa est inerrantia singulis episcopis; neque ex aliquorum errore labefactatur Ecclesiæ infallibilitas, aut in periculum invincibile adducitur fidelium salus.

b) Hinc Augustinus: " Quis nesciat, inquit,..... episcoporum litteras..... et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem doctioremque prudentiam, et per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est [1]. " Ita et Patres cæteri.

c) Ex factis constat episcopos plures sæpe sæpius errasse, ac inter se dissensisse, v. gr. circa millenarismum, anabaptismum, ontologismum, traditionalismum, etc. Imo et in omnibus fere Conciliis alii aliarum sententiarum fuere, saltem quoad aliqua.

Neque S. Pontifex semper assentiri paucorum sententiæ præsumendus est, etsi aliquando, propter summas rationes taceat, saltem ad tempus, ut puta quoad Gallicanismum; neque illorum episcoporum sententia referre totius Ecclesiæ sententiam dicenda est: unde nec Pontificis, nec Ecclesiæ mutuatur certo auctoritatem, nisi idem asserat vel S. Pontifex, vel Concilium, vel Ecclesia adhærendo et confirmando.

Ergo, licet præsumendum sit episcopos illos semper verum tradere, attamen eorumdem assertum per se fidem omnino certam non facit, neque probationem in contrarium excludit.

Liquet autem eo majorem fore probabilitatem quo plures episcopi simul asserent, quo doctiores, quo sanctiores, quo a passionibus magis immunes fuerint [2].

[1] *De Bapt. Cont. Donat.*, Lib. II, cap. III.

[2] Hic nonnihil addere circa certitudinem ac probabilitatem abs re nullatenus erit. Hæc S. Thomas: " In actibus naturæ invenitur triplex diversitas. In quibusdam enim natura de necessitate agit, ita quod non potest deficere a proprio actu. Unde in his necesse est esse duplicem actum: unum qui sit *ut in pluribus*, sicut cum ex semine generatur animal perfectum; alium *quando*

383. — *C.* Probatur tertia pars propositionis, scil. dubiam evadere aliquorum episcoporum auctoritatem, si aliorum fere æqualium contradicat sententia: unde anceps hærebit assensus.

Dicimus *si sententia aliquorum fere æqualium* numero scil. et auctoritate contradicat. Patet enim suam remanere probabilitatem opinioni eorum qui vel numero vel auctoritate majores forent, licet aliqui vel numero vel auctoritate inferiores contradicerent; imo, et si istorum evaserit probabilis auctoritas, probabilior tamen per se prior remanebit.

Hic autem minus asseritur sententiam aliquorum contra aliorum diversam et oppositam sententiam evadere dubiam dubio *intrinseco,* quod oritur ex absentia vel insufficientia rationum intrinsecarum ad pariendam certitudinem, vel ex earum oppositione; non autem ex extrinsecis rationibus contrarium asserendi.

natura deficit ab eo quod est sibi conveniens, sicut cum ex semine generatur aliquod monstrum, propter corruptionem alicujus principii. Et hæc etiam tria inveniuntur in actibus rationis. Est enim aliquis rationis processus *necessitatem inducens,* in quo non est possibile esse veritatis defectum; et per hujus rationis processum scientiæ certitudo acquiritur. Est autem alius rationis processus in quo *ut in pluribus* verum concluditur, nec tamen necessitatem habens. Tertius vero rationis processus est in quo ratio a vero deficit, propter alicujus principii defectum, quod in ratiocinando erat observandum.

" Sicut autem in rebus naturalibus, in his quæ ut in pluribus agunt, gradus quidam attenditur (quia quanto virtus naturæ est fortior, tanto rarius deficit a suo effectu), ita et in processu rationis, qui non est cum omnimoda certitudine, gradus aliquis invenitur, secundum quod magis et minus ad perfectam certitudinem acceditur. Per hujusmodi enim processum quandoque quidem etsi non fiat scientia, fit tamen fides, vel opinio, vel probabilitas, propter probabilitatem propositionum ex quibus proceditur: quia ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius " (*Poster. Analyt.*, Lib. I, Act. I). Ex qua pulcherrima doctrina non ægre colligitur quomodo in probabilitate gradus habeantur; imo, si recte intelligatur, quomodo habeantur et in certitudine morali. Etsi enim persuasum sit omnibus passim leges morales quibus nititur moralis certitudo defectum aliquando pati, attamen non minus constat apud omnes aliquando errorem nullatenus dari posse etiam quoad ea quæ a certitudine morali pendere videntur. Sic enim v. gr. quod extiterit Summus Pontifex Pius IX nomine nullus dubito, nullus dubitare possum, stultusque audirem si dubitarem, licet non viderim. Utrum vero illa certitudo solis testimoniis nitatur eorum qui ejusdem existentiam asseruerunt? Nititur utique, sed *simul sumptis,* unde habetur quasi physica impossibilitas tot tantosque testes, patria, moribus, indole, passionibus diversos, etc. convenire de illo errore qui esset falsa existentia illius Pontificis, cum suo nomine, suis operibus, etc. Certitudo igitur moralis testimoniorum augetur certitudine aliqua physica ex ipsa collatione testimoniorum orta, qua constat tantam diversitatem convenire non posse in errore, sed in sola veritate.

Agitur ergo magis de dubio *extrinseco* quo affici dicimus sententiam auctoritatum diversimode et opposite opinantium.

Porro ex istis asserti nostri ratio patet: siquidem dubium nihil est nisi status mentis in neutram partem contradictionis declinantis, propter erroris formidinem ex rationibus oppositum credendi ortam: atqui hoc reapse occurrit ex hypothesi nostra, siquidem aliquorum auctoritati opponitur aliorum æqualis vel fere æqualis auctoritas.

Ergo ad neutram partem inclinare debet animus. Res igitur judicanda erit vel ex vi rationum intrinsecarum, vel ex majori et decisiva auctoritate. Prudens ille erit qui credet, dubitabit, negabit, ubi credendum, dubitandum negandumque fuerit, nec magis unquam asseret quam ferant rationes.

DIFFICULTATES.

384. — *Obj.* 1° Episcoporum omnium sententia est reformabilis. Ergo certa non est.

Resp. dist. Reformabilis est non quidem *subjective*, ita ut corrigendus sit in ipsa episcoporum sententia aliquis error, si omnes asserant; sed *objective*, quia scil. ipsimet asseruerunt sententiam suam esse probabilem tantum, proindeque reformabilem. Quæ reformatio si occurrerit, non quidem *contra*, sed *juxta* episcoporum mentem erit. Si autem concorditer omnes ut certo veram asseruerunt, certo vera erit sententia, ut probavimus.

Obj. 2° Singuli episcopi auctoritas non est certa, sed tantum probabilis ad summum: atqui ex multis probabilitatibus oriri nequit certitudo. Ergo.

Resp. dist. Certitudo ex probabilitatibus oriri nequit si una ex istis ad alias tantum addatur, *concedo;* si autem certitudo illa asseratur ex convenientia illarum probabilitatum sive inter se, sive cum auctoritate certa consentiente, *nego.*

II. De auctoritate Conciliorum particularium.

Præter Concilia œcumenica seu generalia, de quibus antea dictum est, dari possunt atque reipsa dantur Concilia particularia, τοπικά, μερικά, quæ sunt vel *nationalia*, vel *provincialia*, vel *diœcesana.*

Nationale Concilium est cui adsunt omnes episcopi alicujus regionis vel nationis, a primate, patriarcha seu archiepiscopo convocati, qualia fuerunt imprimis Carthaginiensia, Toletana, Aurelianensia, Parisiense an. 829, etc.

Provinciale, ἐπαρχικόν, est cui conveniunt archiepiscopus et episcopi alicujus provinciæ ecclesiasticæ: et hæc innumera sunt in historia antiqua et recentiori.

Diœcesanum quod ab episcopo celebratur cum clero suæ diœcesis.

Celebrata sunt tamen aliqua Concilia quæ plusquam nationalia fuerunt, quin tamen œcumenica evaderent: v. g. illa in quibus totius Orientis vel Occidentis episcopi adfuerunt. Hujusmodi Concilia congregaverunt Felix III contra Acacium, Cœlestinus I contra Nestorium, S. Leo contra Eutychetem, Martinus et Agatho contra Monothelitas, Stephanus IV contra Iconomachos, etc.

Haud secus dantur Concilia quædam quæ plusquam provincialia, non tamen nationalia fuerunt, quæ, v. gr. alicujus Patriarchatus episcopis constant. Cujusmodi fuerunt Concilium CP. celebratum sub Menna et Agapito, contra S. Joannem Chrysostomum; Concilium in Trullo [1], etc.

Quæritur ergo quænam sit particularium Conciliorum auctoritas. Pro cujus quæstionis solutione sit

385. — Propositio. *Concilia particularia, etiam celebrata in communione cum S. Pontifice, certitudinem absolutam per se non pariunt, sed probabilitatem tantum, et quidem diversimode, seu diversis gradibus; auctoritatem vero majorem ab extrinseco sortiri possunt.*

Dixi *Concilia celebrata in communione S. Pontificis:* Concilia autem quæ spiritu schismatico ducta celebrantur, v. g. Pisto-

[1] Juxta Conciliorum editionem Parisiis sæculo proxime elapso editam, ab anno 34 Christi, usque ad annum 1740, celebrata fuerunt 833 Concilia particularia, ex quibus 119 Romæ celebrata sunt. Plura sane ignota remanent. Quoad recentiora, cf. *Collectio Lacensis*, T. II, ab ann. 1682 ad 1882. Hæc autem sæculis singulis celebrata fuerunt, scil. Sæc. I, 4; II, 6; III, 19; IV, 83; V, 72; VI, 93; VII, 61; VIII, 66; IX, 127; X, 60; XI, 95; XII, 92; XIII, 24; XIV, 15; XV, 10; XVI, 15; XVII, 1; XVIII, 1 (usque ad ann. 1740). De his plura invenies apud Doujat, *Prænotionum Canonicarum Libri V;* Lib. II, cap. VIII.

riense, sub episcopo Scipione Riccio, non modo fidem certam non faciunt, sed nec probabilitatem præbent, propter erroris pertinaciam.

386. — *A*. Probatur prima pars propositionis, nempe Concilia particularia certitudinem per se non parere.

a) In Evangelio Christus S. Pontifici, ac per ipsum toti Ecclesiæ infallibilitatem promisit, nec promisit aliis: atqui Concilium particulare, priusquam confirmetur, nihil de auctoritate Pontificis, totius Ecclesiæ vel propriæ participat: ergo non parit per se certitudinem absolutam ac irreformabilem.

Confirmatur ex prius dictis, siquidem cum ipsum generale Concilium, vel sub legatorum pontificiorum præsidentia celebratum, propriam sententiam donec a Pontifice confirmatur, nonnisi reformabilem exhibere possit: id *a fortiori* dicendum est de aliquo particulari Concilio.

b) Id pariter " testimonio Symmachi comprobatur inquientis Concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus per provincias decreta, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt [1]. „

Hinc Pius VI, in Bulla *Auctorem fidei* aliquam Pistoriensium propositionem ventilat et damnat: " Propositio enuntians qualemcumque cognitionem ecclesiasticæ historiæ sufficere ut fateri quisque debeat convocationem Concilii nationalis unam esse ex viis canonicis qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiæ spectantes ad religionem, sic intellecta ut controversiæ ad fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortæ per nationale Concilium irrefragabili judicio finiri valeant, quasi inerrantia in fidei et morum quæstionibus nationali Concilio competeret: schismatica et hæretica [2]. „ — Et rursus: " Sententia enuntians veteri majorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse ut decreta aut definitiones, aut sententiæ etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et approbatæ a synodo diœcesana, falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica

[1] Canus, *Loc. theol.*, Lib. v, cap. iv, concl. iv.
[2] *Prop.* 85.

superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et hæresim [1]. „

c) Ita sentiunt theologi et doctores, quorum unum Canum adduxisse sit satis: " Concilium provinciale, inquit, non confirmatum a S. Pontifice errare in fide potest [2]. „

d) Quod factis pariter demonstratur. " Cujus rei, prosequitur Canus, exemplum habes in Concilio Mediolanensi, lib. x *Hist. Eccles.*, cap. xx; et in Concilio Antiocheno xc episcoporum, lib. iv *Hist. Trip.*, c. ix; et in Seleuciano, lib. i *Trip.*, c. xxxiv.... Ita leges aut nimis duras, aut parum rationi consentaneas a Conciliis provincialibus interdum editas non est negandum. Qualis illa fortasse fuit apud Aquisgranum, quæ refertur xxxvi, quæst. ii, cap. *Placuit*. Illa rursum non imprudenter modo, verum etiam impie a Concilio Elibertino lata est de tollendis imaginibus [3]. „

e) Ratio est quia inerrantia concessa solummodo fuit ad bonum *totius* Ecclesiæ.

Hinc nonnunquam S. Pontifex ex Actibus Conciliorum particularium aliqua demit, mutat, imo quandoque damnat; hinc fideles subditi eorum sententias *disciplinares* quidem accipere per se tenentur, quoadusque auctoritas summa accesserit, non autem *dogmaticas* nisi conditionate.

387. — *B*. Probatur altera propositionis pars, i. e. Concilia particularia sententiam probabilem facere.

a) Dicitur apud S. Matthæum: " Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum [4]. „ Ex quo textu argui potest a minori ad majus sic: Si dum duo vel tres in nomine Christi conveniunt ad tractandum de re privata ac humana, quanto magis si multi fidei judices conveniunt ad judicandum de rebus regni cœlorum [5]! Hoc vero notandum est, scilicet aliquos dupliciter Christi nomine convenire posse, nempe vel sub auctoritate Christi hic et nunc dirigente; vel tantum animo pio ac boni finis intentione. Si primo modo conveniant, dum scilicet convocantur a S. Pontifice et in sua sententia ab ipso confirmantur actu, tunc errare non possunt, quod evenit

[1] *Prop.* 11.

[2] *Loc. theol.*, Lib. v, cap. v, concl. iv.

[3] *Loc. theol.*, ibid.

[4] Matth. xviii, 20.

[5] Cf. S. Greg. *Epist.*, Lib. vii, ep. 110; Concil. Chalced. Ep. ad S. Leonem, Synod. vi, Act. xvii.

in Conciliis generalibus; si altero autem modo, tunc Christus adjuvat quidem, non tamen omnem impedit errantiam: et hoc adjumentum conceditur Conciliis particularibus [1].

b) Hanc interpretationem confirmat Innocentius I, suamque sententiam de asserto nostro propalat: " De quibus causis nulla solvendi ligandique auctoritas in libris veteris Testamenti, quatuor Evangeliorum, cum totis scriptis Apostolorum appareat, ad divina recurre scripta græca. Si neque in illis, canones apostolicæ Sedis intuere. Si nec in illis, ad catholicæ Ecclesiæ historias catholicas, a doctoribus catholicis scriptas, manum mitte. Si nec in illis, Sanctorum exempla perspicaciter recordare. Quod si omnibus his inspectis, hujus quæstionis qualitas non lucide investigatur, seniores provinciæ congrega, et eos interroga. Facilius namque invenitur quod a pluribus senioribus quæritur. Verus enim repromissor Dominus ait: " Si duo " ex vobis vel tres conveniunt super terram in nomine meo, " de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. " Matth. XVIII [2].

388. — *c*) Item probatur assertum ex hoc facto ecclesiastico, scilicet summos Pontifices et Concilia œcumenica semper episcopis suasisse ut celebrarent Concilia sua, et quidem ad tractandum de rebus ad fidem pertinentibus, de quæstionibus seu controversiis ortis, etc. Primitus, scilicet a tempore Concilii Nicæni, bis in anno celebranda erant [3]; postea autem semel in anno [4]. Mos vero Concilia particularia celebrandi cum dimissus passim fuisset, a Concilio Tridentino innovatus fuit, ac jussi sunt episcopi celebrare Concilia particularia singulis trienniis.

Quæ celebratio cum per duo quasi sæcula neglecta undique fere fuisset, hoc iterum sæculo nostro reassumpta est ac frequentius hodie in omnibus orbis partibus hæc celebrantur Concilia.

Patet autem ista non adeo enixe commendanda fuisse, nisi ad fidei directionem et explanationem probabilem inservire potuissent.

[1] Bill., *De Regulis Fidei,* Diss. V, art. IV.

[2] *Decret.*, Dist. XX, cap. III, *De quibus causis.*

[3] *Decr.,* Dist. XVIII, cap. *De Conciliis;* cap. *Propter Ecclesiasticas;* cap. *Pervenit;* cap. *Quoniam;* etc.

[4] Cap. *Sicut olim,* XXV, in princ. *De accusationibus;* Dist. XVIII, cap. *Quoniam quidem.*

d) Accedit theologorum auctoritas quam ita refert Canus sua et omnium sententia loquutus: " Ex Conciliis provincialibus, licet eis auctoritas Episcopi Romani desit, probabile quidem argumentum sumitur ad fidei dogmata suadenda [1]. "

e) Confirmatur ex historicis factis. " Hujus rei vel illud abunde magnum argumentum est quod ex innumeris Conciliis ejusmodi vix quinque aut sex reperiuntur, quæ a recta definiendi ratione ac via declinarint. Si ergo hujusmodi Concilia ut plurimum fidem tenent, raro deficiunt, probabilissimum sine dubio est quod ex id genus Conciliis argumentum promitur. Atque certe, nisi sint peculiariter reprobata, communi Ecclesiæ vel silentio vel etiam implicito consensu commendantur, si ad Ecclesiæ communem notitiam pervenerint. Non enim fit aliquo pacto verosimile ut Concilii provincialis toto orbe vulgati hæresim Ecclesia diu dissimulaverit. Error enim cui non resistitur, approbatur [2]. "

389. — f) Demum hac ratione comprobatur. Dum scil. conveniunt homines docti simul ac pii, veritatis et traditionis amatores, memoresque " eum bene et utiliter eruditum esse qui omnia refert ad veritatem [3]; " eumque in Ecclesia viguisse morem " ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet [4], " tamquam judices docti ac veraces tenendi sunt, eorumque sententiæ fides magna, etsi non summa, habenda erit.

Confirmatur ex archæologia, cujus monumentis edocemur quo veritatis amore procederent tum in œcumenicis tum in particularibus Conciliis, dum scil. in ædibus sacris, ante altare adductis Christi et Sanctorum imaginibus et reliquiis, celebrarent, atque antepositis in medio sacrosanctis et venerabilibus Evangeliis et quasi clamantibus: " Rectum judicium judicate! " ita ut scilicet " Evangelium præsens esset et Apostolus et omnes Scripturæ præsto essent; " nec non et canones ac decreta Pontificum, Conciliorum et Patrum veterum. Quæ omnia in vetustis ecclesiis, Romæ, Constantinopoli, Bethleem, etc., depingebantur, quod notant archæologi [5]. Haud secus in baptisterio

[1] *Loc. theol.,* Lib. v, cap. iv, Concl. vi.
[2] Clem. Alex., *Strom.*, Lib. i. [3] Canus, *Loc. theol.*, Lib. v, c. iv, Concl. 6ª.
[4] Vinc. Lirin., *Commonit.*, cap. xxv. Cf. Nazianz. in *Encom. Ath.*
[5] Martigny, art. *Concile*, imprimisque Kraus, art. *Concilien.*

Ravennensi visitur antiqua pictura musiva, ubi apparent Scripturæ apertæ, in quadrangulari suggestu positæ, ac duo utrinque sedilia vacua, quibus Patrum locus sane indicatur [1].

Quæ monumenta non tantum curam eximiam Patrum significant de inquirenda veritate, sed etiam Christifidelium in Concilia et devotionem et pietatem ac fiduciam demonstrant.

390. — *C.* Probatur tertia pars propositionis, scil. hanc probabilitatem diversi gradus esse posse.

a) Probatur imprimis auctoritate traditionis. Patres enim et Doctores, dum alicujus Concilii, præsertim particularis, referunt auctoritatem, supposita cæterum summæ auctoritatis licentia, etiam deliberantium Patrum laudant numerum, scientiam, mores, virtutes, indolem, etc. Unde sanctus Augustinus, circa usum rebaptizandi hæc habet: " Si jam omnino credendum sit quinquaginta episcopis Orientalium id esse visum quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit, cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum judicium correxisse dicamus, non (ut tu loqueris) rescidisse? Sicut enim laudabile est a vera sententia non amoveri, ita culpabile persistere in falsa [2]. " Licet ista de episcopis dispersis dicantur, de adunatis pariter dici possunt et debent, ac reipsa a D. Augustino dicta sunt.

b) Idem ratione patet et ex dictis prius colligitur. Certitudo enim est plena veritatis possessio: probabilitas autem accessus ad veritatem: qui sane remotior viciniorve esse potest.

Confirmatur quia sive auxilium ex parte Dei, sive consensus et approbatio ex parte Ecclesiæ et R. Pontificis, sive doctrina ac veracitas deliberantium eorumque numerus, passionum tranquillitas, quæstionum gravitas, deliberationum cura, etc., majora censenda sunt in Conciliis nationalibus, quam in provincialibus, in istis autem majora quam in diœcesanis: ergo et sententiarum major minorve erit gravitas.

391. — *D.* Probatur quarta pars propositionis, Concilia scilicet particularia majorem consequi posse extrinsecus auctoritatem, ita ut scilicet ad certitudinem usque pertingant. Quod quidem duplici modo contingere potest, tum scilicet acceptatione

[1] Cf. Ciampini, *Vet. Monum.* Pl. XXXVII.

[2] *Cont. Crescon.*, Lib. III, cap. III.

Ecclesiæ universalis, tum approbatione summi Pontificis. Quo autem universalior erit acceptatio Ecclesiæ, quo plenior et solemnior approbatio Pontificis, eo certior erit Conciliorum illorum sententia, ita ut de fide catholica evadat, si tota Ecclesia receperit, de fide autem catholica simul et definita si Pontifex solemniter ut de fide vel moribus agens, approbet.

A. Patet igitur prima pars asserti nostri, quia scilicet

a) Facto constat plura hujusmodi Concilia auctoritatem paulatim apud majores Ecclesiæ partes, imo apud totam Ecclesiam sortita esse ex communiori receptione; quod comprobatur historice ex Concilio Hipponensi et Carthaginiensi III, quo Scripturarum canon descriptus est [1]; ex Concilio Francofordiensi contra Adoptianos celebrato [2]; ex Concilio Valentino, adversus Joannem Scotum [3], etc.

b) Ratione confirmatur, si quidem dum habentur plura judicum testimonia, inde habetur certitudo major in sententia comprobata; si autem totius Ecclesiæ accedat auctoritas, hinc omnimoda habetur certitudo, siquidem totius Ecclesiæ testimonium est infallibile.

B. Patet rursus altera asserti nostri pars, eademque fere argumentatione.

392. — Hoc vero animadvertendum est, diversimodam scilicet esse R. Pontificis approbationem.

Imprimis alia dici potest *negativa*, alia *positiva*. Negativa est approbatio qua asseritur nihil in alicujus Concilii decretis inveniri quod certo contrarium sit fidei tum catholicæ tum definitæ; non tamen asseritur nihil occurrere quod contrarium futurum sit alicui sententiæ nondum ad fidem sive catholicam sive definitam explicite pertinenti, quæ tamen aliquando certa forsan evadere, imo et definiri posset. Quapropter alicujus sic confirmati negative Concilii sententia non declaratur omnino irreformabilis, cum doctrina opposita non modo probabilis, sed etiam certa fieri posset [4], re aliquando illustrata ac evoluta plenius.

[1] An. 397. [2] An. 794. [3] An. 855.

[4] Hoc sensu alicujus auctoris singulares sententiæ probabiles, vel etiam fidei nunc definitæ aut catholicæ conformes dici possunt, quin tamen nunquam vel improbabiles, vel etiam veritati aliquando definiendæ aut explicatius credendæ, contrariæ evadere possint. Ita si alicujus olim Concilii particularis sententia de universalitate peccati originalis, mentione non facta Immaculatæ Conceptionis, approbata fuisset, non esset hujus dogmatis negatio, non

Approbatio autem positiva est qua asseritur id verum esse quod ab aliquo Concilio sancitum fuerit. Sic approbata sententia a summo Pontifice certa est, imo et de fide evadere potest, si *ex cathedra* asseratur.

Præterea notandum est utramque, negativam scilicet et positivam approbationem magis minusve solemnem esse posse, ac majori minorive Ecclesiæ parti sese extendere; plus minusve proinde ad fidem accedere; demumque alicui sententiæ favere vel tamquam certæ vel tamquam certo probabili; quod ex variis circumstantiis atque documentis pensandum omnino est.

Probatur ergo assertum prædictum

a) Ex eo " quod Actorum xv capite explicatum est. Quod enim ibi congregatum (Concilium legitur), hoc non generale, sed provinciale Concilium fuit. At non minor fides habita est Petro præsidenti quam si esset Synodus generalis [1]. „

b) Ex eo facto quod semper et ubique hujusmodi Concilia R. Pontificis approbationem expetierunt aliquam, et præterea quoscumque hujusmodi Concilia approbata saltem positive damnavere, eos Ecclesia semper explosit.

Confirmatur eo quod nullum alicujus in fide erroris exemplum adduci potest in aliquo sic approbato Concilio.

c) " Præterea Symmachus papa tradit Concilia provincialia quotannis per Ecclesiæ leges decreta, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdidisse: ergo si præsentiam habent, valida erunt. — In VII item Synodo, Act. III cum Theodorus Concilia generalia recepisset, statim subdit: " Locales " Synodos non aversamur, sed magis amamus, amplectimur et " recipimus. Earum etiam divinitus inspiratas canonicas con- " stitutiones, correctiones et legislationes summa observantia " colimus. „ Hanc autem Epistolam Theodori et Orientalium probat VII Synodus. Atque VIII Synodus, sess. postrema, can. I: " Regulas, inquit, quæ Ecclesiæ sanctæ tam a sanctis Apostolis " quam ab orthodoxorum universalibus, nec non et localibus

modo quia leges generales exceptionem admittunt, sed etiam quia tunc temporis forsan doctrina de Immaculata Conceptione nondum sufficienter ab Ecclesia fuerit proposita, nec in Ecclesia tota passim et explicate credebatur. Unde Concilium illud asseruisset, et Pontifex approbasset dogma quale tunc existebat, nondum asserta sufficienter exceptione.

[1] Canus, *De Loc. theolog.*, Lib. v, cap. IV, Concl. v.

" Conciliis traditæ sunt, servare ac custodire profitemur. Sed " et omnes qui christiano censentur vocabulo, damnationibus " et justificationibus, quæ per illas prolatæ sunt, canonice sub- " jici decernimus. „ Hactenus VIII Synodus. Cujus verba in iis maxime Conciliis locum habere intelligenda sunt, quæ a summo Pontifice sunt confirmata [1]. „

d) Adde quod " multorum hæreticorum damnatio esset incerta, si hæc conclusio certa non esset. Plerique enim hæretici non per Concilia generalia sed per provincialia sunt damnati; ut Priscillianus, in Concilio Toletano primo; Elvidius, in Concilio Telensi; Pelagius, in Concilio Milevitano et Carthaginiensi. Quamquam Pelagium in Synodo etiam Ephesina damnatum, *de Hæres.* c. *Fraternitatis*, Gregorius tradit: sed hæc sententia hodie apud Ephesinum Concilium non extat. — Deinde nec expedit nec tolerabile est singulis hæreticis condemnandis singulas generales Synodos cogere: cum ergo Ecclesiæ suæ Deus prospexerit in necessariis, nimirum ad hæreses privatas in provinciis refutandas, Concilia provincialia satis erunt, si erunt modo S. Pontificis auctoritate roborata [2]. „ Cujusmodi Conciliorum auctoritas non modo in refellendis erroribus, sed etiam in asserendis veritatibus omnino accepta fuit, v. gr. Arausicani II in asserenda gratia contra Semipelagianos; Toletani XI, in edendo fidei symbolo, etc. [3].

393. — *e*) Quorum omnium ratio est quia dum S. Pontifex alicujus Synodi canones approbat suosque quasi facit, iisdem propriam auctoritatem communicat. Hinc est quod etiam Synodo diœcesanæ seu episcopali communicare potest, reipsaque nonnunquam communicavit, quod in Complutensi aliqua hujusmodi Synodo evenit, " sub Alphonso Carrillo, archiepiscopo Toletano, ubi damnatus est magister quidam Oxomensis, qui falso de Clavibus Ecclesiæ et Pœnitentiæ sacramento sentiret [4]. „

Contra propositionem sic explanatam et probatam vix alicujus momenti difficultas afferi posse videtur, hac forsan excepta.

[1] Canus, *De Loc. theol.*, L. v, c. iv, Concl. v.

[2] Canus, *loc. cit.*

[3] Cf. Denzinger, *Enchirid.*, ubi de Conciliis particularibus, præsertim nn. 16-49; 50-58; 64-72; 113-131; 144-171, etc. Pro pleniori notitia adeas Labbe, *Concil.*

[4] Cf. Canus, *De Loc. theol.*, Lib. v, c. iv, Concl. vii.

DIFFICULTAS

394. — *Obj.:* Aliquorum Conciliorum particularium sententiæ etiam approbatæ, aliquando mutatæ sunt in re dogmatica. Sic v. g. definita est Immaculata Conceptio B. V. Mariæ, etsi, approbantibus Pontificibus, declarassent in genere Milevitanum II *parvulos recentes aliquid ex Adam trahere originalis peccati;* — Arausicanum II, *prævaricationem Adæ ejus propagini nocuisse;* — Carisianum I, *hominem peccasse et factum esse massam perditionis totius humani generis*, etc.

Resp. ex supradictis 1° leges generales exceptionem aliquando, illæsis legibus ipsis, pati.

Resp. 2° Approbata sunt illa Concilia juxta fidem vel jam definitam, vel catholicam, ita ut asserentur nihil continere contra eamdem hanc fidem; non autem juxta aliquam veritatem implicitius creditam, quæ contraria non autem contradictoria veritati assertæ foret.

Nota. Conciliorum particularium Acta et notitiæ iisdem auctoribus quibus et generalium continentur. Hoc solum animadversum volo, scilicet illorum seriem ad nos usque et quidem egregie, continuatam esse in *Collectione Lacensi* [1].

§ 2.

Quomodo Ecclesia doctrinam suam magisterio authentico eodemque delegato manifestet.

395. — Sensum suum prædicto modo Ecclesia manifestat per Congregationes Romanas, de quarum auctoritate jam dicendum est.

Octo imprimis numerantur Romanæ Congregationes, scilicet Concilii, Episcoporum et Regularium, de Propaganda Fide, SS. Rituum, Indicis, S. Officii, Indulgentiarum et Reliquiarum, Immunitatis.

[1] P. Annatus eorumdem historiam brevem texuit juxta chronotaxim enascentium errorum, contra quos celebrata sunt. Qui hic tibi legendus est. Cf. Append. *ad Theol. posit.* t. II, sec. IV.

Congregatio Concilii tota cardinalibus constat, cui præest *Præfectus Congregationis.* Eamdem Pius IV instituit pro exigenda Concilii Tridentini observantia; postea vero Sixtus V jus ipsi fecit Concilium interpretandi, dubia solvendi, etc.

Congregatio Episcoporum et Regularium, quæ et ipsa cardinalibus constat, ac de juribus quæstionibusque episcoporum et regularium decernit, secundum canones.

Congregatio de Propaganda Fide, cui competit cura dilatandæ per orbem fidei.

Congregatio Sacrorum Rituum, cardinalibus simul et aliis consultoribus constans, de re liturgica, de canonizatione Sanctorum negotia examinat et decernit.

Congregatio Indicis, a Pio V instituta, in qua sedent cardinales virique alii doctrina conspicui, damnat pravos libros.

Congregatio S. Officii, seu *Universalis Inquisitionis* a Paulo III instituta, a Sixto V confirmata, de hæresi hæresisque suspicione cognoscit. Constat autem cardinalibus, prælatis et theologis.

Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum, quæ cardinalibus a S. Pontifice designatis, necnon et prælatis ac theologis constat, jus habet quæstiones de Indulgentiis et Reliquiis decernendi.

Congregatio Immunitatis, quæ cardinalibus aliisque paucis coalescit, de immunitate ecclesiastica, tum reali, tum personali, tum locali cognoscit.

396. — Hic ergo inquirimus quænam sit illarum Congregationum auctoritas non quidem circa ordinationes ecclesiasticæ disciplinæ, sed potius circa res fidei et morum atque factorum dogmaticorum; quænam nempe sit earum Congregationum auctoritas, non jam *disciplinaris*, de qua agunt canonum ac theologiæ moralis doctores, sed *dogmatica*.

Illa quidem per se mutabilis est, ista autem immutabilis.

Sententiam vero suam ferre ac manifestare possunt Congregationes illæ vel *explicite* vel *implicite*.

Explicite manifestant dupliciter, scil. vel *directe* asserendo, cum v. gr. propositiones aliquas subscribendas proponunt, quod frequentius hisce nostris temporibus factum est [1], præsertim

[1] Imprimis propositiones hujusmodi subscribere jussi sunt Bautain, Bonetty, etc. Cf. Denzinger, *Enchiridion*, nn. 1488-1498; et 1505-1508.

circa sic dictum Traditionalismum; vel *indirecte*, contrarios scilicet errores damnando, quod recentius evenit circa Ontologismum, dum sancta Inquisitio eorumdem opiniones aliquas damnavit [1].

Implicite autem sententiam propalant, dum aliquod etiam per disciplinam statuunt, unde supponatur aliquod dogma, v. gr. si S. Congregatio Rituum aliquod festum vel indicat vel approbet.

Sic autem intellecta decreta vel eduntur nomine solius Pontificis, ita ut de cardinalibus mentio non fiat nisi qua consiliariis; vel eduntur nomine eminentissimorum Patrum, specialiter tamen *mandante*, aut postea *confirmante* Pontifice; vel demum a S. Congregatione eduntur, solum *permittente* Pontifice, non autem mandante vel confirmante.

His ita positis, duplici propositione statuitur de *existentia* et *natura* auctoritatis dogmaticæ Congregationum Romanarum.

397. — PROPOSITIO I. *Congregationes Romanæ auctoritate dogmatica pollent.*

Probatur multiplici argumento:

a) Imprimis ex fine quem sibi præfixerunt Pontifices hujusmodi Congregationes instituendo, cum omnes vel de dogmate ex professo judicare debuerunt, vel de his quæ ad dogma referuntur, sive præsupponendo, sive ex eodem profluendo, ut supra diximus.

b) Secundo patet ex praxi Ecclesiæ; siquidem illæ Congregationes tum veritates asserunt, tum errores damnant, tota consentiente Ecclesia, earumdemque decisiones pro lege passim accipiuntur, ut liquet ex memorata Traditionalismi, Ontologismi, etc., historia.

c) Tertio liquet auctoritate S. Pontificis. Imprimis summus pontifex Pius papa IX hanc propositionem damnavit: " Apostolicæ Sedis, Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt [2]. " Porro hujusmodi decreta liberum scientiæ progressum impedire dupliciter possent, vel quia scilicet examen in rebus dubiis et liberis impedirent,

[1] Scil. *Feria* IV, *die 18 Sept. 1861.* Cf. Denzinger, *Op. cit.*, nn. 1516-1523.

[2] Epist. *Tuas libenter*, ad Archiep. Frising., die 21 decembris 1863. Cf. *Syllabus*, prop. XII.

quod tamen nullatenus impediunt; vel quia errorem passim docerent, quod proinde negat implicite S. Pontifex, dum negat ab iisdem impediri liberum scientiæ progressum.

Præterea autem, et quidem explicatius, hæc statuit idem Pontifex: " Cum agatur de illa subjectione qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiæ afferant utilitates, idcirco ejusdem conventus [1] viri recognoscere debent sapientibus catholicis haud satis esse ut præfata Ecclesiæ dogmata recipiant ac venerentur; verum etiam opus esse ut se subjiciant... decisionibus quæ ad doctrinam pertinentes a pontificiis Congregationibus proferuntur [2]. "

d) Patet demum ratione. Congregationes enim illæ, dum viris pietate et scientia conspicuis constant; dum pro Ecclesia decernunt, et de rebus quidem maximi momenti; dum imprimis, invigilante Pontifice, sententias de quæstionibus dogmaticis edunt, eximia auctoritate non pollere nequeunt.

Confirmatur ex analogia cum jurisperitorum conventibus in re civili, qui ex rerum natura, præcellenti auctoritate in decernendo et interpretando gaudent, imprimis si ipsemet princeps vel legislator adsit.

DIFFICULTAS

398. — *Obj.:* Congregationes Romanæ superfluunt, cum necessariæ non sint, nec semper extiterint: atqui nulla auctoritas competere potest superfluæ cuicumque hominum congregationi: ergo.

Resp. 1° Congregationes Romanæ non sunt necessariæ absolute, *concedo;* non sunt necessariæ moraliter, vel utiles, *nego:* unde non occurrit objectio, etiam si revera auctoritas ex utilitate vel necessitate pensanda foret.

Resp. 2° Sed præterea negatur auctoritatem ex necessitate vel utilitate congregationis alicujus pensandam esse, siquidem tota pendeat ex delegatione principis: unde hic quæstio est utrum S. Pontifex Congregationibus Romanis aliquid suæ auctoritatis conferre possit: quod nullus mente et fide sanus negare vel in dubium vertere unquam ausus fuerit.

[1] Conventus theologorum.
[2] *Epist. ad Arch. Frising.*, supra citata.

399. — PROPOSITIO II. *Romanarum Congregationum auctoritas varia est, prout decreta sua edunt vel jubente, vel approbante, vel permittente Romano Pontifice: ita ut in prima hypothesi, affirmata veritas sit simul et absolute certa et ad fidem pertinens; in altera, sit quidem absolute certa, sed nondum proprie de fide; in tertia autem, nec absolute certa, nec de fide dicenda sit.*

A. Probatur prima pars.

In hac enim hypothesi, S. Pontifex supponitur promere et quidem solemniter propriam sententiam, ita ut cardinales et theologi nonnisi consiliariis ipsi sint; et Congregationis decretum nihil sit nisi aliquod speciale medium pontificiam sententiam Ecclesiæ manifestandi. Hinc ergo censendus est Pontifex *ex cathedra* pronuntiare; atque ille qui hujus auctoritati refragari auderet hæreticus profecto, vel hæresi proximus evasurus esset, qua repugnans auctoritati Capitis Ecclesiæ.

Cujus exemplum habes in *Instructione ad episcopos Bavariæ directa*, an. 1834 [1], de matrimoniis mixtis, in qua dicitur summus Pontifex *voluisse, præcepisse*, etc.

400. — *B*. Probatur altera pars propositionis, scil.:

Congregationum sententiam, a S. Pontifice approbatam, esse absolute certam, non tamen de fide.

Quod quo rectius tibi intelligatur, recolendum est, ex supra dictis, ubi de approbatione Conciliorum particularium, duplicem esse approbationem Pontificis: aliam nempe *negativam*, qua asseritur nihil in aliqua decisione contineri quod fidei vel definitæ vel catholicæ explicite contrarium sit; aliam *positivam*, qua asseritur aliqua decisio esse simpliciter in se vera. De utraque intelligendum est dictum nostrum, hoc tantum notato quod si detur approbatio mere negativa, fieri poterit ut aliquando admittatur in Ecclesia propositio non quidem contradictorie, sed sub contrarie opposita, sensu prius explanato [2].

A. Sententiam ergo Congregationum a S. Pontifice approbatam dicimus vel certam in se esse, si approbetur ut certa, vel certo probabilem si approbetur ut probabilis.

[1] Die 12 Sept. Cf. Denzinger, *Enchiridion,* nn. 1483-1485.

[2] Ratio est quia propositiones sub contrariæ possunt esse simul veræ in re contingenti.

a) Ratio est imprimis ipsius Ecclesiæ praxis. Quotiescumque enim aliqua Congregationum sententia a S. Pontifice confirmatur, vim legis absolutam in agendis simul et in credendis obtinet. Quod innumeris sane exemplis statuitur.

Ita enim, anno 1679, S. Congregatio Concilii, approbante Innocentio XI, doctrinam de frequenti communione in memoriam revocavit [1]; Congregatio Inquisitionis et Pœnitentiaria doctrinam de usura, approbantibus Pio VIII et Gregorio XVI pluries statuerunt, non quidem ut irreformabilem in se, sed ut certo probabilem in praxi, ita ut fideles, quoad possibilem et quidem in contrarium sententiam, " parati sint stare mandatis S. Sedis [2]; „ Congregatio Inquisitionis, an. 1842 [3], approbante Gregorio XVI, doctrinam antiquam de materia Extremæ Unctionis innovavit [4]; Congregatio Indicis, an. 1855 [5], approbante Pio papa IX, theses contra Traditionalismum edidit [6] etc., etc.

b) Confirmatur ex ratione. Etsi enim Congregationum illarum decreta per se, seu ab intrinseco et prout a Congregationibus emanant, auctoritatem summam non sortiantur, hanc tamen ab extrinseco participant, dum scil. accedit solemnis summi Pontificis approbatio et confirmatio, cujus auctoritas summa est, ac proinde in rebus fidei, si solemnius addatur, absolute certa.

B. Diximus tamen hujusmodi Congregationum Romanarum decisiones non esse proprie de fide, etsi forsan proximæ fidei sint. Etenim :

a) Nondum fide certum est SS. Congregationum decreta, etiam Pontificis approbatione edita, esse infallibilia.

Confirmatur, quia negativam tenent catholici doctores plurimi: unde hæresis damnandus non est qui eamdem sententiam amplexus fuerit.

b) Neque demum constat eam esse approbantis Pontificis mentem ut aliquam veritatem definiat.

Confirmatur ex eo usu quod, dum de gravioribus rebus agitur, S. Pontifex non tantum Congregationum decisiones approbat, sed ipsemet proprio ore sententiam profert. Sic v. gr., omissa decisione Congregationum vel Inquisitionis, vel Indicis, Gre-

[1] Die 12 Febr. Cf. Denzinger, *Enchirid.*, num. 1086.
[2] Cf. Denzinger, *op. cit.*, nn. 1470-1472.
[3] Die 14 Sept.
[4] Denzinger, *op. cit.*, nn. 1494-1495.
[5] Die 11 Junii.
[6] Denzinger, *op. cit.*, nn. 1505-1508.

gorius XVI opera Hermesii damnavit [1]; Pius IX, doctrinas cujusdam Francisci de Paula [2]; doctrinas Joan. Nepom. Nuytz[3]; doctrinas Guntheri ejusque scholæ [4], etc.

401. — *C.* Probatur tertia pars propositionis, scil. Congregationum auctoritatem, absque Pontificis jussu vel approbatione, sed auctoritate delegata tantummodo editam, non esse absolute certam, nec ad fidem pertinere, sed moraliter certam solummodo esse.

A — *a*) Ita communiter docent theologi.

b) Ratio est quia subjectum proprium infallibilitatis in Ecclesia est summus Pontifex, qui illam delegare nequit: unde Congregationes Romanæ, nisi a Pontifice vel decernere juxta ipsius mentem jubeantur, vel ab eodem explicite confirmentur, infallibiles non erunt, nec earum decisiones absolute certæ erunt, nec ad fidem proprie sufficient.

B. Attamen summæ erunt auctoritatis, tum quia a viris doctis proferuntur; tum quia non tamquam novitates, sed tamquam anterioris doctrinæ corollaria; tum quia demum Dei et Pontificis providentia non deest, etsi infallibilitatem non pariat. Unde Congregationum Romanarum decisiones moraliter certæ sunt.

Quæ certitudo major minorve erit, prout magis minusve erroris possibilitas removebitur. Hinc dum SS. Congregationes alicujus Pontificis decreta interpretantur, vel innovant aut in memoriam revocant, patet earumdem sententiam ab erroris periculo magis immunem esse. Cujus habes exemplum in sacræ Congregationis Concilii responso ad Episcopum Romariensem, an. 1780 [5], quoad aliqua Benedicti XIV decreta de matrimoniis hæreticorum. Quæ interpretatio authentica erit simul ac moraliter certa, licet non infallibilis.

DIFFICULTATES

402. — *Obj.* 1° Jubemur a S. Pontifice Congregationum decretis mente et corde assentiri absque ulla majoris minorisve adhæsionis distinctione: ergo omnia SS. Congregationum decreta ejusdem sunt auctoritatis.

[1] Die 26 Sept. 1835. Cf. Denzinger, *Enchirid.*, nn. 1486-1487.
[2] Die 10 Junii 1851. [3] Die 22 Aug. 1851.
[4] Die 30 Martii 1857. [5] Die 20 Aug.

Resp. Neg. conseq. Ad antecedens autem dico omnibus quidem pontificiarum Congregationum decretis præstandum esse assensum, quia omnia certitudine sua pollent; diversum tamen pro vario certitudinis modo et gradu. Unde certitudini absolutæ absolutus, conditionatæ conditionatus assensus præstabitur.

Obj. 2° Congregatio Romanæ Inquisitionis, vel Pontificis confirmatione roborata, erravit in celeberrima Galilæi causa. Ergo et illa Congregatio et aliæ omnes, etiam a Pontifice confirmatæ, errare possunt, nec certitudinem pariunt, saltem absolutam.

Resp. 1° In causa Galilæi agebatur de re philosophica ad theologiam vix attinenti: unde etsi error admissus fuisset, prout vult objiciens, nihil tamen inde contra Congregationum auctoritatem concluderetur, in rebus fidei et morum.

Resp. 2° Congregatio Inquisitionis Galilæum damnavit eademque erravit, dum propria sententia pronuntiavit, *concedo;* ejusdem errorem S. Pontifex qua Ecclesiæ caput approbavit, sive jubendo sive confirmando decretum, *nego.* Constat namque Pontificem permisisse tantum ut ferretur sententia.

403. — Cæterum ad præcavendas nonnullas difficultates, hic duo animadvertenda sunt.

Primo, quoad decisiones seu sententias Pontificum, Conciliorum, Congregationum, etc., distinguendum omnino est *objectum* definitionis ab ejusdem *motivo.*

Ecclesiæ divina assistentia promissa est quoad objectum definitionis, non autem quoad motiva, imprimis si singulatim sumantur. Unde alicujus definitionis motivum omittere, imo et negare potest aliquis, quin hæreticus evadat, licet forsan temerarius fiat.

Secundo, in Conciliorum vel Congregationum discussionibus illud distinguendum est quod ab aliquibus singularibus dicitur, ab eo quod omnes proferunt, seu quod asserunt Concilium aut Congregatio: fieri namque potest et fit ut ab aliquibus nonnulla minime probanda dicantur.

ARTICULUS II.

QUOMODO ECCLESIA MAGISTERIO DOCTRINALI DOCTRINAM SUAM MANIFESTET.

404. — Ecclesia prædicta via mentem suam profert vel per *theologos* qui de Deo agunt, vel per *juristas* qui de societate a Deo stabilita tractant.

§ 1.

Quomodo Ecclesia doctrinam manifestet per theologos.

Hoc præstat Ecclesia primo per *Patres*, secundo per alios *doctores*, scil. *scholasticos*.

I. De auctoritate Patrum.

Patres in genere vocantur auctores sacri qui a sæculo I ad XII inclusive scripserunt. Apud ipsos gentiles, doctores patrum nomine aliquando insigniti sunt, ita ut Alexander Aristotelem patrem suum diceret, referente Clemente Alexandrino [1]. Ratio est quia doctor vitam intellectualem quasi communicat, unde S. Paulus: " Ut filios carissimos moneo: nam in Christo Jesu per Evangelium vos genui [2]. „ Passim ergo apud Orientalem simul et Occidentalem Ecclesiam doctores dicti sunt Patres [3].

Quatuor requiruntur dotes, unde alicui doctori nomen Patris tribuatur, scil. excellentia doctrinæ, sanctitas vitæ, approbatio Ecclesiæ et antiquitas [4].

Ex Patribus, imo ex recentioribus scriptoribus aliqui, propter dotum eminentiam, quasi antonomastice *doctores* vocantur, sic jubente Ecclesia, quia scil. non modo in Ecclesia docuerunt, sed et ipsam Ecclesiam docuerunt [5]. Hique sunt ex Orientalibus sancti Athanasius, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus; ex Occidentalibus autem, sancti

[1] *Strom.*, Lib. I, cap. I.

[2] I. Cor., cap. IV, 14-15.

[3] Cf. Basil. *Epp.* 337 et 339.

[4] Etsi Tertullianus et Origenes inter sanctos adnumerari nequeant, inter Patres tamen computantur, habita ratione antiquitatis et eximiæ doctrinæ.

[5] Cf. Bened. XIV, *De Canonizat. Sanct.*, Lib. IV, part. II, cap. XI, n. 11.

Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus, Thomas Aquinas, Leo Magnus, Hilarius Pictaviensis, Bonaventura, Alphonsus, Salesius, quibus addendi sunt nonnulli de quibus Ecclesia officium Doctorum recitari jubet, ut sunt sancti Isidorus, Beda, Anselmus, Bernardus, etc.

405. — Quibus omnibus peculiaris auctoritas ex eminentiori scientia ac solemniori Ecclesiæ approbatione competit.

Scientia de Patribus, quatenus eorumdem biographiam, bibliographiam, ac de fide testimonia complectitur, vocatur *Patrologia*; scientia vero de eorumdem doctrina, proprie *Patristica* apud hodiernos audit: unde ista illius pars est.

Utriusque summam utilitatem nullus est qui non videat, etsi Protestantes, propter novitates suas tuendas, parum curaverint. Patres enim nobis referunt quid crediderint, quid opere compleverint majores nostri in fide, quæ cum immutabilis sit, ea hodie esse debet quæ antiquitus fuit.

Hinc de illis multi et quidem peregregie scripserunt, quorum opera hic theologis summo nisu legenda commendamus. Hinc enim fidem antiquorum discimus, hinc fidem nostram roboramus, hinc veram, sinceram religionis notitiam accipimus [1], hinc demum hodiernorum quorumdam doctrinas angustas, imo et fabellas melius despicimus.

Patrum chronologia diversimode ab auctoribus distinguitur, unde ad auctores pro libitu præponendos lectorem remittimus [2], hoc tantum hic notato nempe *Patres apostolicos* [3], qui scilicet tempore Apostolorum vixerunt, et *Patres sæculi* IV, passim præ cæteris referri, illos quidem propter proximitatem ad Aposto-

[1] Hic faciunt ista Lirinensis verba: " Quid igitur faciet Christianus catholicus..... si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit, ut antiquitati inhæreat, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci. " *Commonit.*, cap. IV.

[2] De quo vide imprimis Mœhler et Alzog, in suis *Patrologia*.

[3] Inter opera Patrum Apostolicorum, imprimis recensentur: 1° Doctrina duodecim Apostolorum; 2° Epistola una S. Barnabæ; 3° Duæ epistolæ S. Clementis ad Corinthios; 4° Septem Epistolæ S. Ignatii; 5° Epistola una S. Polycarpi ad Philippenses; 6° Epistola ad Diognetem; 7° Liber cui titulus *Pastor Hermæ;* 8° Fragmenta Papiæ; 9° Acta Martyrum SS. Ignatii et Polycarpi, seu encyclicæ epistolæ ad ecclesias directæ de eorumdem martyrio. Patrum Apostolicorum editiones potiores sunt quas curaverunt Cotelerius, Gallandus, Russel, Frey, Jacobson, Héfélé, Reithmayer, Funk.

lorum tempora; istos propter scientiæ et eloquentiæ excellentiam.

406. — Patrum alii Latini, alii Græci sunt.

E latinis præcipui sunt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Leo Magnus, Prosper, Fulgentius, Gregorius Magnus, Bernardus, Hilarius, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, S. Alphonsus; e græcis autem, Clemens papa, Ignatius, Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Chrysostomus, Dionysius Areopagita, Cyrillus Jerosolymitanus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Damascenus, Theophylactus. Inter omnes vero excellere videntur sive propter ingenii fecunditatem, integritatem ac sublimitatem, sive propter approbationem Ecclesiæ, Augustinus Hipponensis et Thomas Aquinas.

Hoc vero notandum est quod etsi Patres antiqui de omnibus dogmatibus passim tractaverint, nusquam tamen aliquod doctrinæ corpus perfectum edere statuerunt, hoc imprimis quærentes ut veritatem fideles docerent, ac contra adversarios tuerentur. Hinc ex ipsorum passim operibus colligenda est doctrina catholica primitus accepta de Scripturarum interpretatione, de dogmate, de morali scientia, de disciplina.

407. — De invenienda autem SS. Patrum sententia, hæc prorsus adnotanda sunt, omissis quæ passim de interpretatione librorum et auctorum traduntur:

Primo, non omnia dogmata apud singulos Patres quærenda sunt, tum quia nullus totam doctrinam nobis tradere intendit, tum quia non omnes simul orti sunt errores refellendi. Unde quoad omnes veritates christianas dicenda erunt quæ ab Augustino de gratia aliquando dicta sunt: " Quid opus est eorum (scilicet *Patrum Pelagio vetustiorum*) scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur? Unde factum est ut de gratia Dei quid sentirent breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attingerent; immorarentur vero in iis quæ adversus inimicos Ecclesiæ disputabant, et in exhortationibus ad quasque virtutes, etc. [1]. "

[1] *De Præd. Sanct.*, cap. XIV.

" Id rursus considerandum est Sanctorum testimonia referri posse vel ad philosophiæ confirmanda dogmata, vel ad assertiones aut fidei, aut theologiæ comprobandas. Erant enim ex sanctis scriptoribus quidam non in sacris litteris modo, et aliis quæ ad christianam pertinebant disciplinam eruditi; verum etiam in his quæ philosophi tum de natura, tum de moribus docuere [1]. " Patrum auctoritatem circa theologiam et fidem præsertim quærimus in Locis Theologicis, ut patet.

Illud tertio, " et quidem diligentissime est advertendum inter auctores etiam ecclesiasticos duo esse disputationum genera: alterum earum rerum quæ vere ad fidem spectant, doctrinamque catholicam, alterum earum quæ citra jacturam pietatis ignorari non ab imperitis modo, verum a doctis etiam possunt, quod nec fidei dogmata sunt, neque ex illis derivantur [2]. " De illis quidem magis, de istis autem minus Patrum sententiam hic indagamus, ut quisque sponte percipiet.

In Patribus iterum duo sunt distinguenda, scilicet officium *testis* simul ac *doctoris*, prout nempe Patres vel sese exhibent tamquam fidejussores fidei suo tempore communis in Ecclesia; vel prout fidei articulos proprio ingenio enarrant, illustrant, ex iisque consectaria educunt. Dum testes agunt, eorum major est auctoritas, cum ista una eademque sit cum auctoritate Ecclesiæ ac Traditionis, testante Synodo œcumenica VII [3]; dum vero doctores sunt, propria arguunt auctoritate solum atque ratione. Præterea, qua testes, *objectum* fidei asserunt et propugnant; qua doctores autem *motiva* potius adstruunt; unde eorumdem qua testium auctoritas quasi publica est; quatenus autem doctorum est particularis. Huc qua testes præsertim a nobis adducuntur.

Demum Patres haberi possunt vel tamquam testes sacri, quibus adest providentia Dei et Ecclesiæ; vel tamquam testes qualescumque humana sua auctoritate præditi, ac historica gravitate: primo autem modo hic nobis potius habentur [4].

His prænotatis, duobus propositionibus absolvitur quæstio

[1] Canus, *De Loc. theol.*, Lib. VII, cap. II.

[2] Canus, *loc. cit.*

[3] Cf. Denzinger, *Enchiridion*, n. 245.

[4] De his vide Natalem Argonensem, *De optima legendorum Ecclesiæ Patrum methodo;* Petavium, *Prolegom.*, cap. XI; Thomassinum, *Dogmat. Theol.; De Theologiæ prolegomenis*; Canum, *Loc. Theol.*, Lib. VII, cap. III.

de auctoritate Patrum, quarum prima erit de auctoritate Patrum *simul sumptorum*, altera autem de eorumdem auctoritate *separatim acceptorum*, sive aliqui tantum consentiant, sive unus asserat solus.

408. — PROPOSITIO I. *Omnium Patrum simul consentientium auctoritas in re fidei, certa est ac infallibilis.*

Dicimus hanc auctoritatem esse infallibilem infallibilitate *consequenti*, hoc nempe sensu intellecta non quod Patres in se donum infallibilitatis habeant, sed quod constet eos non errasse ex ipsorum consensu actuali et certo.

Asseritur præterea propositio non de consensu absolute universali, sed *moraliter* tantum unanimi. Quæ unanimitas non facile determinatur apud auctores. Nobis tamen magis arridet illa recentioris auctoris sententia, ex qua ad unanimitatem moraliter universalem Patrum requiritur et sufficit aliqua ex sequentibus conditionibus: 1° Ut præstantissimi Patrum, usque ad sæculum VI consentiant, ac de reliquorum consensu testentur, etiamsi isti in scriptis suis superstitibus sileant; cum talis consensus Ecclesiæ fidem, quæ varia in variis temporibus esse nequit, repræsentat; 2° ut plures Patres tanta cum fiducia ac certitudine loquantur, ut ne minimam quidem patiantur contradictionem, ac expresse vel tacite innuant se fidem Ecclesiæ in sua sententia profiteri; 3° ut pluribus tantum consentientibus, notum sit reliquos ideo silere vel quia illis tacite aut expresse adhæserunt, vel quia suam sententiam propalandi deerat occasio; 4° ut omnes, vel saltem præcipui Orientis et Occidentis Patres, nemine orthodoxorum contradicente, consentiant; 5° ut nonnullorum Patrum effata ab Ecclesia comprobentur et asserantur [1].

409. — Sic intellecta propositio nostra probatur:

a) Omnibus fere argumentis superius allatis de traditione et de auctoritate episcoporum, quæ hic recolere quisque facile potest.

b) Ex Scriptura, quibus apparet non apostolos modo, sed et pastores et doctores a Deo statutos esse, ad consummationem Sanctorum. Paulus enim: " Et ipse dedit quosdam quidem

[1] Güntner, *Hermeneut. Bibl.*, c. II, § XVII.

apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores (διδασκάλους) ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ [1]. „

Quæ verba, cum de Ecclesia ad consummationem sæculorum usque duratura dicta sint, patet doctores illos, de quibus Apostolus, eos imprimis esse quos Patres vocamus. Atqui istis munus est ut nos doceant, ne circumferamur omni vento doctrinæ: ergo.

c) Haud secus Synodus œcumenica V, vel, juxta alios, VI: " In omnibus sequimur et sanctos ac doctores sanctos Dei Ecclesiæ... et omnia quæ ab ipsis scripta sunt de recta fide, et ad hæreticorum condemnationem admittimus [2]. „

Et Synodus VII: " His qui rejiciunt SS. Patrum voces, quæ ad confirmationem rectorum dogmatum Ecclesiæ Dei pronuntiatæ sunt Athanasii, Cyrilli, Ambrosii, Augustini et cæterorum,... anathema sit [3]. „

Synodus VIII: " Per æquam et regiam divinæ justitiæ viam inoffense incedere volentes, veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, sanctorum Patrum definitiones et sensus retinere debemus [4]. „

d) Haud secus Pontifices, e quibus S. Martinus I in Concilio Lateranensi, hæc Victoris Carthaginiensis dicta approbavit, nempe " Nihil permittere dici noviter a quopiam, quod sanctorum Patrum traditio minime definivit [5]. „

Ita omnes, usque ad Pium pp. IX, qui in memoriam revocavit " quantopere deferendum sit venerandæ SS. Patrum auctoritati, et quo studio cavendum ne profanæ novitatis amore tuta illorum vestigia deserantur [6]; „ vel Leonem XIII qui, cum Cajetani verbis [7], sic Doctorem Angelicum laudat: " Thomas

[1] Eph. IV, 11-14.
[2] Collat. III.
[3] Apud Gennad., p. 317.
[4] Can. I.
[5] Cf. Petav., *Proleg.*, cap. XI.
[6] *Brev. ad Episc. Wratisl., die 30 martii 1857.* Cf. *Epist. ad Archiep. Colon. die 15 junii 1857 datam, etc.*
[7] In 2. 2., q. 148, n. 4, in fine.

Aquinas, doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est[1]. „

e) Consentiunt doctores omnes ac theologi qui simul consentiunt Patres " luminaria fuisse, verbum vitæ continentes," juxta Cyrilli Alexandrini effatum[2].

Solemne item est apud theologos antiquos simul et hodiernos Patrum testimonia congerere, unde fidem ac doctrinam christianam probent. Unde Lirinensis hæc habet: " Necesse est omnibus Catholicis qui sese Ecclesiæ legitimos filios probare student, ut SS. Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immorentur, profanas vero novitates detestentur, horrescant, persequantur[3]. „ Canus vero hanc statuit conclusionem: " Sancti simul omnes, in fidei dogmate errare non possunt[4]. „ Ita communiter.

410. — *f*) Ratio confirmat. Testibus namque illis fides præstanda est, quibus nec rerum notitiam, nec probitatem in asserendo deesse compertum fuerit, prout ab omnibus in re civili necnon et religiosa admittitur. Porro Patribus nec deesse doctrinæ catholicæ scientiam, nec in asserendo fidelitatem, nullus nisi proterve inficiari potest: illis ergo fides adhibenda, dum se testes profitentur.

Sese autem tamquam veritatum suo tempore in Ecclesia acceptarum testes diversimode præbent, dum scilicet, vel id expresse asserunt; vel aliquam doctrinam tamquam certam in Ecclesia exhibent; vel in aliquam doctrinam novam tamquam in errorem aut hæresim insurgunt, proindeque contradictoriam ad fidem pertinere saltem implicite asserunt; vel illius auctorem aut fautorem tamquam hæreticum aut novatorem impugnant; vel omnes aut plerique simul eodem tempore eamdem profitentur doctrinam, qui consensus nonnisi ex unitate fidei provenire potest[5]. In his ergo vel similibus ad-

[1] Ex Bulla *Æterni Patris.*

[2] *In Defens. Anath.*, VIII. Cf. Denzinger, *Enchirid.*, nn. 218-221, 243, 245, 272, 283, etc.

[3] *Commonit.*

[4] Canus, *De Loc. theol.*, Lib. VII, cap. III, Concl. VI. Ita Canus qui hæc Hieronymi verba ex Comment. in I. cap. Epist. ad Gal. refert: " Doctores Ecclesiæ non tam ipsi docent, quam in ipsis Deus, qui ad Sanctos loquitur. „ *Loc. theol.*, Lib. VII, cap. III, Concl. V.

[5] Cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.*, sæc. II, Diss. XVI, § XXII, ubi indicantur regulæ quibus innotescet utrum Patres cum Ecclesia sentiant.

junctis sese doctrinæ testes exhibent Patres, iisque omnino credendum est [1].

g) Item probatur ex solo consensus facto. Impossibile namque est tot tantosque viros, qui temporibus locisque diversis vixerunt, dissimilisque indolis adeo fuerunt in aliquam sententiam convenire, nisi de veritate apprime certa. Dato illo consensu, certa prorsus evadit affirmatio.

Confirmatur ex eo quod licet singulis Patribus promissa nullatenus fuerit infallibilitas, omnibus tamen specialis Spiritus sancti assistentia deneganda non est, quibus Providentia id muneris assignavit ut Ecclesiam in fide ac moribus instruerent [2].

h) Si errarent omnes Patres, errarent et fideles. " Nam si Sancti in aliquo fidei dogmate falsi sunt, et populi qui eos sequebantur falsi fuissent. Constat enim populum christianum ante nos fidei sanctorum Doctorum acquievisse. Neque enim aliter fidem in Jesum habere poterat, nisi haberet etiam in Sanctos ejus. " Gratias ago Deo meo, ait Paulus ad Philemo-
" nem, audiens fidem quam habes in Domino Jesu, et in omnes
" Sanctos ejus. „ In quæ verba Hieronymus: " Quicumque, in-
" quit, Deo credidit, aliter ejus fidem recipere nequit, nisi credat
" et in Sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta fides quæ
" in ministros ejus infidelitate tenuatur [3]. „

Imo erraret ipsa Ecclesia, siquidem, " cum quædam ad fidem pertineant... quæ plebs penitus ignorat, si Sancti omnes in fide rerum hujusmodi decepti fuissent, Ecclesia certe fuisset decepta [4]. „

411. — *i*) Demum, nisi certa fuerit sententia Patrum simul consentientium, nutat auctoritas cæterorum Locorum Theologiæ.

[1] Cf. Maran, *In Opp. S. Justini, Præf.*, Part. II, cap. XIII; Natal. Alex., *Hist. Eccl.*, sæc. II, Diss. XVI, § XXII.

[2] Ita Canus, " Aliud quippe fuerit de humanæ naturæ imbecillitate disputare, aliud de divina gratia et providentia, qua homines in veritate fidei continentur. Tota namque simul fidelium concio homines erant; Prophetæ item, Apostoli et Evangelistæ homines erant: sed quoniam Spiritum veritatis accepere, in falsam fidei doctrinam venire non poterant. Sic ergo et Ecclesiæ doctores universi homines quidem sunt; sed quoniam divino Spiritu gubernantur et aguntur in vera dogmata, nequeunt in falsa declinare. „ *Loc. theol.*, Lib. IV, cap. V.

[3] Canus, *Loc. theol.*, Lib. VII, cap. III, Concl. VI.

[4] Canus, *ibid.*

Imprimis nutat auctoritas Ecclesiæ, ut ex dictis patet, siquidem ipsa Patrum auctoritatem suam fecit.

Deinde nutat Scripturarum auctoritas, quæ ex Patrum interpretamentis communibus sumenda est. Etenim " oportet eos qui præsunt Ecclesiis clerum et populum docere, ex divina Scriptura colligentes intelligentias et judicia veritatis, et non transgredientes jam positos terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed etsi ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur quam quomodo Ecclesiæ luminaria et Doctores suis scriptis exposuerunt [1]. "

Demum, " Sanctorum omnium fide repulsa, magna ex parte Christi et Apostolorum traditiones repellentur. Non enim aliunde apertius quam ex sanctorum veterum testimoniis plerasque apostolicas traditiones agnovimus. Unde in VII Synodo generali, Act. I, Anath. VII Basilii pœnitentis sic habet: " Qui doctrinas " SS. Patrum et traditionem catholicæ Ecclesiæ contemnunt; " quique causantur et voces Arii, Nestorii, Eutychis et Dio- " scori jactant dicentes quod nisi satis ex veteri et novo Te- " stamento instructi essemus, SS. Patrum et catholicæ Ecclesiæ " traditiones sequeremur: execratio. " Hæc igitur duo ita sunt connexa atque conjuncta, ut divelli ac dissociari non possint, doctrina SS. Patrum et Ecclesiæ traditio. Quisquis unum istorum tentarit labefactare, alterius quoque fidem concutiat necesse est... Qua de re libet prorsus verba Vincentii Lirinensis adscribere: " Sacra, inquit, vetustatis auctoritate profanæ no- " vitatis conteremus audaciam. Neque hoc sane novum, siqui- " dem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque flo- " reret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus con- " trairet. Exemplis talibus plena sunt omnia..... Intelligebant " enim viri sancti atque prudentes nihil aliud rationem pie- " tatis admittere, nisi ut omnia qua fide a Patribus suscepta " forent, eadem filiis consignarentur. Idque esse proprium chri- " stianæ modestiæ ac gravitatis non sua posteris tradere, sed

[1] Concil. Trull. Cf. *Concil. Later. V*, act. II; *Trident.*, Sess. IV. Ita Iren., Lib. IV, c. LXIII; Clem. Alex., *Stromat.*, Lib. VII; Orig., *In Matth.* XXIX; Ambros., *De Fide ad Grat.*, Lib. III; Hieron. *In Dan.* XII; August., *De utilit. credendi*, cap. XVII; Greg., *Moral.*, Lib. XXVIII, cap. IX; Cassiod., *De Divin. Inst.*, Prooemio. — Recole quæ diximus ubi de Interpretatione Scripturæ.

" a majoribus accepta servare. Ducatum quippe præbet nobis " religio, non nos religioni. Nec majorum sensa qua volumus " trahemus, sed potius qua illa trahunt retrahuntque sequemur. " Hactenus ille [1]. " Unde Patrum sensus est ipsa traditio.

Confirmatur istud ex monumentis archæologicis, quibus apparet eum apud veteres viguisse morem ut Doctorum ac Patrum ubique in Ecclesiis, in codicibus, tamquam ducum effigies appingerent, ita ut etiam hoc modo illud nobis repeteretur monitum, scilicet: Nihil innovetur!

Nisi ergo Patrum doctrinam omni veneratione susceperis, traditionem ipsam respues.

DIFFICULTATES

412. — *Obj.* 1° Anteactis sæculis vix umbra scientiæ criticæ habebatur: ergo illius temporis scriptoribus vix ulla fides habenda.

Resp. 1° *Neg. antec.*, dum impudenter a novioribus asseritur. nullus enim ostendit veteres critica arte fuisse adeo destitutos, ut v. gr. Tertullianus, Origenes, Hieronymus, Augustinus, etc. quidquid audirent extemplo absque ratione crederent, cum aliud cuique legenti constet.

Resp. 2° *Dato non concesso anteced.*, *nego conseq.*, quia Patrum auctoritatem hic accipimus tamquam testium doctrinæ suo tempore universaliter acceptæ: cui muneri sufficit ipsa *critica naturalis*, nec requiritur *scientifica.*

Obj. 2° Aliquando in Ecclesia acceptum est ac definitum, v. gr. dogma Immaculatæ Conceptionis, quod a Patribus nullatenus fuit traditum: ergo.

Resp. Aliquando in Ecclesia definitum fuit quod nec Patres explicite docuerant, nec Ecclesia explicite prius crediderat, *transeat ;* quod nec implicite Patres docuerant, nec implicite crediderat Ecclesia, *nego* [2]. Solemnis namque est illa Lirinensis apud Catholicos doctrina: " Crescat oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius

[1] Canus, *Loc. theol.*, Lib. VII, cap. III, Concl. VI. Cf. *id. ibid.*, Concl. V, per totum; quæ enim hic de interpretatione Scripturarum dicuntur, de tota re dogmatica per analogiam dicenda omnino sunt.

[2] Cf. Passaglia, *De Imm. Concept.* et alios.

hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia. Sed in suo dumtaxat genere, in eodem scil. dogmate, eodem sensu, eademque sententia, imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros evolvant et explicent, eadem tamen quæ erant permanent. Multum interest inter pueritiæ florem et senectutis maturitatem: sed iidem ipsi sunt senes, qui fuerant adolescentes, ut quamvis unius ejusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen eademque natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna juvenum eadem ipsa sunt. Tamen, quot parvulorum artus, tot virorum: et si qua illa sunt quæ ævi maturioris ætate pariuntur, jam in seminis ratione proferta sunt, ut nihil novum postea proferatur in senibus quod non in pueris jam ante latitaverat. Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certe addatur quidpiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est ut totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certe debilitetur. Ita etiam christianæ religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scil. consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permaneat. Et universis partium suarum mensuris, cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem..... Quodcumque igitur in hac Ecclesia, Dei agricultura, fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur; hoc idem floreat et maturescat; hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est etenim ut prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem: sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem [1]. „

Idem dicendum de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ.

Obj. 3° Aliquando Ecclesia definiit sententiam Patribus oppositam: ergo.

Resp. Neg. supp. neque ullum exemplum afferri potest, quo

[1] *Commonit.*, Lib. I, cap. XXVIII-XXIX.

probetur reipsa objectio; quæ autem afferri possunt, non nisi specietenus opponuntur propositioni assertæ, ut facile patebit ex supradictis [1].

413. — PROPOSITIO II. *Singulare vel particulare alicujus Patris vel aliquorum Patrum testimonium per se non parit certitudinem omnimodam, sed majorem minoremve pro variis circumstantiis probabilitatem.*

Hic iterum considerantur imprimis Patres tamquam *testes* veritatis revelatæ, sicut et in propositione præcedenti.

A. Probatur prima pars.

a) Ex Scripturis, si quidem in iis jubemur fidem absolutam præstare Patribus universim sumptis, nusquam tamen aliquibus tantum, licet, prout infra dicemus, non nisi impudenter aliquorum tantummodo Patrum vel doctorum auctoritatem homo sensatus, ne dicam christianus, despicere possit.

b) Hinc Alexander papa VIII sequentem Jansenistarum propositionem damnavit: " Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam [2]. „ Qua damnatione manifestissime supponit Pontifex contradictionem dari posse hypothetice inter pontificiam aliquam definitionem, et aliquam Augustini doctrinam. Porro id quod asseritur de Augustini doctrina quam tanti ubique fecit Ecclesia, id a fortiori de aliorum doctrina dicendum est.

c) Ita docent ipsi Patres ac theologi. Augustinus enim: " Neque quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte noverimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego

[1] Passim adducitur communis doctrina Patrum circa historiam creationis. Sed facile reponitur quæstionem hanc ad *physicos* pertinere: unde S. Augustinus et alii absque scrupulo a sententia communi recesserunt. *Gen. ad litt.*, L. II, c. I, n. 4. Cf. S. Th. I, q. 68, a. 1. — Inter recentiores cf. Reuss, *Bibel und natur;* Reinke, *Beitrage zur Erklarung A. T.;* Meignan, *L'homme primitif;* Dina, *Manual of Geology*, etc.

[2] *Prop. damn.*, 7 Dec. 1690, *Prop. 30.*

sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum [1]. „ Hinc Lirinensis docet ad universalem Patrum auctoritatem recurrendum esse, contra aliquorum peregrinas vel erroneas opiniones: " Quid, inquit, si in ipsa vetustate duorum aut trium error deprehendatur? Curabimus omnino ut paucorum inscitiæ universalis Concilii decreta præponantur. Quæ si desint, collatas inter se majorum sententias lector consulat eorum qui, diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiæ catholicæ communione ac fide permanentes, magistri probabiles extiterunt, et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum [2]. „ Hæc ille Patrum fidus interpres. Ea, juxta eumdem, rerum mira conversio dari potest quod auctores ejusdem opinionis catholici, consectatores vero hæretici judicentur. Absolvantur magistri, condemnentur discipuli. Quia scil. postea vel melius et rectius explanata, vel universalius accepta, vel tandem definita fuit doctrina a vetustioribus olim minus recte aut perspicue exhibita.

Ita S. Thomas: " (Sacra doctrina) auctoritatibus canonicæ Scripturæ utitur proprie, ex necessitate argumentando: auctoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiæ quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter [3]. „ Quapropter Canus, omnium theologorum nomine: " Unius aut duorum Sanctorum auctoritas, etiam in his quæ ad sacras litteras et doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum vero non potest [4]. „

414. — *d*) Quod autem asseritur testimoniorum facto, id comprobatur factorum testimonio. Contra illos qui nihil erroris in Patrum immensis voluminibus contineri velint, ita arguit Canus: " Atqui laterem, ut ajunt, laverit quisquis isthuc conetur [5]. Hanc siquidem felicitatem Deus in solis divinis voluminibus inesse voluit, quemadmodum Augustinus gravissime ac verissime tra-

[1] *Epist. 148 ad Fortunatian.* Eamdem tradit doctrinam in libro *Cont. Faust.*, Lib. XI, cap. V, et *Epist. 81 ad Hieron.* [2] *Commonit.*, Lib. I, cap. IV.

[3] 1ª q. 1, a. 8, ad 2m. Cf. *Physic.* VIII, Lect. III, principio.

[4] *Loc. theol.*, Lib. VII, cap. III, Concl. II.

[5] Quia nonnulli Canum de læsa Patrum aliquorum dignitate conquestos invenies, lege ejusdem *Locorum* editionem a P. Serry curatam, in *Vindicationibus* præmissis.

didit. Cæteroquin nemo, quantumvis eruditus et sanctus, non interdum hallucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque labitur. Sanctus vero is fuit qui credidit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit qui in Christi corpore et sensum pœnæ et dolorem fuisse negavit. Sanctus fuit qui in Chiliastarum (millenariorum) dogma descendit. Sanctus fuit qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti alterum matrimonium concessit. Sanctus fuit qui animis piorum usque ad judicii diem veram felicitatem ademit. Sanctus fuit qui animam hominis ex traduce esse putavit. Sanctus fuit qui animam Adæ ante corpus fuisse editam opinatus est. Sancti fuere qui angelos multis ante mundum corporeum æternitatibus creatos esse existimarunt [1]. „

415. — *e*) Quibus factis atque auctoritatibus addatur et ratio. Illud nempe in theologia non est asserendum, quod neque auctoritati neque rationi innititur. Atqui neque auctoritati neque rationi innititur assertum propositioni contrarium. Nulla enim neque ex Scriptura neque ex Traditione adduci potest hujusmodi auctoritas, nec ulla ratio affertur sufficiens; præsertimque illa rationum momenta quæ supra attulimus ad demonstrandam inerrantiam omnium Patrum simul sentientium in re religionis, hic iterum nullatenus adduci possunt. Patet ergo non probari hucusque, imo nec probari posse aliquorum tantummodo Patrum certam omnino per se esse sententiam.

f) Hæc accedit ratio quod quandoque Patres inter se de facto dissentiunt [2]: unde impossibile est aliquos non errare. Imo quandoque idem Pater *Retractationes* suas scripsit. Ergo.

B. Probatur altera pars propositionis, nempe variam esse pro variis adjunctis Patrum auctoritatem.

Omissis ac suppositis quæ passim ab auctoribus traduntur de omnium, præsertimque graviorum scriptorum operibus, quoad authentiam, integritatem, incorruptionem, atque sive sermonis sive sententiarum interpretationem traduntur, quæque de Patrum operibus imprimis tradenda iterum sunt, hic tantum adducimus quæ ad argumentum nostrum proprie pertinent.

[1] Canus, *Loc. theol.*, Lib. VII, cap. III, Concl. II.

[2] Circa istas v. gr. quæstiones utrum Moyses viderit Deum facie ad faciem; utrum Melchisedech fuerit Spiritus sanctus, etc. Quod ultimum non amplius asseri potest.

Cum itaque auctoritas alicujus sancti Doctoris, qua testis habiti, æstimanda sit ac pensanda, tum *ex parte ipsius testis*, juxta ejusdem scilicet indolem sive in cognoscenda, sive in asserenda veritate; *tum ex parte Ecclesiæ*, quia Ecclesiæ jus competit testimonium illius accipiendi ac judicandi; hinc nos examinare congruit adjuncta circumstantiarum quibus augeri vel minui potest ejusdem auctoritas, sive ex parte ipsius testis, sive ex parte Ecclesiæ.

Ex parte auctoris seu testis, inquirendum est quomodo veritatem *noverit*, quomodo *expresserit*.

Sanctum vero doctorem eo melius veritatem novisse quisque opinabitur

Quo pauciores minoresve errores, qui veritati contrariantur, passus generatim fuerit;

Quo veritatem melius perceperit, idque compertum prorsus tibi erit vel etiam dubium;

Quo (ut a circumstantiis intrinsecis incipiamus) certior vel incertior erit vocatio divina qua auctor ille munus acceperit cœlitus veritatem aliquam manifestandi vel propugnandi;

Quo major minorve fuerit ejusdem sanctitas, unde major minorve in ipso censenda erit gratia Dei, et proinde supponendus veritatis amor;

Quo majus minusve ingenium ad investigandas veritates earumque connexionem perspiciendam;

Quo majus minusve studium in veritate inquirenda;

Quo (ut ad circumstantias extrinsecas accedamus) proximius remotiusve a Christo vixerit, unde plus minusve primitivas veritates cognoverit;

Quo junior seniorve scripserit, quo ante vel post conversionem aut perversionem;

Quo proximius remotiusve in loco ubi vel melius asserebatur veritas, vel rectius oppugnabatur error.

Expressio autem veritatis seu veracitas eo securior incertiorve erit

Quo sancto Doctori majori minorive gradu eidem concessæ fuerint omnes prædictæ dotes;

Quo magis minusve sibi certa asseruerit, seu magis asserendo vel opinando locutus fuerit;

Quo magis minusve pacato animo mentem expresserit, et a metaphoris, poesi, arte oratoria, etc. magis minusve abstinuerit;

Quo magis in persona propria quam in altera sententiam expresserit.

Ex parte autem Ecclesiæ notandum est eo majorem fore testis auctoritatem

Quo magis minusve testis se Ecclesiæ sensum sequi profitetur;

Quo majori vel minori in Ecclesia auctoritate gaudet;

Quo pluribus consentit vel dissentit. De quo axiomate hoc advertendum est, scilicet nullam remanere probabilitatem majorem, si aliquibus asserentibus contradicant ejusdem auctoritatis doctores; probabiliorem vero remanere sententiam eorum quibus inferioris auctoritatis aliqui obstiterint, horumque minus probabilem.

Quæ omnia per se patent quin probatione indigeant.

416. — *Corollarium I* ex prædictis eductum.

Ex dictis facile colligitur non omnes prædictas dotes ejusdem esse momenti, nec inseparabiles, easque imprimis esse attendendas quæ vel ab indole ipsius auctoris vel ab approbatione Ecclesiæ petuntur. Unde singulus auctor sanctus majoris minorisve auctoritatis in Ecclesia erit, prout plures seu majores, vel pauciores seu minores ipsi ex prædictis dotibus competent. Hinc Leo papa XIII de Augustino hæc habet: “ Sed omnibus (scil. Patribus) palmam præripuisse visus est Augustinus, qui ingenio præpotens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus contra omnes suæ ætatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiæ locum (intellige de theologia) non attigit; imo vero quem diligentissime non investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive cum academicorum aut Manichæorum commentis deletis, humanæ scientiæ fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit, aut malorum quibus premuntur homines rationem et originem et causas est persecutus? Quanta de angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et æternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime di-

sputavit [1]? „ Sic autem de S. Thoma: " Illorum (scil. Patrum) doctrinas, velut dispersa cujusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicæ Ecclesiæ singulare præsidium et decus jure meritoque habeatur. Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, scientia prædives, soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinæ splendore complevit. Nulla est philosophiæ pars quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quæstionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quæque explicandi facilitas desideretur [2]. „ Ita doctissimus Pontifex.

Corollarium II est Patrum, etiam singulorum, doctrinam cum reverentia semper tractandam esse, etiamsi forte deserenda fuerit; nec deserendam nisi validiorum rationum vi. Unde S. Gelasius hæc de SS. Hieronymi et Augustini doctrina asserebat, quæ ad alios, modo servato, extendi possunt: " Adhuc majus scelus accrescit, ut sub conspectu et præsentia sacerdotum, beatæ memoriæ Hieronymum atque Augustinum, ecclesiasticorum lumina magistrorum, musca moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suavitatis, lacerare contenderet [3]. „

417. — *Quæres* 1° Quomodo interpretandæ sint Patrum sententiæ vel falsæ vel dubiæ?

[1] Bulla *Æterni Patris.* Cf. *Epist. Joannis II ad nobiles Senatores Romanos;* et *Cœlestini I, ad Episc. Gall.*, cap. II, etc.

[2] Bulla *Patris æterni.*— De Augustini præstantia hæc habet Joannes II: " S. Augustinus, cujus doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur et servat Ecclesia „ (*Ad nob. Senatores Romanos*). — De S. Thomæ autem doctrina ita Innocentius VI: " Hujus (*Thomæ scil.*) doctrina præ cæteris excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam tenuerint, inveniantur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus „ (*Serm. de B. Thoma*).

De *approbatione* doctrinæ SS. Augustini et Thomæ cf. varia de hac re opera, præsertim, quoad S. Augustinum, opera Card. De Noris: *Historia Pelagiana et Vindiciæ Augustinianæ;* quoad S. Thomam, opus Seraph. Piccinardi, cui titulus: *De approbatione doctrinæ S. Thomæ Aq. libri* VII; quoad utrumque Schœzler, *Introd.*, Sect. II.

[3] *Epist. Gel.*, ep. IV.

Hoc quæsitum fieri non posse patet nisi de aliquorum vel alicujus sententia.

1° Si aliqua patristica doctrina certo falsa comprobetur, vel quia Scripturæ, vel quia Ecclesiæ auctoritati adversatur, tunc in memoriam revocandum est quemlibet in Ecclesia auctorem, non modo doctorem, sed doctorem catholicum esse; imo potius catholicum esse, seu Ecclesiæ discipulum prius quam doctorem. Idcirco ipsius asserta quæcumque ab ipso prolata sunt non certitudine absoluta, sed hypothetica, seu conditionata, supposito nempe Ecclesiam non dissentire. Unde etsi erraverit aliquis sanctus doctor *quoad factum*, reputans scilicet id verum esse quod falsum erat, non tamen *quoad jus* erravit, dum scilicet non negavit, sed asseruit summum Ecclesiæ criterium, cui se omnino subjecit, et ex quo errorem emendaturus fuit, quia nempe auctoritatem Ecclesiæ tamquam regulam ultimam quoad credenda ac facienda sibi proposuit [1].

2° Si autem proferantur aliquæ Patrum sententiæ dubiæ, quæ scilicet interpretationem vero conformem patiantur, tunc benigne interpretandas esse suadent charitas, veritas et æquitas [2].

Primo charitas, quia nullus supponitur male locutus nisi probetur; unde quotiescumque dictum aliquod recto sensu accipi potest, consideratis textu atque contextu, sensu illo reapse accipiendum est.

Secundo veritas, quia doctor catholicus, prout veritatis amans, ac in Ecclesia approbatus, veritatem cognovisse et expressisse prorsus supponendus est, nisi contrarium certo probetur.

Tertio æquitas, quia sæpe sæpius doctores sancti, etiamsi nonnunquam minus recte sentire videantur, suam tamen sententiam in locis parallelis complent ac perficiunt, præsertim si attendatur illos oratorio modo, vel controversiæ fervore passim locutos fuisse.

418. — *Quæres* 2° quænam sit Patrum auctoritas dum non tamquam testes, sed tamquam *doctores* seu propria sententia loquuntur, de his scilicet quæ ad fidem non pertinent.

[1] Cf. S. Th. 2. 2., q. 10, a. 12, ubi hoc statuit, quod scil. ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet.

[2] Cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.*, Sæc. II, Diss. XVI, ubi clarus auctor regulas tradit interpretandi metaphoras Patrum. Optime feceris totam illam eamdemque doctissimam legendo.

Patet aliquod assertum duplici modo fidei extraneum esse posse: vel nempe quia etsi de re religiosa habeatur, attamen non sit de veritatibus necessario credendis, prout nec ad fidem definitam aut catholicam pertinentibus, neque ex eadem necessario consequentibus; vel quia de re profana erit.

Quæsito quoad utrasque veritates respondendum est.

1. Quoad veritates seu asserta, quæ, etsi de re religionis sint, attamen non sunt necessario credenda, hæc notat Canus, postquam duo rerum genera discreverit, " aliud nempe earum quæ vere ad fidem spectant doctrinamque catholicam; " " alterum earum quæ citra jacturam pietatis ignorari possunt, " hæc addendo prosequitur: " Hæc duo rerum genera non est facile discernere, quoniam etsi nonnulla quæ alioqui per se quidem ad fidem pertinebant, ut Apostolis et Prophetis atque Evangelistis revelata, in dubium venire possint, antequam sint ab Ecclesia definita: sed id tamen per ignorantiam fit, qua videlicet excusantur, qui ea vertunt in quæstionem, quæ alias divinitus sunt tradita, ut processionem Spiritus sancti a Patre et Filio, tamquam ab uno principio, ante Ecclesiæ definitionem græci quidem negare sine culpa potuere, tametsi Evangelium id Apostolique tradiderunt. At hæc nos sub priori genere complectimur; quippe cum fidei catholicæ dogmata non ex accidenti imprudentium hominum ignorantia, sed ex divina revelatione hoc sane loco metiamur. Illud ergo asserebamus esse difficile ad discernendum æque res sub illud primum genus, æque autem sub hoc secundum sua quasi sponte et natura veniant. Et quidem generaliter unaque comprehensione in promptu definire licet in illo primo rerum genere omnia ea contineri quæ Apostoli vel scripto vel verbo Ecclesiæ tradiderunt, illa rursum quæ inde certa connexione probantur existere. Quemadmodum in secundo genere ea sunt quæ neque a Christo, neque ab Apostolis accepimus, neque ex iis certo colliguntur quæ Christi et Apostolorum auctoritate retinemus[1]. "

His ita notatis, respondeo ad quæsitum cum eodem Cano: " Omnium etiam Sanctorum auctoritas in eo genere quæstionum quas ad fidem diximus minime pertinere, fidem quidem probabilem facit, certam tamen non facit[2].

[1] *Loc. theol.*, Lib. VII, cap. II.
[2] *Loc. cit.*, cap. III, Concl. IV. Cf. Penzi, *Theol. Rud.*, lib. VIII, cap. II et III.

419. — *Primo*, ita Patres, e quibus Augustinum adduxisse sit satis, qui postquam scriptoribus sacris omnimodam fidem esse adhibendam statuerat, ita de aliis doctoribus disserit: " In opusculis autem posterorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ canonicarum Scripturarum excellentiæ adæquantur, etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen est impar auctoritas. Itaque in eis, si qua forte propterea dissonare putantur a vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditorve judicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit [1]. „ Et alias: " Alios autem (scilicet scriptores non sacros etsi sanctos), inquit, ita lego ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt [2]. „

Sic sentiebat sane Gelasius papa, qui Patrum opuscula approbavit, necnon et tractatus eorum, " qui in nullo a S. R. Ecclesiæ consortio deviaverunt, nec ab ejus fideli prædicatione (alias fide vel prædicatione) sejuncti sunt, sed communionis ipsius, gratia Dei, usque ad ultimum diem vitæ suæ, participes fuerunt [3]. „ Ubi supponit Pontifex aliquid erroris in operibus Patrum inveniri posse, dum deest suprema in proponendis fidei rebus regula, seu auctoritas Ecclesiæ.

Secundo, ita et apud Judæos veteres, thalmudici doctores, dum traditiones antiquas referrent, pro suo *testium* officio, tamquam *auctoritas religiosa* habebantur, nec subjiciebantur discussioni ac examini; dum autem traditiones easdem interpretarentur propria doctrina, tunc non nisi *doctores* erant, et examini obnoxii remanebant. Ita pariter senserunt eorum primi successores, qui nonnunquam eo devenerunt audaciæ ut textum *Mishnæ* aliter quam Thalmudistæ interpretarentur [4].

Tertio, ratio hæc est quia sancti doctores non amplius auctoritatis infallibilis testes certi sunt et indubii; sed suam tantummodo opinionem proferunt, quæ *per se* infallibilis non est: unde hujusmodi opinio neque *ex se* neque *ex altero* certa prorsus est.

[1] *Cont. Faust.*, Lib. xi, cap. v. [2] *Ep. 81 ad Hier.*, n. 3.
[3] Dist. xv, cap. iii.
[4] Cf. Elias Benamozeg, *Storia degli Esseni*, *Lez.* xiii, *not.* 2.

Quarto, singuli alicujus doctoris sententia *per se* non est nisi probabilis: atqui etiamsi huic probabilitati mille probabilitates aliæ addantur, non tamen inde eruitur certitudo: ergo. Quæ clarius patebunt sane ex infra dicendis de auctoritate theologorum.

Quinto, ex hypothesi superius admissa, certum est sanctos doctores hic non loqui nisi scientifice, cum ex auctoritate Dei vel Ecclesiæ non loquantur: atqui in rebus scientificis auctoritas infimum tenet locum, prout demonstrant logici. Ratio est quia in scientia quæritur evidentia, seu certitudo deducta ex intrinsecis certisque principiis. Unde Augustinus: " Pudet imbecillitatis cum rationi roborandæ hominum auctoritas quæritur; cum ipsius rationis ac veritatis auctoritate, quæ profecto est omni homine melior, nihil deberet esse præstantius [1]. "

Unde in his melius pensandæ sunt rationes adductæ quam auctoritas. Neque tamen existimandum est nullam esse auctoritatem, sed tantum probabilem magis minusve esse pro vario auctoritatum pondere et numero, juxta illa quæ superius diximus.

Quapropter si ostenderet aliquis Patres omnes, paucis exceptis, opinatos esse v. g. dies creationis fuisse 24 horarum; vel in diluvio Noachi, totum penitus orbem aquis circumvolutum fuisse, etc.; non tamen extemplo damnandus hæresis foret qui aliter sentiret opinatus dies creationis nonnisi epochas fuisse, vel orbem aquis diluvii immersum tantummodo fuisse quoad ea loca quæ homines incolerent: ratio est quia priores hypotheses (præterquam ad scientias physicas potius, servatis servandis, pertineant) nusquam clare in Scripturis asseruntur, nec secus opinando sancti doctores sententiam suam tamquam indubiam, sed tamquam probabilem tradere voluerunt, donec definiret Ecclesia; vel, si malueris, doctrinam suam sibi certam habuerunt, quæ tamen nonnisi probabilis esset ex parte Ecclesiæ, prout sane præsumebant.

420. — 2. Idem fere dicendum est de auctoritate sanctorum auctorum circa veritates ad philosophiam attinentes. Quod ita statuit Canus: " Sanctorum auctoritas, sive paucorum sive plurium,

[1] De Mus, Lib. v, cap. v. Cf. S. Th. I, q. I, a. 8 ad 2.

cum ad eas facultates affertur quæ naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat, sed tantum pollet quantum ratio naturæ consentanea persuaserit [1]; „ potest tamen probabilitatem parere, seu ad summum certitudinem moralem, præsertim in historia.

Primo, ita sentiunt theologi, inter quos solum Aquinatem adduxisse sufficiat, qui pronuntiat auctoritates SS. Doctorum in philosophia non plus valere quam dicta philosophorum quos sequuntur [2].

Secundo, ratio est quod " sancti auctores non erant adeo solliciti in philosophiæ dogmatis perscrutandis, quin philosophorum libros, ut totos sese divinæ sapientiæ dederent, aut valere sinebant, aut etiam interdum a limine salutabant [3]... „

Tertio, " accedit quod ex sanctis antiquis nonnulli physicen et metaphysicen vel non habuere quidem, vel certe leviter attigerunt. Alii vero magna ex parte fuere platonici, priusquam converterentur ad fidem [4]... „

Quarto, demum advertendum est id quod jam supra notavimus, scilicet: In quæstionibus scientificis, qualis sane est quæcumque philosophica doctrina, ultimum locum tenet auctoritas, imprimisque rationi attendatur oportet. Secus tamen res se habet in historicis factis.

421. — *Quæres* 3° cujusnam sit roboris approbatio ab Ecclesia alicui doctori concessa.

Respondendum est quadruplicem esse posse alicujus auctoris approbationem ab Ecclesia concessam, scil. *definitivam*, *electivam*, *permissivam* et *dimissivam*, atque diversæ auctoritatis fore.

1° Approbatio definitiva est qua Ecclesia alicujus auctoris doctrinam ut certam et a fidelibus sequendam decernit, ita ut qui eamdem impugnaret, Ecclesiæ contrarius esset. Quæ approbatio erit vel *explicita*, si expressis verbis proferatur; *implicita*, si facto Ecclesia doctrinam alicujus suam faciat.

Quæ approbatio sane gravissima est, neque nisi temerarie et erronee despici potest vel impugnari. Hujusmodi forsan erit approbatio doctrinæ SS. Augustini et Thomæ circa gratiam,

[1] *Loc. theol.*, Lib. VII, cap. III, Concl. I.
[2] II. Dist. XIV, 2. 1m.
[3] Canus, *Loc. theol.*, Lib. VII, cap. III, Concl. I.
[4] *Ibid.* Cf. *Dictionn. de Théol. Cath.* ad vocab. *Platon, Platonisme.*

vel circa formam substantialem et materiam primam, etc. Magis tamen minusve gravis erit, pro varia approbationis gravitate, ut patet.

2° Approbatio electiva seu positiva ea est qua alicujus auctoris doctrina laudatur et extollitur, quin tamen deseri absolute prohibeatur. Sic in genere approbati sunt a Gelasio papa libri SS. Cypriani, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Chrysostomi, Theophili Alexandrini, Hilarii Pictaviensis, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Prosperi [1]. Inter recentiores autem præ cæteris laudati sunt SS. Thomas et Alphonsus.

Hujusmodi approbatio passim conceditur auctoribus qui inter Beatos et Sanctos solemniter ab Ecclesia adnumerantur.

In qua approbatione varii dantur gradus, ut facile cuique patet, pro ejusdem diversa solemnitate, gravitate, frequentia, etc.

Eamdem vero concedens Ecclesia asserit quidem auctoris laudati doctrinam esse fidei et sensui Ecclesiæ conformem, non tamen omnes et singulas sententias facit suas, imo nec approbat positive et laudat; nec prohibet quominus ex iis aliqua aut deseratur aut impugnetur, salva tamen debita reverentia. Celebris illa est Nicolai monachi ad Petrum Cellensem responsio: " Sanctus ille Bernardus quem dicis me debita exuere veneratione..., quondam Sanctorum catalogo adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, et ab humano judicio exemptus: exemptus, inquam, est ne de gloria ejus dubitemus, sed non ut minus de ejus dictis disputemus [2]. "

3° Approbatio permissiva illa est qua declaratur alicujus auctoris doctrina ab omni errore vel gravi vel certo contra fidem et mores immunis, supposito cæterum nullam vehementiorem de aliquo errore suspicionem prius habitam esse.

Qui approbandi modus apud catholicos auctores frequentius usurpatur, potiusque *negativus* dicendus est, cum inde negetur gravem dari in fide errorem, quin tamen negetur error in theologia. Hinc licet cuique a doctrina sic approbata omnino recedere, nisi aliunde prohibeatur.

4° Approbatio demum dimissiva est qua alicujus auctoris doctrina, postquam apud catholicos vehementius suspecta ha-

[1] XV. Dist., cap. *Sancta Romana*.

[2] Inter *Epist. Petri Cellensis*, Lib. IX. Cf. Benedict. XIV, *De Canoniz. SS.*, L. II, cap. XXI et XXVIII.

bita fuerit, *dimittitur* tamen ut apud fideles absque nota contra fidem accipiatur, si libuerit. Non tamen inde negatur aliquem errorem contra theologiam vel philosophiam contineri, sed tamen significatur vel errorem non adeo gravem aut certum esse ut statim damnetur, vel occurrere rationes sufficientes cur extemplo et publice non respuatur. Sic dimissa sunt *Opera* celeberrimi et doctissimi viri A. S. Rosmini.

Dimissio autem illa a *permissione* differre videtur omnino, propter illam de qua supra diximus anteriorem suspicionem, nusquam postea damnatam. Haud secus in societate civili potior est illius conditio qui nunquam de probitate suspectus fuit, quam illius qui aliquando dubia fama potitus est, etiamsi ut innocens, seu non probatus nocens, dimissus fuerit.

Illud vero *dimittatur* nihil impedit quominus auctoris dimissi doctrina ad examen rursus vocetur, quoadusque certo appareat aut error aut veritas, indeque vel damnetur vel approbetur.

DIFFICULTATES

422. — *Obj.* 1° Ecclesia nonnunquam ita alicujus auctoris doctrinam laudat ut singulas sententias videatur approbare *positive*, dum v. g. declaratum est S. Thomam quot *articulos* tot *miracula fecisse ;* vel S. Alphonsum in singulis sententiis tutum doctorem esse.

Resp. 1° Id accipiendum esse moraliter, non absolute, prout patet ex modo agendi ipsius Ecclesiæ.

Resp. 2° Aliud est doctrina *tuta* seu sufficienter probabilis quoad nos; aliud est doctrina in se certa: unde doctrina quæ tuta asseritur, non ideo in se certa.

Obj. 2° Omnium Patrum sententia concors in re fidei certa est: ergo et singulorum Patrum, siquidem certitudo non potest a probabilitate oriri.

Resp. conc. antec.; neg. consequens. Ad rationem dico certitudinem sententiæ ab omnibus Patribus assertæ non oriri ex multis probabilitatibus, sed ex consensu certo omnium Patrum.

His ita explanatis, cuique theologo munus incumbit non modo certa discendi, sed et dubia investigandi, ut inter illos numeretur de quibus ita scribit Lirinensis: « Esto, o Doctor, quasi Beseleel, et pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter

coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem; intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Eadem tamen quæ didicisti doce, ut cum dicas nove, non dicas nova [1]. „ Hinc melius in dies clarebit veritas, dubia evanescent, apparebitque omnium oculis summa Veritas, quæ Christus est.

APPENDIX I.

423. — Quia ad pernoscendam Patrum doctrinam nulla sunt utiliora documenta quam opera de rebus disputatis, seu controversiæ, hujusmodi opera imprimis legenda theologo erunt.

Controversiæ autem habentur vel cum Gentilibus, vel cum Judæis, vel cum Hæreticis: primis quidem totam revelationem respuentibus; alteris partim accipientibus, partim respuentibus; tertiis totam recipientibus, sed male intelligentibus.

424. — I. Contra Gentiles scribuntur passim Apologiæ, quæ sunt vel *dogmaticæ*, vel *dogmatico-historicæ*.

1. Apologiæ dogmaticæ fuerunt vel *polemicæ*, vel *didacticæ*.

A. Apologiæ polemicæ fuerunt vel *polemico-judiciariæ*, vel *polemico-doctrinales*.

a) Apologiæ judiciariæ editæ fuerunt ab auctoribus christianis præsertim ad refellendas persecutorum calumnias quibus edicta contra Christianos nitebantur.

Quarum præcipuæ fuerunt Quadrati et
Aristidis, quorum deperdita sunt opera;
Justini, qui *Apologiam majorem* et *minorem edidit;*
Melitonis episcopi Sardensis;
Miltiadis philosophi;
Claudii Apollinaris, episcopi hierapol.;
Athenagoræ philosophi;
Tertulliani, cujus super æthera noti sunt *Apologeticus, Liber ad Scapulam*, et libri *ad Nationes*.

b) Apologias polemico-doctrinales ediderunt imprimis:
Justinus in *Oratione ad Græcos* et *Cohortatione ad Gentes;*

[1] *Commonit.*

Theophilus episcopus antiochenus, in tribus libris *Ad Autolycum ;*

Tertullianus in suo *De Idololatria ;*

Minutius Felix in suo *Octavius;*

S. Cyprianus in suo *De idolorum vanitate ;*

Tatianus, in *Oratione ad Græcos;*

Hermias, in suo libro qui dicitur *Irrisio gentilium philosophorum;*

Origenes, in suis octo libris *Contra Celsum ;*

Methodius et

Apollinaris junior, *Contra Porphyrium ;*

Eusebius *Contra Hieroclem ;*

Cyrillus *Contra Julianum ;*

B. Apologiæ didacticæ fuerunt quibus veritas christiana in se exponebatur. Cujus generis sunt:

Clementis Alexandrini *Liber Protrepticus*, et *Strommata ;*

Lactantii *Divinarum Institutionum libri VII;*

Eusebii *Præparatio evangelica* et *Demonstratio evangelica;*

Athanasii *Adversus gentes*, etc., etc.

2. Apologiæ *dogmatico-historicæ* editæ sunt contra illos qui a fine sæculi III christianis exprobrabant mala quibus premebatur undique Romanum Imperium. Cujusmodi fuerunt

Arnobii libri VII *Contra gentes ;*

Augustini, *De civitate Dei;*

Orosii libri VII *Contra gentes;*

425. — II. Contra Judæos vero scripserunt:

Justinus in *Dialogo cum Tryphone ;*

Tertullianus, liber unus *Adversus Judæos ;*

Claudius Apollinaris et

Miltiadis, quorum desiderantur opera;

S. Cyprianus in duobus primis libris *Tertius ad Quirin. ;*

S. Jo. Chrysostomus in sex *Orationibus* Antiochiæ habitis;

S. Isidorus in suo *Adversus nequitiam Judæorum.*

Alii alia passim scripserunt, v. gr.:

Eusebius Emissenus, S. Gregorius, S. Augustinus, S. Agobardus Lugdunensis, etc. Sed de his satis.

426. — III. Contra Hæreticos demum imprimis scripserunt:

S. Ignatius adversus Simonem Magum, Menandrum et Ebionem ;

Irenæus adversus Valentinum;

Tertullianus adversus Marcionem;

Cyprianus et Pacianus adversus Novatianos;

Athanasius, Hilarius, Ambrosius et Augustinus adversus Arianos;

Basilius, Gregorius Nazianzenus adversus Eunomianos;

Augustinus, Optatus adversus Donatistas;

Hieronymus adversus Origenem, Jovinianum, Helvidium, Vigilantium, Pelagium;

Augustinus adversus Pelagianos, Manichæos et Jovinianistas;

Cyrillus Alexandrinus adversus Nestorianos;

Leo Magnus adversus Eutychianos et Priscillianistas;

Prosper contra Semipelagianos;

Sophronius Jerosol. contra Monothelistas;

Joannes Damascenus et Theodorus Studites contra Iconomachos, etc.

APPENDIX II.

427. — Hic notandi nobis videntur præcipui auctores qui de Patrologia scripserunt, quique theologo legendi sunt.

1. Eusebius, in sua *Historia Ecclesiastica.*

2. Hieronymus, in suo *De viris illustribus*, qui liber CXXXV articulos de biblicis ecclesiasticisque scriptoribus complectitur. Hunc postea usque ad sua tempora prosecuti sunt Gennadius Massiliensis, an. 490; S. Isidorus, an. 610, et Ildephonsus Toletanus, circa an. 660.

3. Photius in suo egregio opere cui titulus Μυριοβίβλιον, servatis tamen servandis.

4. Omissis Honorio Augustodunensi, et Sigiberto Cameracensi, qui uterque circa an. 1100 nonnullas sed raras tradiderunt notitias, nominandus imprimis venit inter recentiores Joannes Trithemius, seu de Trittenheim, qui sæc. XV floruit, librumque edidit *De scriptoribus ecclesiasticis*, a Myræo postea auctum et perfectum.

Prædicta opera simul edidit Albertus Fabricius, in sua *Bibliotheca Ecclesiastica;* Hamburg. 1718.

5. Sæculo XVII, perfecta demum arte critica, immensum

Patrologia accepit incrementum. Anno 1613 Robertus Bellarminus suum edidit opus *De scriptoribus ecclesiasticis.*

6. Petrus Halloix, an. 1633, publici juris fecit librum illustrium Ecclesiæ orientalis scriptorum, qui sanctitate et eruditione floruerunt sæculis I et II, etc.

7. Ellies Dupin edidit an. 1686-1711 suum opus *Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques:* opus quidem eruditione eximium, orthodoxia suspectum, quo continentur scriptorum vita, operum chronotaxis et catalogus, una cum eorumdem critica.

8. Nicolaus Le Nourry, an. 1703-1715, edidit suum *Apparatum ad Bibliothecam maximam Patrum et antiquorum Scriptorum ecclesiasticorum.* Quod opus summæ eruditionis est.

Neque hic omitti volumus egregium tractatum quem a. 1704 edidit de re nostra P. Petrus Annatus, in suo *Apparatu ad theol. posit.*, vol. I, lib. IV, perspicue et docte concinnatum.

9. D. Remigius Ceillier, an. 1729-1763, typis mandavit *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, in qua auctorum vitam, opera, doctrinam ad examen eximia scientia atque pietate revocat. Plurima mutuo accepit ex opere D. Tillemont, cui titulus: *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique des six premiers siècles*, edito an. 1693.

10. Neque sane omittenda sunt opera Benedictinorum, imprimis Maurinorum, aliorumque scriptorum de Patrum scriptis ea tempestate passim edita. Quos aliunde norunt omnes, atque undique in unum collegit Migne in sua utraque Patrologia.

11. Quibus omnino addendus est Natalis Alexander, qui in sua *Historia Ecclesiastica* de Patribus doctoribusque notitiam critica et doctrina conspicuam perpetuo et singulatim profert.

12. Omissis Germanorum quorumdam compilationibus, præsertim Wilhelmi, West, Winter, Godwitzer, etc., prædictis accedit D. Lumper, an. 1783-1799, cum sua *Historia theologico-critica de vita, scriptis atque doctrina SS. Patrum, aliorumque scriptorum ecclesiasticorum, trium primorum sæculorum.*

13. Ex protestantibus nominandi sunt Guill. Cave qui edidit an. 1688-1689 opus sub hoc titulo: *Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria.*

14. Cui addatur Casimirus Oudin, a quo, an. 1722 editus est *Commentarius de Scriptoribus ecclesiasticis antiquis, illorumque scriptis.*

15. Inter recentiores catholicos plures scripserunt solitas *Introductiones*, Εισαγωγας, etc. in Patrologiam, e quibus plurimis nominasse sufficiat Joan. Ad. Moehler, qui an. 1839 edidit suum *Patrologie;* et Alzog, qui recentius scripsit: *Handbuch der Patrologie, oder der alteren Christlichen Litterar-Geschichte.*

II. De auctoritate doctorum scholasticorum.

428. — Postquam de Patrum auctoritate dictum sit, quasi e regione de auctoritate doctorum aliorum dicendum venit. Hic doctorem accipimus qui in scientia Dei acquirenda nec evidentiæ auctoritatem, nec auctoritatis evidentiam despicit; seu neque scholasticam, ut ajunt, neque positivam theologiam contemnit; sed qui recte auctoritatis et rationis præsidio simul utitur. Ita et quidem peregregie Canus: " In omni oratione memento, lector, eam me defendere scholæ doctrinam quæ sacrarum Litterarum fundamentis constituta sit. Ex quo id efficitur quod ego magno cum assensu omnium dicere me video, miseram esse scholæ doctrinam quæ se titulis magisterii defendat, miseram etiam, atque haud scio an multo magis quæ detracta Scripturæ sacræ auctoritate, syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur. Imo ne de rebus divinis quidem, sed nec de humanis, verum de his quæ nihil ad nos attinent. Intelligo autem fuisse in schola quosdam theologos adscriptitios, qui universas quæstiones theologicas frivolis argumentis absolverint, et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint; Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidem, sed fere ex puerilibus disciplinis scholasticis tument; si superis placet, theologi vocantur: nec scholastici sunt, nedum theologi, qui sophismatum fœces in scholam inferentes et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum. Quem vero intelligimus scholasticum theologum? Aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo qui de Deo rebusque divinis apte, prudenter et docte e litteris institutisque sacris ratiocinetur. Quod etsi ita esse pluribus verbis postea disse-

rendum est, illud tamen nunc brevi confitendum est, nisi qui iste sit, esse theologum scholæ neminem [1]. „

Veræ theologiæ originem, naturam et munus ita describit Sixtus papa V: " Divino illius munere qui solus dat spiritum scientiæ et sapientiæ et intellectus, quique Ecclesiam suam per sæculorum ætates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis præsidiis instruit, inventa est a majoribus nostris sapientissimis viris, theologia scholastica... Hujus tam salutaris scientiæ cognitio et exercitatio, quæ ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, SS. Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et hæreses detegendas et refellendas: his vero novissimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in pejus, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicæ fidei dogmatibus confirmandis et hæresibus confutandis pernecessaria est [2]. „

Hæc est quam laudamus theologia, cujusque auctoritatem investigamus.

Suppositis igitur iis distinctionibus supra quoad Patres allatis, scil. de officio *testium* vel *doctorum*, de *objecto* et *motivo* sententiarum assertarum; de conclusione ad *fidem* vel ad *theologiam* spectanti, etc. rem totam de theologorum auctoritate hac duplici propositione absolvimus [3].

[1] *De Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. I. Alia ibidem habet studioso legenda. Dignus omnino est qui legatur de vera theologia liber de *Nat. et Grat.* Dominici Soto, in *Præfat. ad Patres Trident.*

[2] Bulla *Triumphantis*, an. 1588. Relata a Leone XIII in Bulla *Æterni Patris*.

[3] Nihil addimus de Theologiæ historia, præsertim Scholasticæ, cum omnibus notum sit (licet in Ecclesia semper viguerit Doctrina sacra) invectam præsertim fuisse apud Orientales a Joanne Damasceno (676-754 ?), apud Occidentales vero ab Anselmo Cantuariensi (1033-1109): cujus princeps evasit Thomas Aquinas, Doctor Angelicus (1225-1276). De auctoribus scholasticis, cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.;* Gener, *Theologia... Prodrom.* I, etc.

429. — Propositio I. *Theologi omnes, dum consentiunt qua testes de aliquo asserto circa fidem et mores, certam sententiam præbent; secus, si non omnes.*

A. Probatur prima pars propositionis.

a) Apostolus docet: " Alios dedit Christus in Ecclesia apostolos, quosdam prophetas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei in virum perfectum: ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ [1]. " Ita refert hunc textum Canus, ex quo sic arguit: " Quamdiu igitur Christi corpus, h. e. Ecclesia, fuerit, ad divinam procurationem pertinebit ut ii qui in Ecclesia sacræ doctrinæ doctores habentur, tamquam a Deo dati veritatem in fide teneant, ne populus parvulorum more circumferatur [2]. "

Neque objicias id competere auctoritati infallibili Ecclesiæ ut nos in fide confirmet: ista enim auctoritas humano etiam modo, i. e. penitiori cognitione et suasione veritatis proponit credenda, quæ cognitio et suasio a theologis præsertim habetur. Unde cum dixit Christus: " Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit, " non modo ad primos theologos, h. e. Apostolos, verba illa referebat; sed ad doctores etiam in Ecclesia futuros, quamdiu pascendæ essent oves in scientia et doctrina [3].

b) Idem confirmat auctoritas Pontificum, qui non solum scholasticos a calumniis vindicarunt [4], sed etiam summis laudibus extulerunt. Has ita memorat Pius papa IX: " Neque ignorabamus in Germania etiam falsam invaluisse opinionem

[1] *Ephes.* IV, 11-14. [2] *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. IV.

[3] Canus, *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. IV, Concl. III.

[4] Cf. *Prop.* XXIX ex XLV articulis Joannis Wicklef damnata a Concilio Constantiensi et a Martino V; item *Propositiones* LXXVI *et* LXXIX damnatæ in Bulla *Auctorem Fidei* a Pio Pp. VI. Inter theses a D. Bonetty, die 11 junii 1855, jussu Pontificis subscriptas, hæc habetur: " Methodus qua usi sunt D. Thomas et D. Bonaventura et alii post ipsos Scholastici, non ad rationalismum ducit, neque causa fuit cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, præsertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint. " Cf. Bullam Leonis Pp. XIII, scilicet *Æterni Patris.*

adversus veterem scholam, et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitæ sanctitatem, universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiæ auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia sæcula, permisit ut ex eorumdem doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis, theologica excoleretur scientia, verum etiam sæpissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum, et formidanda contra suos inimicos arma, vehementer commendavit [1]. „

Ita perpetuo summi Pontifices necnon et Concilia particularia et œcumenica, theologiam commendarunt præsertim scholasticam, eique incumbi jusserunt, ea ratione ducti, fatente ipso Pio IX, quod auctoritas scholasticorum in genere sumpta sit *fortissimum fidei propugnaculum*, præsertim ubi omnes de aliquo dogmate ad fidem pertinenti consenserint.

Confirmatur 1° Ex odio Novatorum in scholasticam, qualem hic intelligimus, prout nempe revelationi scientiam addit: " Ob eam causam, ait Canus, scholasticorum disputationibus adeo sunt hæretici infensi, quod intelligunt catholicam fidem, quam expugnare moliuntur, horum studio doctrinaque muniri. Agnoscunt sane lupi canes, eosque odio prosequuntur, et scholæ nomen istis invisum est, quæ lupos arcet a gregibus, et eorum insidias porro cavet [2]. „ Quæ omnia historice confirmantur [3].

[1] *Epist. ad Archiep. Monac.* die 21 Dec. 1863.

[2] *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. II.

[3] Ita namque prosequitur Canus: " Signifer impietatis Germanicæ, inquit, Wickleffi in hoc ut in aliis discipulus, in libro quidem *adversus Jacobum Latomum*, asserit theologiam scholasticam esse aliud nihil quam ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam, quam ad Coloss., cap. II, Apostolus præcavet. In libro autem *de abroganda Missa privata*, Academias dicit esse Antichristi lupanaria. Philippus vero Melanchton, *in Apolog. contra Parisien.*, Lutetiæ natam esse ait profanam Scholasticen, qua admissa, Evangelium obscuratum ac fidem extinctam. Breviter Lutherani *(idem dic de cæteris novatoribus)* omnes ad unum scholæ nostræ auctoritatem et mirifice contemnunt, et inimice insectantur „ (*Loc. cit.*, cap. I). Quapropter non immerito idem stupet et queritur quod nonnulli, " qui cum catholici et habeantur et sint, his plausus tamen excitare solent qui nesciunt juventutem ad linguarum studium adhortari, nisi prius theologos scholasticos maledictis figant, totisque concidant voluminibus „ (*Ibidem*, cap. II).

Quod scelus utinam apud nos nusquam amplius admittatur!....

Confirmatur 2° ex eo quod despecta theologia, contemnuntur iterum fundamenta fidei, prout fert et ratio et experientia. Ita recte idem Canus: " Atque hinc fortasse (i. e. ex odio scholasticæ) tamquam ex primo fonte, reliquæ istorum hæreses derivatæ sunt. Principio namque quod erat facile, scholæ auctoribus contemptis, scholæ quoque judicia contempserunt. His neglectis, mox necesse erat Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Basilius negligerentur, quos theologi recentes dogmatum suorum auctores habebant. At antiquis sanctis posthabitis, despectui quoque habita sunt eorum Concilia. Unde consecutum est ut et libros quosdam canonicos, et ecclesiasticam auctoritatem Lutherani conciderent. Adeo verum illud est: Qui minima negligit, paulatim defluit. Absit invidia verbo! Nec enim minima scholæ auctoritas esse potest, quam parvifacere nemo sine fidei discrimine potest. Connexæ quippe sunt ac fuere semper, post natam scholam, scholæ contemptio et hæresum pestes [1]. "

430. — *c*) Quod dictis asserit, id factis comprobat Ecclesia, siquidem sive in asserenda veritate, sive in refellendo errore et damnando, opera scholasticorum non modo vehementer adjuta est, sed nec etiam aliquando aut asseruit aut negavit ullam doctrinam, contra communem scholasticorum sententiam; sed eamdem secuta esse invenitur. Quod jampridem notaverat Canus noster: " Quippe tercentos abhinc annos, si quas Ecclesia hæreses condemnavit, si qua de fide et moribus decreta tulit, in utrisque scholasticorum subsidio et diligentia vehementer adjuta est. Id quoniam constat inter omnes, quibus vel conciliorum gesta, vel negotia cognitionis fidei sunt cognita, fateamur necesse est doctores scholasticos simul omnes in fide et moribus errare non posse [2]. "

d) Ita sentiunt doctores et Patres. Chrysostomus ait: " Cum audieris aliquem beatificantem antiquos doctores, proba qualis est circa suos doctores. Si enim illos, cum quibus vivit, sustinet et honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset. Si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, contempsisset [3]. "

[1] *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. II.
[2] *Op. cit.*, *ibid.*, c. IV.
[3] Hom. XLII imperf. *in Matth.*, in illa verba: Væ vobis qui ædificatis sepulchra prophetarum, etc.

Chrysostomus ergo vult honore simili, nisi æquali, habeantur doctores omnes in Ecclesia, antiqui scilicet et recentiores.

Haud aliter Angelicus. Supponens illud quod et nos supponimus, hunc theologum veri nominis esse qui de Deo rebusque ad Deum relatis tractat, juxta revelationis dogmata, hæc habet: " Argumentari ex auctoritate est maxime proprium hujus doctrinæ (nempe sacræ doctrinæ), eo quod principia hujus doctrinæ per revelationem habentur; et sic oportet quod credatur auctoritati eorum quibus revelatio facta est..... Auctoritatibus autem canonicæ Scripturæ utitur proprie et ex necessitate arguendo [1]. „ Unde hujusmodi argumentatio certa esse debet, quia certa est major syllogismi huc implicite inducti, scilicet: *Certo verum est quod revelatione continetur;* — rursus certa est minor, scilicet: *Hoc particulare assertum certo continetur revelatione*, quia errare nequeunt tot tantique ex omnibus temporibus et locis asserentes simul testes, quales sunt doctores scholastici.

Hinc Canus, et post eum omnes theologi ita statuunt: " Concordem omnium theologorum scholæ de fide aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est [2]; „ licet contradicentibus hæreseos crimen, ut quod sit ipsum per se atrocissimum, impingere aperte et simpliciter non audet.

e) Confirmatur facto isto, scilicet " quod nullum dogma reperietur, quod eadem mente oreque scholastici omnes certo ac firmiter asseruerint, quin idem in universum Ecclesia teneat, eorum auctoritate mota. Nam si aliquod invenire hæretici possunt, proferant et tacebimus. Quod si nullum proferri potest, sine dubio, velint, nolint, id quod scholæ totius auctoritate firmatur, verum est, si ad fidem, ut dixi, moresque pertineat [3]. „

Hoc nempe certum est nullum unquam fuisse dogma, quod postquam omnes theologi propugnaverint, errore aliquando laborare inventum sit.

431. — *f*) " Præterea, si qua in quæstione universi theologi eadem inter se concinunt, profecto si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo exponunt. Sive enim qui confessiones

[1] I. q. I, a. 8, ad 2m.

[2] *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. IV, Concl. III. Cf. Bañez, *In 2. 2., q. I, a. 10.* Concl. V, in Dub. III.

[3] Canus, *ibid.*

audiunt, sive qui ad populum habent conciones, utrique plebem instituunt, ut a theologis acceperunt. Ita fit ut Ecclesia eorum in fide communem errorem dissimulando Christifideles suo silentio deciperet. Error enim cui non resistitur, approbatur; et veritas cum non defenditur, opprimitur, ut Innocentius ait LXXXIII *Dist. Error.* Atque Deus ipse, si theologorum omnium errorem non aperiret, in necessariis christiano populo deesset. Quid enim facturus est populus imperitus, nisi eos sequi quos pro illo tempore ecclesiasticæ doctrinæ magistros accepit? An post hæc omnia scholæ theologia contemnenda est [1]? „ Quod longe prius docuerat Hipponensis Doctor: " Est in Ecclesia, inquit, quædam sapientia qua fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Qua quidem scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est, aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur [2]. „ Quod præstat ipsamet theologia: unde et certitudine pollere debet.

g) Idem probatur ipso consensus communis facto. Impossibile namque est omnes simul theologos de aliqua sententia convenire, in rebus ad fidem pertinentibus, quin asserta sententia ad fidem reapse pertineat ineluctabili certitudine, adeo inest hominibus atque scholis, in rebus præsertim gravibus, contradicendi prurigo.

h) Illud deinde comprobatur, quod cæteri theologiæ loci vix in fide utiles remaneant, si nobis desit erga omnes theologos fiducia, cum per theologos eosdem illorum certa notitia ad nos usque perveniat.

i) Illud demum patet ipsa rerum natura. Hic namque theologiam dicimus quæ doctrinam suam ex fontibus propriis seu ex revelatione haurire nititur, non autem ex aliorum cisternis. Quæ cum ita se habeant, consentientibus simul omnibus sacris testibus, certum est eam quam omnes tenent sententiam in illis revera includi. Cum autem ipsi fontes ab errorum fæce immunes certo certius sint, patet sententiam illam omnino certam fore, nisi in dubium omnia ruitura sint.

[1] Canus, *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. IV, Concl. III.
[2] *De Trinit.*, Lib. XIV.

432. — *B.* Probatur altera pars propositionis, scilicet certam non esse paucorum theologorum auctoritatem in re fidei.

Quod melius patebit si advertas duplicem fieri posse hypothesim, scilicet illos paucos asserere aut negare, vel cæteris contradicentibus, vel cæteris non contradicentibus.

A. Si qui asserunt aut negant contradicentibus cæteris, tunc æqualis vel inæqualis utrinque habebitur probabilitas, prout eadem vel diversa ex utravis parte habebitur auctoritas vel ratio: nunquam autem aderit certitudo auctoritatis.

a) Nunquam habendam esse auctoritatis reduplicative, seu qua talis, certitudinem, ostensum remanet ex iis quæ supra probavimus de auctoritate aliquorum tantummodo Patrum. Si istorum namque certa non est opinio singularis, *a fortiori* certa non erit singularis aliquorum theologorum sententia.

Probabilitas autem æqualis vel inæqualis erit, pro æquali vel inæquali adjunctorum momento, scilicet pro numeri, durationis, gravitatis, scientiæ, auctoritatis, etc. in asserendo aut negando, æqualitate aut diversitate, ut mox dicturi sumus.

Quibus serio pensatis ac compensatis, præsertim ubi addatur rationum intrinsecarum examen ac æstimatio, fieri poterit non modo ut utraque sententia probabilis remáneat, vel alterutra probabilior evadat, sed etiam ut una vel altera nec probabilis amplius sit, quia nempe, ut verbo Angelici utamur, auctoritas cui ista nitetur, *nihil* forsan *esse* comperietur [1].

b) Idcirco circumstantiis summopere attendatur oportet. Quæ omnia sic explanat Canus noster: " Theologorum scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit. Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet: sed si paucos viros modo graves secum habeat, poterit sane adversum plurimos stare: non enim numero hæc judicantur, sed pondere [2]. Hanc vero conclusionem probare argumentis non debeo. Nam si quid est evidens, de quo inter

[1] Cæterum sciunt omnes aliquam sententiam minus probabilem fieri, crescente oppositæ probabilitate, non quod nonnihil de intrinseca probabilitate amittat, sed quia augetur errandi formido.

[2] Hic tamen non negat Canus probabilitatem majorem oriri ex majori numero testium, cæteris paribus.

omnes conveniat, argumentari non soleo; perspicuitas enim, ut ait Cicero, argumentatione elevatur. Certe ubi variæ sunt doctissimorum hominum discrepantesque sententiæ, Academicorum temperamentum imitari et a rebus incertis certam assensionem cohibere debemus. Quid enim tam temerarium tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, ut idem Cicero elegantissime tradit, quam quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, id sine ulla dubitatione defendere? Quo loco sane arguendi sunt scholastici nonnulli, qui ex opinionum quas in schola acceperunt præjudiciis viros alias catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur [1]. „

433. — B. Si autem pauci, seu aliqui asserant aut negent, cæteris nec explicite nec implicite contradicentibus, sententia plus minusve probabilis erit, pro variis rerum adjunctis; certa per se non erit.

a) Aliquorum seu paucorum opinionem, etiam non contradicentibus aliis, certam non fore probatur ex supra dictis.

Quoad probabilitatem vero duo notanda sunt.

Imprimis aliqua sententia contradictionem duplicem pati potest: *explicitam* nempe et *implicitam*, quarum una verbis profertur, altera autem verbis vel factis continetur: quatenus scilicet vel ex aliqua doctrina explicita, vel ex praxi nonnulla per consequentiam colligitur. Ab utraque immunem sententiam assertam supponimus.

Deinde notandum est sententiam aliquam sic plus minusve probabilem evadere aliquando posse, ut alterutra nequidem probabilis amplius, propter conditionum defectum, remaneat.

Illæ autem circumstantiæ, omissa rationum intrinsecarum consideratione, diversis fontibus, præsertim sequentibus, hauriri possunt ac pensari.

Primo ex testium numero. Si aliqua sententia unius modo vel paucorum sit, quandoque probabilitatem non attinget [2], quandoque attinget juxta auctoritatis vel defectum vel suffi-

[1] Canus, *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. IV, Concl. I.

[2] Sequentem propositionem qua laxitates suas aliqui introducere conabantur, damnavit Alex. VII, die 24 Sept. 1665: " Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem. „

cientiam. Cæteris autem paribus eo major probabilitas erit, quo major testium numerus.

b) Secundo ex duratione testimonii. Notum namque est sententias nonnullas aliquando probabiles vel improbabiles evasisse postea vel improbabiles vel probabiles, temporum decursu, rebus melius perpensis, ut puta circa materiam essentialem Ordinis.

c) Tertio ex ingenio, gravitate et scientia testium, ita ut v. g. longe probabilior sit aliqua D. Thomæ sententia singularis, quam alterius qualiscumque theologi.

d) Quarto ex auctoritate, unde v. g. solius S. Thomæ sententia in tota theologia, soliusve S. Alphonsi in theologia morali, sit ex se probabilis.

Hinc probe patet alicujus conditionis excellentiam alterius defectui nonnunquam supplemento esse ; scilicet auctoritatem et ingenium S. Thomæ defectui numeri testium.

DIFFICULTATES

434. — *Obj.* 1° Scholastici doctrinas suas non ex Scriptura aut traditione, vel auctoritate Ecclesiæ desumunt; sed placita sua nobis tradunt, despectis vel saltem contortis Scripturis, traditionibus , dogmatibus , etc.: ergo nec certa nec probabilis eorum doctrina.

Resp. dist.: Aliquando nonnulli extiterunt hujusmodi theologi: *concedo;* nos autem de his non agimus , quos deridemus, sicut et merito ac lepide olim derisit Canus [1]; omnes theologi hujusmodi fuerunt ut nonnisi propria placita traderent: *nego*, ut probatur ex historia theologiæ, vel theologorum lectione. Hoc innuisse satis sit Petri Lombardi theologiam quam millies interpretati sunt scholastici , nonnisi auctoritatem textibus confici, indeque dictam esse *Librum Sententiarum*.

Obj. 2° In schola partibus ac factionibus plena sunt omnia, ut patet ex innumeris theologorum disputationibus et injuriis.

Resp. dist.: in quibusdam dantur discordiæ: *concedo;* in omnibus , *nego ,* ut patet ex factis. Cæterum discordiæ illæ vim concordiæ in asserendo aliquo dogmate melius manifestant [2].

Libenter confitemur " in schola fuisse nonnullos quasi ad

[1] *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. I; Lib. IX, cap VII; Lib. XII, cap. V.

[2] Cf. Canus, *Loc. theol.*, Lib. VIII, capp. III et V.

discordiam natos, qui tum optime disseruisse se putant, cum contra doctiores dixerint [1], ut non tam verum invenisse velle videantur, quam adversarios convincere, concertationibusque et rixis totas chartas implere..... Quos ego probare nec debeo, nec possum..... Istiusmodi malorum existimo in moribus esse culpam, non in schola. Moderati enim nec contentiosi homines nec pertinaces, quascumque res sobrie ad temperantiamque definient. Quod cum omnibus est faciendum, qui disciplinam quamlibet profitentur, tum nemini potius quam theologo. Fuere autem sine dubio in schola multi qui his vitiis declinatis, rem theologicam graviter sane ac modeste tractarunt... et propter paucorum vitia, non est omnium corona traducenda [2]. „

Quæ sic egregie et cogitata et dicta nos utraque manu amplectimur, atque amplectenda cunctis censemus.

435. — Propositio II. *In his quæ ad fidem non pertinent, varia est theologorum auctoritas, pro variis circumstantiarum adjunctis.*

Hic ad fidem non pertinere dicimus eas sententias quæ nec in Scriptura aut Traditione explicite continentur; nec certo exinde necessaria consequentia educi possunt; nec proinde ad salutem necessaria ex se sunt, nisi implicite, hoc nempe sensu quod fide tenendæ erunt si aliquando ab Ecclesia asserantur.

Hic præterea nihil dicimus de rationum intrinsecarum pondere, quæ sane certitudinem parere omnimodam, imo evidentiam possunt: sed de auctoritatis gravitate tantum agimus circa veritates quæ ad fidem non pertinent.

Hic demum intelligimus hujusmodi veritates esse vel quæ licet in se de re sacra sint, attamen nonnisi ad theologiam pertinent, indeque proprio theologorum ingenio educuntur; vel quæ in se profanæ omnino sint quoad objectum.

De his autem sive omnes sive pauci tantum aliquid asserant aut negent, nonnisi probabilis sententia erit; sed tamen magis minusve probabilis pro variis circumstantiis.

436. — *A.* Probatur prima pars

a) Ex iis omnibus quæ diximus de Patrum auctoritate, circa objectum fidei non pertinens.

[1] Recentius exemplum habes ex egregio opere cui titulus *Vindiciæ Alphonsianæ*, quod quare a multis ignoretur nescio.

[2] Canus, *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. I. Lege quæ ibidem sequuntur.

b) Ex auctoritate Ecclesiæ, quæ utramque partem liberam relinquit, nisi inde oriatur error contra fidem vel mores.

c) Ita docet Angelicus: " Argumentari ex auctoritate est maxime proprium hujus doctrinæ (scilicet sacræ)..... Utitur sacra doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandam fidem;..... sed ad manifestandum aliqua alia quæ traduntur in hac doctrina... Et inde est quod etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potest... Sed tamen sacra doctrina hujusmodi auctoritatibus utitur, quasi extraneis argumentis et probabilibus..... Auctoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter [1]. "

d) Comprobatur eo quod contraria doctrina non potest probari neque sacra neque profana auctoritate: imo certo constat intellectum humanum errare posse, ubi agitur de veritatibus non immediate perceptis, sed longiori deductione collectis. Porro doctores, ubi de rebus fidei non pertinentibus agunt, hujusmodi veritates indagant, nobisque præbent. Ergo.

Confirmatur eo quod nonnullæ hujusmodi veritates, v. g. de diebus creationis, de motu solis, etc. passim apud theologos admissæ, postea ut falsitates agnitæ sunt.

B. Probatur altera pars, nempe probabilitatem variam esse posse, a certitudine morali inclusive usque ad improbabilitatem.

Ad quod probandum nihil addimus præter illa quæ in propositione præcedenti adduximus, ne actum agatur.

DIFFICULTATES

437. — *Obj.* 1° Insolentis est contra omnes, etiam in re scientifica repugnare: ergo.

Resp. dist. Insolentis est repugnare temerarie et absque ratione: *concedo;* insolenter etenim repugnatur non contra certitudinem absolutam modo, sed etiam contra probabilitatem, si absque ratione sufficienti fiat. Insolenter autem repugnatur contra probabilitatem, cum ratione sufficienti: *nego.* Licet enim asseramus auctoritatem esse inferioris momenti criterium in rebus scientificis, non tamen nullum esse dicimus: sed crite-

[1] I. q. I, a. 8, ad 2m.

rium veri nominis esse contendimus, indeque probabilitatem educi, neque nunquam moralem certitudinem.

Obj. 2° Multi sola doctorum auctoritate freti admittunt cum certitudine dogmata quædam scientifica, v. gr. motum terræ circa solem, quin tamen ipsi rationem intrinsecam nec perceperint neque percipere possint.

Resp. Hanc certitudinem non esse absolutam, de qua loquimur, sed tantum moralem, quæ etsi non adæquet absolutam quoad motivum assentiendi, adæquare potest quoad absentiam formidinis errandi. Neque hujusmodi certitudinem moralem ex testimonio omnium theologorum ortam dari aliquando posse negavimus.

APPENDIX

438. — Si nomen et notitiam quæras theologorum majoris famæ et ponderis qui a Patrum ævo, scil. a S. Bernardo ad nos usque in Ecclesia floruerunt, illa tibi præstabunt

1. Natalis Alexander: *Hist. Eccles.* una cum supplemento usque ad finem sæculi proxime præteriti;
2. Graveson in sua itidem *Historia Ecclesiastica*, Natalis prædicti vestigia premens;
3. Hurter, *Nomenclator theologicus*, a tempore Concilii Tridentini usque ad dies nostros. Quo in opere imprimis fulgent scriptores S. J.;
4. Adeas, si libuerit, Richard et Giraud, *Dictionnaire;* Glaire, *Dictionnaire;* Welte, *Kirchen-Lexicon.*

Alios omittimus quia prædicti quod sufficiet præbent.

§ 2.

Quomodo Ecclesia doctrinam suam manifestet per juristas.

439. — Hic de juris canonici doctoribus, ut patet, eorumque auctoritate agitur.

Jus [1] canonicum definitur jus illud quod a summo Pontifice,

[1] Chrysippus, Stoici et quidam alii Veteres *Jus* a *Jove* derivari voluerunt: melius vero Grotius a *jubendo* oriri probat (*De jure belli et pacis*).

vel Conciliis, vel episcopis explicatum, sancitum aut approbatum fuit, ad rectam Christifidelium gubernationem et institutionem.

Vocatur quasi antonomastice canonicum, a κανών [1], *regula, norma;* videlicet propter auctoritatis decernentis dignitatem, objecti excellentiam, obligationis gravitatem [2]. Dicitur etiam *pontificium*, quia a Pontificibus præsertim sancitur; vel *sacrum*, quia circa personas resve sacras versatur.

Quæ definitio melius patebit, si attendas jus *in genere* acceptum vel *naturale* esse, seu quod immediate a natura, seu ab honestatis humanæ regulis habetur; vel *positivum*, quod hominibus ab aliquo legislatore imponitur.

Ex allata definitione liquet jus canonicum non per se naturale, sed positivum esse. Jus autem positivum erit vel *divinum*, si a Deo præscribatur, vel *humanum* si ab homine.

Patet jus canonicum per se humanum esse.

Istud autem vel *ecclesiasticum* vel *civile* erit prout vel ecclesiasticam vel civilem societatem respiciet. Porro jus ecclesiasticum illud proprie est quod et canonicum vocatur.

Ex quibus sane patet iterum quem locum teneat jus canonicum in rebus scientiisque sacris, quave etiam ratione dictum sit *theologia practica* [3].

Porro nihil in hominum praxi admittendum est quod simul in intellectu non fuerit; nihil agere voluntas debet quod non præscripserit ratio; nullaque datur scientia practica quin dependeat a scientia speculativa [4].

Idcirco a canonibus ad dogma assurgere possumus tamquam ab effectu ad causam, ut infra dicemus, hocque sensu jus canonicum inter *Loca theologica* adnumerandum est [5].

Hinc demum sequitur nos hic de jure canonico non agere nisi quoad vim dogmaticam; quoad cætera autem ad auctores probatos eosdemque fere innumeros remittere.

[1] Hebr. קנה, a radice קנה, *acquisivit;* apud Italos *canna*, apud Provinciales, *cane*, etc. Quod vocabulum ubique mensuram significat.

[2] Cf. Doujat, *Prænot. Canon.*, Lib. I, capp. II et III; et Lib. V, cap. XXII.

[3] Cf. Canus, *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. VI; Alvarus Pelag., *De Statu et Planctu Ecclesiæ*, Lib. II, a. 20.

[4] Cf. S. Th., 1a q. 79, a. 11.

[5] De his vide, præter Canum, *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. VI et VII, Card. Joan. Turrecremata, *Comment. in Decretum Gratiani*, *Proœmio*. Cf. Doujat qui egregie habet, *Prænot. Canon.*, L. I, c. II et III; Penzi, *Theol. Rud.*, lib. X.

Porro duo in canonicis decretis consideranda et pensanda occurrunt, scilicet primo *auctoritas ipsorum* decretorum; secundo, *auctoritas interpretationum*, ac de utrisque singillatim agendum.

I. De auctoritate ipsorum decretorum in jure canonico.

440. — Decreto alicui in jure canonico admisso duplex competit auctoritas: alia scilicet *propria*, i. e. si in se consideretur, seu juxta ipsius naturam; alia *per accidens*, quæ aliunde accedit.

Hinc duplex propositio.

PROPOSITIO I. *Decreta juris canonici hanc totam sortiuntur auctoritatem quæ monumentis ex quibus educta sunt competit; diversam tamen pro monumentorum diversitate.*

A. Probatur prima pars:

a) Ex praxi Ecclesiæ, quæ dum in jus canonicum monumenta illa passim adduxit vel adduci permisit, nihil eorumdem auctoritatem minuendam esse exinde censuit; imo potius eamdem perpetuo asseruit [1].

b) Unde theologi omnes in eamdem conveniunt sententiam, prout testatur quoad decretum Gratiani Benedictus papa XIV: " Quin immo, inquit, inter omnes receptum est quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret [2]. " Quod idem sane dicendum est de cæteris canonum collectionibus.

c) Idem hac luculenta comprobatur ratione, quod nempe dum decretum vel canon inter juris ecclesiastici documenta computatur, vel etiam aliqua juris humani-civilis lex *canonizatur* [3] (sic enim juristæ), nihil ejusdem auctoritas inde minuitur,

[1] De quo plura require in *Decret. I,* Dist. XIII-XIX.

[2] *Synod Diœc.,* Lib. VII, cap. XV, § 6. Sciunt omnes quantæ fuerit auctoritatis Gratianus, de quo S. Thomas apud Dante poetam summum atque theologum:

Quell'altro fiammeggiare esce del riso
Di Grazïan, che l'uno e l'altro foro
Aiutò sì che piacque in Paradiso.

(*Parad.* X, 103-105).

[3] In Jure Canonico referuntur imprimis Theodosii *Codex*, Justiniani *Institutiones, Digesta* seu *Pandectæ et Novellæ.* Addi possunt Constitutiones quædam

sed potius asseritur, quia juri canonico non adderetur, immo ab eodem amoveretur, nisi sua gauderet auctoritate.

Ergo constat illa integram servare auctoritatem, dum juris canonici pars aliqua fiunt.

441. — *B.* Probatur altera pars propositionis:

a) Imprimis ex doctrina et praxi a Benedicto XIV prius relata. Omnes namque prudentiores vim majorem minoremve monumentis canonicis tribuunt pro varia monumentorum natura.

b) Quod iterum theologi et canonistæ asserunt, ex quibus unum referimus Antonium Augustinum: " Est etiam delectus habendus et ratio auctoritatis constituentium: in quo video multos juris pontificii studiosos vehementer decipi, qui Gratiani collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant... Si quæ igitur ab eodem relata ex pontificiis indubitatæ fidei Epistolis, ex Conciliis generalibus sumpta: ex suprema illa potestate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent. At quæ ex provincialibus Conciliis, aut ex episcoporum, aut aliorum sanctorum libris, aut epistolis accepta sunt, ea generalem non habent auctoritatem. Accidit autem sæpe ut falsæ sint apud Gratianum inscriptiones singulorum capitum: ita sit ut ne illa quidem capita vim legis obtineant, quæ dicuntur esse sumpta ex Romanorum Pontificum aut ex generalium Conciliorum decretis: sed necesse est adire fontes, unde emanarunt, ut certa ab incertis distinguamus [1]. "

c) Idem ratione intrinseca et extrinseca facile patet.

Ratione primo intrinseca, et hoc quidem dupliciter. Imprimis probatum supra est documenta illa originalia vim suam conservare dum in jus canonicum admittuntur. Atqui vis illa diversa in diversis est, ita ut longe major sit auctoritas Scripturæ sacræ aut Constitutionis pontificiæ, quam alicujus qualiscumque Paleæ vel Glossæ [2].

Sed præterea documenta hæc originalia variam auctoritatem sortiuntur, non si inter se conferantur modo; sed etiam si in

Imp. Honorii, Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii, Othonis, Imperatorum Græcorum, etc. Cf. Doujat, *Prænot. Can.*, Lib. II, cap. LXVII.

[1] *Epist. Procem. in Canones Pœnit.*

[2] Horum vocabulorum incerta est origo. De qua vide Doujat, *Prænot. Can.*, Lib. IV, cap. XV, et Lib. V, cap. II.

se ipsis considerentur. Non ejusdem quippe est auctoritatis Scriptura si in sensu litterali, vel consequenti, vel spiritali aut accommodato referatur; non ejusdem traditio, si sacra fuerit vel profana; immo nec ejusdem traditio sacra, si Christum, vel Apostolos aut episcopos auctores habeat; nec ejusdem si fuerit universalis aut particularis, continua aut interrupta, *præter jus aut contra jus*. Et sic de cæteris auctoritatibus, Conciliorum, Pontificum, Patrum [1], etc. ut supra diximus [2].

Deinde *ab extrinseco* haberi iterum diversitas in documentis illis potest, præsertim universalitatis et antiquitatis ratione, prout nempe pertinuerint ad jus *generale* vel *particulare*; ad jus *antiquum*, *novum* vel *novissimum*.

Undique ergo patet illa auctoritatis diversitas.

DIFFICULTAS

442. — *Objicies*. Etsi documenta illa auctoritatem aliquam *in se* conservarent, attamen nullam *quoad nos* haberent, quia nobis transmissa sunt ab auctoribus dubiæ auctoritatis.

Resp. dist. Nonnunquam dubiæ auctoritatis fuerunt auctores illi, *concedo*; semper, *nego*. Cæterum quoad illos recurrere ad fontes ipsos possumus. Quoad istos autem, fateri omnes debent aliquos summæ fuisse auctoritatis, imprimis si accesserit Ecclesiæ approbatio, quod mox dicturi sumus.

443. — Propositio II. *Per accidens, monumentis illis quibus constituitur jus canonicum alia accedere potest auctoritas, qua vel minuiturtimor aut periculum errandi; vel augetur ratio adhærendi, sed diversimode.*

Illa *accidentalis* auctoritas erit ab approbatione Ecclesiæ sive expressis verbis, sive praxi et usu confirmantis decreta in jus canonicum admissa.

Advertendum vero est decreta ista seu documenta triplicis generis esse respectu confirmationis illius ecclesiasticæ: *alia*

[1] De Conciliis, Pontificibus et Patribus, respectu *Juris Canonici*, tractat Doujat, *Prænot. Can.*, Lib. II, per totum.

[2] Quæ omnia fusius ex auctoritatibus ipse Gratianus probat, Part. I, Dist. IV-XIII.

scilicet *majoris auctoritatis*, *alia æqualis*, *alia inferioris*. Ita v. g. auctoritas Scripturæ aut canonum alicujus Concilii universalis alicui epistolæ minus solemni vel episcopi, vel etiam Summi Pontificis aut Concilii præstabit; haud secus Bulla Pontificia ejusdem cum alia Bulla gravitatis erit; pariter demum Breve aliquod pontificium, juri canonico inductum, minoris auctoritatis quam Bulla dicendum est; et sic de pluribus aliis, quæ ad jus canonicum pertinent, et non ejusdem auctoritatis per se ac propria natura sunt.

Quærimus ergo quomodo illa omnia singulatim confirmentur, si vel jussu vel praxi Ecclesiæ in jus canonicum inducantur, attenta imprimis et *per se* vi dogmatica eorumdem, non autem *vi practica*, seu *disciplinari*, de qua hic non agimus.

Hoc præterea notandum est aliquam auctoritatem dupliciter confirmari posse, vel nempe quia nova additur credendi et adhærendi ratio, vel quia removetur vel minuitur errandi periculum.

Auctoritas namque vel *summa* vel *non summa* erit, ita ut illa quidem irreformabilis, ista autem reformabilis sit dicenda. Auctoritas vero *summa* esse potest vel *in se* et non *quoad nos*, qualis erit v. gr. canon dogmaticus alicujus Concilii generalis, de cujus tamen authentia vel negative vel positive dubitatur; summa iterum esse potest tum *in se*, tum *quoad nos*, v. g. alicujus canonis in Concilio œcumenico sanciti, de cujus authentia et interpretatione certo constat.

Dari demum potest auctoritas *non summa*, tum *in se*, v. gr. Decreti alicujus particularis, tum *quoad nos*, sive quia summa *in se* non est, nec proinde ut summa nobis habenda est; sive quia forsan de authentia vel sensu ut supra dubitatur.

Illis quæ summæ auctoritatis quovis modo sunt, proindeque certitudinem pariunt, confirmatio accedere nequit qua removeatur periculum ac timor errandi: secus enim nulla haberetur certitudo, nec summa esset auctoritas; attamen nova inde potest haberi ratio adhærendi; ut puta si Scripturæ textus vel Concilii generalis definitio in jus canonicum admittatur, jubente v. g. Concilio aut Pontifice, illisque credatur et adhæreatur non modo ratione inspirationis vel assistentiæ divinæ, sed etiam ratione alterius assistentiæ et auctoritatis divinæ qua Pontifex aut Concilium illa in jus canonicum computari jusserint.

Illis autem quæ non summæ sunt auctoritatis, aliquo ex supradictis titulis, accedere potest auctoritas sive ad removendum periculum aut formidinem erroris, sive ad habendam novam adhærendi rationem, eamdemque forsan meliorem, immo summam, si ex principalitate certa aliqua oriatur.

444. — His fusius, sed tamen necessario prænotatis, probatur assertum propositionis.

a) Synodus œcumenica VI hæc habet: " Placuit huic sanctæ Synodo, ut amodo confirmata et rata sint canonum Apostolorum LXXXV capitula [1]. „ Unde patet nonnulla incerta deinde certa novis confirmationibus fieri.

Idem scribi jussit Leo papa IX: " Clementis librum, idest Petri apostoli itinerarium, et Apostolorum canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis quinquaginta capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungendo [2]. „

Ejusdem sententiæ fuit Isidorus: " Propter eorum auctoritatem, inquit, cæteris Conciliis præponimus canones qui dicuntur Apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, et SS. Patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, et inter canonicas posuerunt Constitutiones [3]. „

Eadem sententia Glossa ita pronuntiat: " Quod alias est infirmum, confirmatio Papæ facit firmum [4]. „

Immo non tantum infirma firmantur, sed etiam firma corroborantur, ita ut perpetuo alicujus Concilii vel S. Pontificis decreta, aut ipsiusmet Scripturæ quoad nos auctoritas iterum asserantur. Ita Synodus œcumenica VI: " Confirmamus (ἐπισφραγίζομεν) et cæteros omnes sacros canones, qui a sanctis et beatis Patribus nostris sunt editi, i. e. ab iis qui Nicææ convenerint [5], etc. „

At vero non solum verbis, sed etiam consuetudine factorum confirmari potest sensu prædicto aliqua ecclesiastica auctoritas in jure canonico. Quod ita asserit Nicolaus papa ad episcopos Galliæ: " Quamquam quidam vestrum scripserint haud illa decretalia priscorum Pontificum in toto canonum codicis cor-

1 Cap. II.
2 *Epist. Humberti Legati contra Nicetam Abbatem.*
3 *In Opus Canonum, Proœmio.*
4 *Cap. Ecclesiæ S. Mariæ de Const.*
5 Cap. II.

pore contineri descripta; cum ipsi, ubi hæc suæ intentioni suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur [1]..... „ Ut enim ait Justinianus: " Diuturni mores consensu utentium approbati, legem imitantur [2]. „

b) Idem ratione probatur. Ecclesia, sive per Pontificem, sive per Concilia, sive per episcopos, etc. loquens, auctoritatem suam habet integram: ergo ubi aliqua instituta priorum, certa vel incerta, sive *in se* sive *quoad nos*, propria facit, eisdem auctoritatem propriam, etsi pro variis adjunctis diversam, addit modo superius explanato.

Quæ confirmatio diversimode fieri potest, ut patet. Mox enim Concilium vel Papa solemnius confirmant, quod prius minus solemniter fuerat assertum, vel certum faciunt asserendo aut supplendo id quod prius dubium fuit; vel diversa documenta prius discordantia concordari faciunt; mox universalius accipi in Ecclesia aut jubent aut permittunt, quod particularius hucusque admissum fuerat, etc. Quæ omnia indicat Gregorius papa IX in hac sua *Decretalium* a B. Raymundo de Peñafort collectarum approbatione: " Sane diversas Constitutiones et decretales Epistolas Prædecessorum nostrorum, in diversa dispersas volumina, quarum aliquæ propter nimiam similitudinem, et quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur, aliquæ vero vagabantur extra volumina supradicta, quæ tamquam incertæ frequenter in judiciis vacillabant..... in unum volumen providimus redigendas, adjicientes Constitutiones nostras et decretales Epistolas, per quas nonnulla quæ in prioribus erant dubia, declarantur [3]. „

Pensanda ergo est illa confirmatio cujusnam sit naturæ, cujus gravitatis in singulis factis, unde probe sciamus utrum

[1] *Epist. ad Episc. Galliæ.* [2] *Instit.*, Lib. 1, tit. 2.

[3] Const. *Rex Pacificus.* Ex qua approbatione hæc colligit Antonius Augustinus: " Video multos Juris Pontificii studiosos vehementer decipi, qui Gratiani Collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant, cum tamen Gregorius IX, Pontificia auctoritate usus, omnibus in volumine Decretalium contentis vim legis statuerit; Gratianus unius magistri et monachi personam gerens, ea quæ refert non majori pollere auctoritate potuit efficere quam antea fuerint „ *(Epist. Proœm. in Canon. Pœnit.).* Quod enim nonnulli narrant de approbatione Eugenii III Decreto addita, nulla auctoritate sufficienti probantur, nec asseruntur a Gregorio XIII qui illud summa cura summoque amore edidit.

probabilitatem, utrum certitudinem infallibilitatemve pariat; quodve robur auctoritati propriæ singulorum documentorum addat.

DIFFICULTATES

445. — *Obj.* 1° Veritas est immutabilis; sed jus canonicum perpetuo mutatur: ergo.

Resp. dist. Veritas est immutabilis *in se* et qua *speculativa: conc.;* in suis applicationibus, seu qua *practica: nego.* Eadem namque veritas speculativa diversas applicationes pro diversis circumstantiis jubere potest, ut probatur in theologia morali. Unde Leo papa: " Sicut quædam sunt quæ nulla possunt ratione convelli; ita multa sunt quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum, oporteat temperari, illa consideratione semper servata, ut in iis quæ vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum [1]. "

Illa autem mutatio non falsitatem, sed veritatem diversam notat, juxta illud Plutarchi: αλλα και αλλοις καλλα [2].

Obj. 2° Canus, hisce in rebus doctissimus, negat jus canonicum aliquid utilitatis quoad certitudinem conferre theologo vel philosopho [3]: ergo incertum est vel falsum.

Resp. dist. Ea quæ jure canonico continentur duplici respectu considerari possunt, ut diximus, sc.: primo quatenus ex altioribus theologiæ aut philosophiæ principiis educuntur, et hoc respectu, cum suam omnem totamque auctoritatem ab illis mutuent, etsi in se certissima, illis tamen auctoritatem augere nequeunt: illæ namque scientiæ *subalternantium* vices gerunt, ista autem *subalternatæ.* Jurisprudentia siquidem decreta seu canonicas sanctiones accipit ex principiis theologiæ vel philosophiæ; neque præcipere posset nisi dictarent revelatio vel ratio. Hinc theologus aut philosophus veritatis cognitionem imprimis communiaque agendi præcepta tradunt; jurisperitus autem praxim potius et actum. Quo sensu non immerito negavit Canus scientias illas ab ista nonnihil certitudinis vel auctoritatis accipere posse, cum hanc eamdem totam ab illis accipiat jurisprudentia.

[1] *Epist.* XCIX, *ad Rustic. Narb.*
[2] *In Themistocl.*
[3] *Loc. theol.*, L. VIII, c. VII, Concl. I, et II.

Ast iterum alio respectu considerari possunt, quatenus nempe in se asseruntur ab Ecclesia, quin notentur connexiones ullæ cum theologia aut philosophia. Sub isto autem respectu (cum certo cæterum constet Ecclesiam nihil falsi in theologia et philosophia docere, immo non præcipere nisi ea quæ ex sana theologia aut philosophia sponte fluunt, atque aliunde quælibet sana praxis ex sana doctrina necessario procedat), hinc ex præceptis canonicis ad asserenda quædam dogmata assurgere possumus: ut puta, si Ecclesia festum celebrari jubeat de innocentia B. Virginis in primo instanti, inde colligere licet dogma Immaculatæ Conceptionis. Et hæc non negavit Canus.

II. De auctoritate interpretationum in jure canonico.

Interpretatio versari potest vel circa sensum documentorum in jure canonico contentorum, vel circa consectaria quæ ex iisdem fluunt.

Interpretatio autem, vel erit a superiore, ac proinde *authentica* dicetur; vel a subditis, et hoc dupliciter, vel scil. a viris doctis, tuncque *doctrinalis* erit, vel ab omnibus in praxi utentibus, et *usualis* tunc audiet.

446. — PROPOSITIO. *Interpretatio vel* AUTHENTICA *vel* DOCTRINALIS, *vel* USUALIS *documentorum quæ in jure canonico habentur, mox certa, mox probabilis, pro vario adjunctorum momento, erit.*

Probatur per partes.

A. Interpretatio authentica certitudine pollebit ubicumque interpres inerrantia donabitur aliquo modo, mentemque suam certo tradiderit, ac omni defectui suppleverit, propria auctoritate; — secus autem interpretatio illa magis minusve probabilis erit, pro majori vel minori superioris auctoritate et veritate. — Quæ omnia ex dictis de Ecclesia patent.

B. Interpretatio doctrinalis erit certa moraliter, si omnes viri docti simul sentiant; secus autem probabilis tantum, nisi intrinseca aliqua ratio certitudinem pariat.

Certam esse omnium juristarum interpretationem, probatur:

a) Ita asserunt omnes, quorum nomine ita Canus: " In illo genere rerum, ubi scilicet de moribus Ecclesiæ et religio-

nis institutis per leges tantum pontificias decernitur, in illo etiam postremo ubi pœnæ juris præfiniuntur, jurisperitorum omnium communis consensus concorsque sententia, theologo magnam fidem facere debet, si quando incidat quæstio circa res hujusmodi [1]. „

b) Hic probe valet parœmia: " Peritis in arte credendum. „ Quod ita evolvit idem Canus: " Theologus insolentissimus erit, si quod ignorat judicarit; insolentior, si posteaquam jurisperitos consuluerit, omnium auctoritati refragabitur. Etenim, ut alias sæpe diximus, cujusque rei peritia non aliis certius meliusque contingit quam ejusdem rei peritis hominibus. Ita doctissimis quibusque in arte sua fidem habere opus est. Juris ergo pontificii prudentibus, in his quæ propria sint illius facultatis, non credere erit profecto temerarium [2]. „

c) Confirmatur praxi Ecclesiæ. Etenim " in ejusmodi canonum interpretatione Ecclesiæ judices et administri concordem omnium jureconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu et non communi jurisperitorum omnium duceretur, sine dubio, suo illum judicio Ecclesia coerceret. Ita Ecclesia usum judicum approbando, eorum quoque videtur intelligentiam approbare, quos hi in Ecclesiæ administratione sequuntur [3]. „

447. — *d*) Demum addatur hæc ratio, scil.: " Nec alienum est a vera conjectura Christum Dominum juris hujus peritis quodammodo etiam adesse in legum ecclesiasticarum vera interpretatione. Cum enim sacri canones, instigante Spiritu sancto, ad Ecclesiæ sint utilitatem editi, ut Damasus papa definit, consentaneum est ut Ecclesia, cui canones illi sunt necessarii, quo in religione et moribus ecclesiasticis contineatur, interpretes a Deo sanos acceperit earum legum et institutorum quibus est administranda. Parum enim profuisset leges mortuas in membranis scriptas habere, nisi haberet quoque respublica christiana vivos interpretes, qui rectum earum legum sensum assequerentur. Deus itaque, quoniam non deficit in necessariis, non in theologos solum, sed in juris pontificii peritos Spiritum veritatis effudit. Quapropter ex concordi omnium sententia probabilissimum argumentum sumere theologus potest [4]. „

[1] *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. VII, Concl. III.
[2] *Loc. cit.*
[3] Canus, *ibid.*
[4] Canus, *ibid.*

Quod tamen intelligendum est si juristæ in propria scientia asserant; secus enim verum evadet illud doctissimi D. Soto effatum, in jure simul et in theologia præstantissimi: " Glossatores quoties in jus divinum falcem mittunt, cruentantur[1]. "

Si autem aliqui vel plures tantum consentiant canonistæ, eorum sententia non erit certa, sed vel probabilis aut probabilior, pro illorum numero et gravitate; pro contradicentium paucitate aut levitate; quum cæterum, si non auctoritas sed ratio ponderetur, haberi quandoque possit certitudo. Recole quæ supra de theologis diximus[2].

448. — *C.* Interpretatio usualis erit certa, si in tota Ecclesia accipiatur; probabilis tantum si in aliquibus tantum particularibus Ecclesiis, sicut supra diximus de traditione; et infra dicemus ubi de auctoritate Ecclesiæ credentis.

Ex dictis patet quam merito Canus adeo vehementer juris canonici studium theologis commendet, qui utinam melius aliquando audirent[3]!

APPENDIX

DE CANONUM PRÆCIPUIS COLLECTIONIBUS

449. — Etsi mens nobis nullatenus sit historiam juris canonici exhibendi, de qua legendi probatiores auctores[4], hæc tamen sub lectoris oculos subjicienda censemus, de præcipuis juris canonici collectionibus, quæ fuerunt:

1° *Canones SS. Apostolorum*, dubiæ fidei;

2° *Constitutiones Apostolicæ*, iterum dubiæ fidei;

3° *Codex Canonum*, hodie dispersus, quem tamen Concilium Chalcedonense, anno 451, commemorat;

4° *Nomo-Canon* Joannis Scholastici, sæc. VI;

5° *Collectiones* Photii, Simeonis Logothetæ, Alexii Aristini,

[1] In IV, Dist. XIII, q. I, a. 8.

[2] Cf. Doujat, *Prænot. Can.*, Lib. V, cap. I-III, et seqq., ubi plura de glossatoribus habet præcipuis. Cf. ejusdem *Hist. du Droit Can. etc.*

[3] Cf. *Loc. theol.*, Lib. VIII, cap. VI per totum, et cap. VII, in fine. Cf. Medina, In 2. 2., q. 19, Int. II.

[4] Imprimis Doujat, *Hist. du Droit Can.* et *Prænot. Canon.* Cf. pauciora quæ habentur hac de re apud Gravina, Devoti, Craisson, Bouix, etc., vel etiam Grandcolas, *Critique des auteurs eccl.*, T. I; Wetzer, *Kirchenlex.*

Arsenii, Armenopuli, quas editas invenies apud Beveridge, in suo *Synodicon*, sive *Pandectæ canonum Apostolorum;* nec non ab utroque Christophoro et Henrico Justel, in suis collectionibus [1]. Adverte tamen hosce viros protestantes fuisse.

6° Cum medio ævo apud singulas fere Latinorum ecclesias peculiares collectiones in usu forent, notentur istæ, scil.: *Breviatio Canonum* Fulgentii Ferrandi, Carthag., sæc. VI; — *Breviarium Canonum*, et *Concordia* Crescentii Africani, sæc. VII. De quibus aliisque cf. Ballerinios in *Appendice ad opp. sancti Leonis.*

7° *Decretales* et *Canones* Dionysii Exigui, sæc. VI, cui collectioni plura deinde addita fuerunt, unde conflatus est *Codex Canonum vetus* Ecclesiæ Romanæ, quo continebantur præscripta duodecim Pontificum, ita testante Leone papa IV, circa annum 850 [2], de quibus sic concludit idem Pontifex: " Isti omnino sunt et per quos judicant episcopi, et per quos episcopi simul judicantur et clerici [3]. "

8° *Decretales* et *Collectio canonum* Isidori Mercatoris, seu Peccatoris, sæc. VIII (?), de quibus tantum apud doctos disputatur, etsi omnes fateantur multa ibidem authentica referri [4].

9° *Canones Pœnitentiales*, incerti auctoris, sæc. IX (?);

10° *De ecclesiastica disciplina et religione christiana*, an. 906, quod opus illustravit doctissimus Baluze;

11° *Magnum decretorum volumen*, postea *Decretum* nuncupatum Burchardi Wormat., sæc. XI ineunte;

12° *Authentica et compendiosa collectio regularum et sententiarum SS. Patrum, et authorabilium Conciliorum* Anselmi Lucensis, sæculo XI;

13° *Exceptiones et Pannormia*, Ivonis Carn. an. 1100;

14° *Concordantiæ discordantium canonum*, seu *decretum* Gratiani, O. B., sæc. XII, opus egregium idemque celeberrimum [5],

[1] Cf. Chalmers, *General Biographical Dictionary.*

[2] *Epist. ad Episc. Britt.*

[3] Can. *De Libellis*, I. Dist. XX.

[4] Cf. Doujat, *Hist. du Droit Can.; Traité de l'étude des Conciles*, p. 156; Grandcolas, *Critique des auteurs eccl.*, T. I, p. 160; Richard et Giraud, *Dictionn.;* Baronius, *Ann. ad an. 865*, nn. 8, 9; Natalis Alex., *Hist. Eccles., etc.;* Wetzer, *Kirchenlex.;* Moroni, *Dizionario.*

[5] Cf. Berard, *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti, etc.;* Doujat, *Prænot. Canon.*, Lib. IV, capp. II-XV.

etsi menda nonnulla irrepserint. Quo MMMXC canones referuntur, ut *canit* quidam :

> Si numeres caute, ter mille capitula, lector,
> Atque decem novies decretum continet in se.

Quæ collectio antiquis omnino præcelluit ordine, copia, harmonia et doctrina non scholastica modo, sed etiam forensi.

450. — 15° *Decretalium D. Gregorii IX compilatio*, auctore S. Raymundo de Peñafort, O. P., ad instar Justinianei Codicis digesta, circa annum 1230, et a S. Pontifice tamquam *authentica* Academiis Parisiensi et Bononiensi transmissa. Quæ *compilatio* cæteris quæ circumferebantur omnino præponenda fuit, scilicet compilationibus Bernardi Circa Papien., Joannis Gallensis seu Wallensis; Petri Diaconi Benevent., incerti auctoris, et Honorii III.

Collectioni autem fr. Raymundi plurima deinceps temporum decursu addita sunt pontificia documenta, quæ dicta sunt *Sextus Decretalium*, *Clementinæ* et *Extravagantes* [1].

Porro *Decretum*, *Decretales*, *Sextus Decretalium*, *Clementinæ* et *Extravagantes*, constituunt *corpus juris*, quod diligenter emendatum doctorum cura, imprimis Gregorii XIII labore, pluries prodiit [2].

Gregoriana editione, etsi Pontifex authenticam quoad omnia non declaraverit, omnino tamen in praxi utendum est.

16° Accedit demum *jus novissimum*, seu recentiora juris documenta, i. e. Conciliorum, Pontificum, Congregationum Romanarum, etc. præscripta, quæ in Conciliorum collectionibus, in Bullariis diversis, aliisque hujusmodi compilationibus reperies.

Hoc notandum censemus, nempe in antiquis collectionibus servatum fuisse ordinem *chronologicum;* in recentioribus, ordinem *logicum*, seu materiarum ; in recentissimis vero ordinem rursus *chronologicum* [3].

Memoriam sibi itaque revocet theologus illius divini effati: " Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas

[1] Cf. Doujat, *Prænot. Canon.*, Lib. IV, capp. XVII-XXVII.
[2] Cf. Doujat, *Prænot. Can.*, Lib. IV, cap. I, et Lib. V, cap. XXIII.
[3] Multa hic omittimus quæ apud Canonistas invenies, præsertim apud Doujat, *Hist. du Droit Can.* et *Prænot. Canon.*, Lib. III per totum.

legem matris tuæ [1]; „ illiusque ecclesiastici moniti: “ Sciant sacerdotes Scripturas sanctas et canones [2]. „ Neque juniores adeo abhorreant juris pontificii illa monumenta, adeo apud Patres celebrata, quæ apud Latinos Decreta, Codices, Compilationes, Collectanea, etc.; apud Græcos autem, Βίβλοι, Κανόνων, Συνταγματα, Συναγωγαί, etc. quasi antonomastice audiebant.

Hæc enim veteris sapientiæ pars magna fuerunt.

CAPUT II.

Quomodo Ecclesia doctrinam suam credendo manifestet.

451. — Novatores hæretici, ne novitates suas tamquam insolentiores proderent, finxerunt Ecclesiam Christi in credendo errare posse, immo aliquando errasse, donec ipsi, favente numine, Ecclesiam in veritatis tramitem reducturi tandem huic nostro mundo adparerent [3]. Ita Montanus, Nestorius, Donatistæ et Rogatiani, Joannes Wickleff, Lutherus, Joannes de Westphalia, etc. Nonnulli existimarunt errorem suum acceptabiliorem fore, si distinguentes inter ecclesiam invisibilem prædestinatorum ecclesiamque visibilem prædestinatis ac reprobis constantem, illam infallibilem facerent, istam vero fallibilem, vel saltem tantæ obscurationi obnoxiam, ut amplius in sua doctrina atque in aliis distingui a falsa non posset.

Quem errorem respuentes, contendimus Ecclesiam in terris degentem errare non posse, non docendo solum, ut supra ostendimus, sed etiam credendo, quod mox ostensuri hic sumus.

Quærimus igitur primo *quænam sit auctoritas Ecclesiæ in credendo*, secundo, *quomodo manifestetur ista fides seu credentia.*

[1] *Prov.* VI, 20. [2] *Concil. Tolet.* IV, Can. 1.

[3] Cujusmodi fuit Fraticellorum error, utpote qui, referente Joanne XXII, “ Evangelium Christi in se solis hoc in tempore asserant esse completum, quod hactenus (ut ipsi somniant) abjectum fuerat, immo prorsus extinctum „ (Ex Constit. edita an. 1318 contra Fraticellos). Cf. Denzinger, *Enchiridion*, nn. 1310, 1311, 1314, 1315, 1364, etc. — Cf. Canus, *Loc. theol.*, Lib. IV, cap. IV; Bern. Guidonis *Practica inquisit.*, edit. Douais, passim.

§ 1.

Quænam sit auctoritas Ecclesiæ in credendo.

452. — Distinguendum est inter fidem Ecclesiæ universalis et fidem Ecclesiæ particularis, ut ex se patet. Sit ergo :

PROPOSITIO. *Fides Ecclesiæ universalis per se infallibilis ac certa est ; fides Ecclesiæ particularis per se certa non est, sed probabilis.*

A. Probatur prima pars.

a) Ita prædixerat Isaias: " Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus, cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit; et venerit Sion Redemptor et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum [1]. "

Ita Psaltes: " In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi, et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli [2]. "

Novi Testamenti auctoritatem ita refert ac interpretatur Canus: " Ecclesiam in fide errare non posse sic a fidelibus accipiendum est, ut quidquid Ecclesia tamquam fidei dogma tenet, verum sit: nec quidquam falsum quod credit aut docet esse credendum. Cum enim corpus Christi sit, ut *ad Ephesios* docet Apostolus [3], a suo certe capite movetur ac regitur. Ecclesiæ igitur error ad Christum auctorem referretur. Nullo itaque pacto errare in fide potest. Nam Spiritus veritatis est hujus corporis anima: " Unus, inquit, Spiritus et unum corpus [4]. " Quod si Spiritu Veritatis Ecclesia agitur, ad nullum errorem, ne insciens quidem, moveri poterit.

[1] Is., cap. LIX, 19-21.
[2] *Ps.* LXXXVIII, 29, 30.
[3] Cap. V, 30.
[4] *Eph.*, IV, 4.

" Præclaram deinde promissionem habet Ecclesia, quod nunquam sit a Christo deserenda; quin ejus Spiritu in omnem ducatur veritatem: " Ego rogabo Patrem, ait, et alium Para-" cletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiri-" tum veritatis, quem vos cognoscetis, quia apud vos manebit [1], " et in vobis erit. „

Rursum ex eo quoque patet: " Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est. Pro eis ego sanctificabo me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me [2]. „

Confirmatur ex iis omnibus quæ supra diximus de auctoritate Ecclesiæ docentis: impossibile namque est totam Ecclesiam id veritatis non retinere infallibiliter et credere quod infallibiliter tota docet.

453. — *b*) Ita sentiunt Patres omnes: " (Ecclesia) pugnare potest, ait Augustinus, expugnari tamen non potest: hæreses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua: portæ inferi non vincent eam [3]. „

Prius breviusque Cyprianus: " Adulterari non potest Sponsa Christi: incorrupta est et pudica [4]. „

Ita cæteri omnes qui passim de indefectibilitate Ecclesiæ loquuntur, quin distinctionem inferant Ecclesiam docentem inter et credentem: sed simpliciter inerrantiam ejusdem asserunt. Unde Angelicus in hæc verba: " Ecce ego vobiscum sum... „ addit: " Non cum illis solum dixit se futurum esse; sed et cum omnibus qui post illos credunt: non enim usque ad consummationem sæculi Apostoli mansuri erant; sed sicut uni corpori fidelibus loquitur [5]. „

Ita theologi catholici omnes [6].

Confirmatur archæologicis documentis, ubi frequentius visitur

[1] Joan. XIV, 16, 17.
[2] Joan. XVII, 17, 19, 20.
[3] *De Symbol.*, Lib. I, cap. VI.
[4] *De Unit. Eccl.*, cap. V; Cf. Chrysost., *Sermo de Pentec.;* Ambros., *De Salom.*, cap. IV; Hieron., *In Is.*, cap. XIV.
[5] *Catena aurea;* cf. 3ª, q. 8, a. 1.
[6] Rem egregie more suo tractant Bañez, *In 2. 2, q. 1, a. 10, Dub. 3* (comment. majori); Gonet, *Clypeus: De Eccl.*, Disp. III, a. 1; Billuart, *Summa: De regulis fidei*, Diss. III, a. V.

Ecclesia figurata mox per arcam Noe, quæ fluctibus non mergitur, vel per navim ventis excussam, non superatam; mox per Susannam quæ inter impudicos senes invicta stat; mox per columnam solidissimam [1], etc. Quibus symbolis significatur hanc communem fuisse apud fideles persuasionem de indefectibilitate Ecclesiæ credentis non minus quam docentis. Quod ut melius significarent, nonnunquam Ecclesiam finxerunt sub forma naviculæ dorso natantis piscis, i. e. Christi, impositæ [2].

454. — c) Probatur rationibus:

Quarum *prima* hæc est: Ecclesia universa errorem credendo admitteret vel spiritu proprio, vel spiritu Dei. Atqui non spiritu proprio, quia secus Christus in rebus fidei Ecclesiæ suæ non adesset; non spiritu Dei vel Christi, quia alias errorem Deus traderet.

Altera hæc est: Quod tot homines varii ingenii, indolis, etc. de aliquo asserendo simul conveniant circa illa quæ non videntur sed auctoritate tantum probantur, hoc est invictissimum argumentum unde probatur adesse Spiritus Dei, sine quo diversissime diversissimi homines sentirent [3].

Tertia sit: Si Ecclesia errat in credendo, errabit prorsus in docendo, quia Ecclesia non potest non docere juxta mentem suam: ergo nulla amplius patebit salutis via hominibus; nulla remanebit ratio cur non tollatur ipsa Ecclesia.

Confirmatur ex dictis de Traditione divina.

Quarta demum erit quod nullus indicari ex historia error potest circa fidem vel mores quem tota Ecclesia aliquando admiserit.

Quarum omnium rationum ultimam hanc adducit Doctor Angelicus: " Caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum exteriorum membrorum; sed cor habet quamdam influentiam occultam: et ideo cordi comparatur Spiritus sanctus, qui invisibilem Ecclesiam vivificat et unit; capiti autem com-

[1] Martigny, *Dictionn.* ad voc. *Eglise*, et ad vocabula mox supra indicata; Kraus, *Real Encycl.* ad vocabula parallela.

[2] Martigny, art. *Poisson.*

[3] Quod ita prius docuerat Tertullianus: " Ecquid verisimile est ut tot ac tantæ (Ecclesiæ) in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. " *De Præscriptionibus*, cap. XXVII.

paratur ipse Christus, secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus præfertur [1]. „

Corollarium I. Ex dictis sequitur Ecclesiam errori obnoxiam esse non posse quoad fidem vel mores in credendo, non tantum si erroris conscia sit vel esse possit, sed etiam si invincibiliter ignoret. Utramque erroris formam rationes allatæ excludunt.

Corollarium II. Sequitur iterum illud semper creditum fuisse, saltem implicite, quod aliquando ab omnibus fidelibus creditum est: secus enim non eadem remaneret fides in Ecclesia, et error aliquando admitteretur.

455. — *B.* Probatur altera pars propositionis, nempe non certam omnino per se esse sententiam ecclesiarum particularium in credendo.

Duplex tantum adducatur ratio:

a) Imprimis nulla ex prædictis rationibus quæ probant inerrantiam fidei in Ecclesia universali adduci potest ad probandam inerrantiam eamdem in Ecclesiis particularibus.

b) Cæterum historia constat Ecclesias particulares a veritate et fide nonnunquam deviasse, ut norunt omnes, v. g. de Ecclesia græca. Ergo.

456. — *C.* Probatur tertia pars propositionis.

Probabilem vero fore ostenditur; sed magis minusve probabilem pro diversis adjunctis.

A. — Probabilem igitur esse plures demonstrant rationes tum auctoritatis, tum evidentiæ.

a) Ita perpetuo opinati sunt Pontifices, quod liquet ex eorumdem factis et verbis.

Sic v. gr. S. Pius V omnia Breviaria particularia abolevit, " illis tamen exceptis quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ, vel ipsa institutio, ducentos annos antecedebat, aliis certis Breviariis usa fuisse constiterit [2]. „

Ita Urbanus VIII, dum regulas aliquas de beatificatione Sanctorum ferret, declaravit tamen " Se nolle ullum præjudicium inferre iis (servis Dei) qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis,

[1] 3. q. 8, a. 1 ad 3.

[2] Bulla *Quod a nobis.*

scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel Ordinarii coluntur [1]. „

A qua sapientissima agendi via nunquam recesserunt Pontifices [2].

b) Ratio est quia Ecclesiæ particularis auctoritas supponit motiva quibus innitatur, neque ut irrationabilis tradenda est, nisi adsint validæ negandi vel dubitandi causæ.

c) Traditio, de qua loquimur, supponitur circa rem sacram versari, existere actualiter, diu durasse non interrupta, publico acceptata fuisse, et tamquam christiana conservari. Porro, nisi saltem probabilis foret, hujusmodi credentiam non tolerassent cæteri fideles, non tolerasset auctoritas Ecclesiæ docentis.

457. — *d*) Traditio seu fides hujusmodi tum quoad *originem*, tum quoad *conservationem*, summæ securitatis est.

Quoad originem quidem, quia fides illa ecclesiarum particularium vel invecta fuit ab ipsis ecclesiarum fundatoribus, vel postea admissa est.

[1] Decreta an. 1625, 1634.

[2] Hic referre libet nonnullas recentiores, easdemque prudentiores S. Sedis sententias de his quæ tractamus: " Historicas Ecclesiarum traditiones cultum Sanctorum (idem de cæteris sacris intellige) respicientes, maxime si aliqua recognitione S. Sedis admissæ fuerint, frustra impugnari aut in dubitationem adduci per genericas conjecturas ex archæologicis disquisitionibus adductas.

" Præsumptio enim genuinitatis veteris traditionis tam valida jure meritoque existimari debet, ut destructa non censeatur, nisi argumenta afferantur quorum vis declinari non possit.

" Immo, legibus logicis prælucentibus, neque peremptoria contraria argumenta destruere possunt omnem impugnatæ traditionis extensionem et amplitudinem; sed tantum corrigere, quantum falsum aut corrigendum esse ostenderent.

" In hujusmodi enim criticis disquisitionibus, eædem sapientes leges valere dicendæ sunt, quas in juridicis disquisitionibus de bonorum juriumque possessione Romanæ Leges tradiderunt; ex quibus principium derivavit: " Melior est conditio possidentis. „ (Cf. ephemer. *Acta S. Sedis*, vol. VI, pp. 81-83, 118, ubi de quibusdam S. Sedis animadversionibus agitur contra nonnulla asserta P. De Buck, S. J. Bollandiani).

Haud secus, " quando agitur de constantibus Ecclesiarum traditionibus, frustra excitari dubia conjecturis indiciisque ex extraneis locis petitis: harum enim traditionum possessio suis munita argumentis, quæ constantiam traditionis demonstrent, validissima præsumptione cogente, non aliam habere possunt originem quam veritatem publice notam.

" Quare ex hujusmodi firmissimis traditionibus corrigenda est, si opus sit, historia, non e converso: quamquam, quando agitur de judicio a S. Sede ferendo, nulla cautela existimanda est superflua „ (*Ibid.*, vol. VII, pp. 122, 123, *De causa S. Maximi Neapol. Episc.*).

Si ab ipsis Ecclesiæ fundatoribus invecta censenda est, jam inde patet quanta sit ejusdem auctoritas.

Fundatores enim vel catholici fuerunt, vel hæretici. Si catholici fuerunt, plerumque doctrina et sanctitate præcelluerunt: unde nihil falsi persuadere unquam tentassent; si autem schismatici, inde patet *per accidens* quantæ antiquitatis ac probabilitatis fuerit veritas catholico dogmati non difformis ab ipsis asserta.

Dum autem supposueris fidem aliquam vel traditionem in ecclesias particulares invectam fuisse recentioribus a fundatione temporibus, tunc eadem, immo major remanet ejusdem probabilitas.

Norunt quippe omnes quam arduum sit non theologos modo, sed etiam fideles ad nova dogmata credenda, aut novitates admittendas inducere, ita ut aut vis adhibenda sit, aut ipsa vis insufficiens sæpe sæpius evadat. Quapropter vix supponi potest introductam fuisse doctrinam quæ prius nullatenus admitteretur, nullis fundamentis niteretur. Idcirco, ubi comperta fuerit posterior novæ doctrinæ introductio, vetustior ac securior origo ubique supponenda est.

Quoad conservationem autem id quod diximus de traditionum admissione, rursus dicatur oportet de earumdem conservatione. Constat namque historia qua tenacitate particulares etiam ecclesiæ traditionem fidemque propriam conservent, multaque afferri possent hujus tenacitatis exempla, ut puta de celebrando Paschate, de forma tonsuræ [1], de rituum propriorum custodia, etc.

Probabilis ergo dicenda omnino est fides ecclesiarum particularium.

B. — Patet vero eamdem probabilitatem illam majoris minorisve momenti fore pro variis adjunctis.

Notetur vero ecclesias particulares esse vel *catholicas simul et apostolicas;* vel *catholicas et non apostolicas;* vel *neque catholicas neque apostolicas* (ecclesias quippe hæreticas, præsertim vetustiores, tamquam testes adducere quandoque præstat).

Apostolicas dicimus ecclesias, quæ ab Apostolis fundatæ fuerunt, ex quibus omnibus una, scil. Romana, superstes est.

Illarum præterea ecclesiarum fides peculiaris considerari potest vel *in se*, vel *relative* ad fidem aliarum ecclesiarum.

[1] Cf. Montalembert, *Moines d'Occident*, passim.

Imprimis, si consideretur *in se* ipsa, probabilior est ecclesiæ apostolicæ fides quam simpliciter catholicæ; probabilior fides catholicæ alicujus ecclesiæ quam non catholicæ seu acatholicæ; quia scilicet illæ ad principium centrumque veritatis propius accedunt atque stant.

Unde Ecclesiæ Romanæ auctoritas, etsi ecclesia hæc non haberetur tamquam magisterii infallibilis sedes, major tamen cæteris *per se* agnoscenda foret.

Idcirco major minorve probabilitas testimonii ab ecclesiis particularibus prolati pensanda est juxta illas easdem regulas quibus quodlibet pensatur testimonium: scil. ex scientia et veracitate testis ipsius.

Hinc in testimoniis ecclesiarum particularium prius attenditur antiquitas, quia exinde æstimatur securitas scientiæ. Sicut enim testis alicui facto vicinior magis de illo facto creditur, ita melius securiusque admittenda est auctoritas illius Ecclesiæ quæ ad factum revelationis fuerit proximior.

Hinc secundo attenditur in ecclesia aliqua testante unio cum centro veritatis, quia inde agnoscitur veracitas, nisi tamen *per accidens* ipsamet hæresis magis credibile aliquod testimonium reddat, quia nempe illud censetur verius quod inimicus cum inimico concedit.

Deinde autem si alicujus ecclesiæ testimonium consideretur respectu ad testimonium aliarum ecclesiarum, tunc eo majoris auctoritatis erit, quo ecclesia ipsa testans principalior fuerit, quo pauciores contradixerint, quo plures eidem sententiæ adhæserint.

De rationibus intrinsecis nihil addimus, tum quia ipsæ sunt testimonio per se extraneæ, tum quia notum est iisdem mutari posse probabilitatis gradum.

DIFFICULTATES

458. — *Obj.* 1° Ecclesia passim a Patribus lunæ comparatur quæ mutationibus et tenebris obnoxia est: ergo.

Resp. cum Augustino: " Luna intelligitur Ecclesia, non quod secum lumen non habeat, sed quod ab unigenito Dei Filio, qui multis locis in sacris Scripturis allegorice sol appellatus est,

illustratur [1]. „ Nulla namque comparatio sub omni respectu accipienda est, sed sub respectu obvio in singulis quæstionibus [2].

Obj. 2° In veteri Testamento sæpe defecit Ecclesia, v. gr. quando peccaverunt primi parentes, quando omnis caro viam suam corrupit, tempore Noe; quando populus Dei vitulum aureum adoravit; in Captivitate Babylonica, etc.: ergo et in novo Testamento deficiet.

Resp. 1° neg. antec. quod negandum esse passim probant theologi [3].

Resp. 2°, dato, non concesso antec., neg. conseq. Conclusio namque nostra est de Ecclesia perfecta tantum.

Obj. 3° De hæresi Ariana hæc habet Hieronymus: " Tunc (tempore scilicet Concilii Arimin.) *Usiæ* nomen abolitum est, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est : ingemuit totus orbis et arianum se esse miratus est [4]. „

Resp. 1° Hieronymum hyperbolice loqui, ut mos ipsi non infrequens fuit.

Resp. 2° S. Doctor verbis illis innuit totius orbis episcopos deceptos fuisse ab Arianis [5], unde ait: *orbis ingemuit, miratus est.* Si reapse orbis fuisset arianus, non *ingemuisset*, non *miratus esset.*

Obj. 4° Tempore Antichristi " Ecclesia non apparebit, „ inquit S. Augustinus [6], et alii: ergo.

Resp. Ecclesia non apparebit illa excellentiori perspicuitate quæ in splendoribus externis consistit, *transeat*, vel *conc.;* non apparebit essentiali perspicuitate, unde visibilis remaneat : *nego.* — Nec aliud docet Augustinus.

§ 2.

Quomodo innotescat Ecclesiæ credentia.

Quæ innotescere potest vel *ipsiusmet Ecclesiæ*, vel *privatorum fidelium* testimonio.

[1] *In Ps.* x.
[2] Cf. doctrinam S. Th. *De Verit.*, q. VII, a. 2.
[3] Cf. Bañez, Gonet, Billuart, *loc. supra citat.*
[4] *Cont. Lucifer.*
[5] Quod cæterum historia constat. Cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.*, Sæc. IV, Digress. XXXII; Billuart, *De Trinit.*, Digress. III ad Dissert. Procem.
[6] *Epist.* XC.

I. Quomodo Ecclesiæ credentia innotescat ipsius testimonio.

459. — Testimonium illud haberi potest vel *verbis* vel *factis*. Cum autem hic agamus de Locis theologiæ propriis, hinc credentia illa in verbis et factis Ecclesiæ sacris qua talibus, inquirenda erit.

Porro Ecclesiæ credentis verba præsertim habemus in *liturgicis libris*, facta autem in *usibus publicis*. Illa sane et in aliis documentis tum scriptis tum figuratis partim inveniuntur et quidem non sacris: hæc vero ad historiam, archæologiam etc., de quibus infra, pertinent.

1. Quomodo innotescat Ecclesiæ credentia in Liturgiis.

460. — Liturgia, græce Λειτουργία (a λεως, plebs et εργον, opus), idem est ac munus publicum. Apud Græcos Λειτουργία dicebatur ipsum naves bellicas parare, τριεραρχοῦ, scilicet munus obire [1].

At vero, quoad religionem, non actiones modo, sed potius regulas rem sacram peragendi, immo verius preces seu verba sacra, significat. Hinc in Concilio Sardicensi legitur: " In Ecclesia, ne alienus a communione videatur, conveniat et officia divina obeat [2]. „ In textu autem græco habetur λειτουργειν, de quo ibidem notavit Zonaras: " Liturgiæ porro nomine hoc loco non sacrorum celebritatem, incruentique sacrificii oblationes, sed statas preces et hymnos qui solemni more Deo concinuntur, intelligi oportet [3]. „

Recte igitur definiri potest: Complexus officiorum seu ritualium librorum vel doctrinarum, auctoritate publica in Ecclesia admissorum, et publico usu comprobatorum.

Prius traditione, postea scriptis transmissa est liturgia sacra. Quæ in *Psalmodicam* et *Eucharisticam* dividitur, prout vel ad preces in genere recitandas, vel ad sacrificii oblationem refertur.

Plures sunt liturgiæ (etsi communi principio ortæ sint): aliæ scilicet *orientales*, aliæ *occidentales*. Inter illas numerandæ sunt

[1] Apud Proto-Christianos Liturgia idem passim fuit ac *Missa*. De quo vide Kraus, *Real-Encycl.*, art. *Liturgie*.

[2] Cap. XII. [3] *Comment. in Can.* ibid.

Jerosolymitana, *Antiochena*, *Alexandrina* (sub qua *Coptica* et *Abyssiniana*), *Byzantina*, *Armeniana* et *Nestoriana*; inter istas autem *Romana*, *Ambrosiana*, *Gothica* seu *Mozarabica*, et *Gallicana* [1].

Variis vero continentur voluminibus, quorum præcipua sunt *Sacramentaria*, *Missalia*, *Evangeliaria*, *Lectionnaria*, *Benedictionnaria*, *Antiphonaria* [2], *Euchologia*, etc.

461. — Propositio. *Liturgia sacra per se fidem illius Ecclesiæ repræsentat in qua recipitur, si incorrupta remanserit; per accidens autem, cum scil. non remansit incorrupta, fidem illam insufficienter refert.*

Sensus propositionis est in liturgia referri fidem alicujus ecclesiæ quoad veritates in illa contentas, non autem omnes veritates sacras in liturgia referri.

A. Probatur prima pars, postquam tamen animadverterimus hanc esse mentem nostram quod eadem alicujus liturgiæ auctoritas quæ Ecclesiæ in qua recipitur.

a) S. Joannes Apostolus, dum in sua Apocalypsi institutionem Ecclesiæ Dei in terris narravit, hanc quasi liturgicis formulis exhibuit. Hic enim nobis ostenditur templum, altare et adorantes in eo; in templo autem absis, navis et atrium [3]; in hoc templo Joannes visiones suas die dominica habet [4]; ibidem apparet venerandus Pontifex, vigintiquatuor senioribus seu presbyteris circumdatus [5]; ibidem notantur vestes sacerdotales, stolæ albæ, coronæ seu thiaræ, candelabra, incensoria, volumen sigillatum, fons aquæ vitæ [6]; in conspectu throni, in medio seniorum videtur Agnus altari superpositus, et qua victima occisus; unde habetur sacrificium, cui præest principalior Pontifex [7]. Sub altari autem asservantur martyrum reliquiæ, quibus martyres rogant ut vindicetur eorum sanguis [8], etc.

Hanc primitivam liturgiam fuisse testantur undique Patres auctoritatibus prope innumeris [9].

1 Cf. D. Guéranger, *Instit. liturgiques.* Cf. Kraser, *De apostolicis... liturgiis.*
2 Cf. Martigny, *Dictionn.* ad voc. *Livres liturgiques* et *Liturgie, etc.*
3 Apoc. xi, 1 et alibi.
4 i, 10.
5 iv, 2-4.
6 Ibid. et cap. i, 1; v, 11, 12; vii, 17.
7 v, 6, 11, 12.
8 viii, 2.
9 Cf. S. Ignatius, *Epist.;* S. Justinus, *Apol.* i, 65; S. Irenæus, *Adv. Hær.*, L. iv, capp. xvii et xviii; S. Cyrill. *in Catech.*, *etc.*

Ergo S. Joannes dogmata exhibere fidelibus voluit sub liturgici symboli forma, censuitque liturgia exprimi doctrinam posse.

Confirmatur ex veteri Testamento, quo per liturgiam doctrina expressa pariter fuit, prout explanant theologi et interpretes, præsertim Angelicus [1].

b) Idem explicatius docuit S. Cœlestinus I: „ Obsecrationum quoque sacerdotalium, ait, sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi statuat lex supplicandi [2]. „

Ita Concilia liturgias in re dogmatica invocant [3]; ita etiam Bulla *Ineffabilis* de Immac. Conceptione.

c) Ita Augustinus: „ Utinam, inquit, tardi corde, et infirmi, qui non possunt vel nondum possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit et habebit Ecclesia, ab exordiis suis, donec finiatur hoc sæculum [4]. „

Ita cæteri Patres [5].

d) Nec dissentiunt theologi, sive ex liturgiis documenta educant [6], unde probent vel confirment doctrinas suas; sive explicite Liturgiarum auctoritatem laudent. Ex istis recentior quidam hæc habet: „ Maximi faciendam esse auctoritatem sacræ liturgiæ, eamque habendam uti testem omni exceptione majorem traditionis et Ecclesiæ fidei, is solus inficias iverit qui non adverterit in illa ecclesiarum omnium exhiberi vocem ac testimonium episcoporum, presbyterorum et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata [7]. „

Haud secus theologi hodie omnes.

[1] 1. 2, qq. 101, 102, 103.

[2] *Epist.* XXI *ad Episc. Gall.*, cap. XI.

[3] Cf. *Concil. in Trull.*, Can. 32.

[4] *De dono persev.*, cap. XXIII, n. 63. Cf. *Epist. 217* (al. 107) *ad Vital.* n. 2.

[5] Cf. Card. Bona, *Rerum liturg.* Lib. I, cap. VII, cum notis Rob. Sala. Cf. Zaccaria, *De usu Liturgiarum in rebus theologicis.*

[6] Quod argumentorum genus in theologiam invexit primus forsan inter recentiores P. Drouin O. P., in suo peregregio opere *De Re Sacramentaria.* Cf. Zaccaria S. J., *De usu librorum liturg.*, cap. IV, 1.

[7] Perrone, *Tract. de Loc. theol.*, P. II, sect. II, cap. II, § IV; Cf. Zaccaria, *Dissert. de Liturgiarum in rebus theol. usu,* cap. IV.

462. — *e*) Probatur demum hac ratione, scil. liturgias natura sua ordinari ad exprimendum sensum non alicujus individui, sed societatis religiosæ. Hinc apud omnes gentes Christianorum simul et paganorum, qualis fuit religio, talis fuit liturgia; hinc ubicumque religio viget, ibidem habetur et liturgia vel scripta vel traditionalis [1].

Ergo liturgia repræsentat fidem Ecclesiæ in qua recipitur, cum illo scopo instituatur et conservetur apud sacerdotes et subditos.

Confirmatur eo quod historici omnes, dum de alicujus nationis religione inquirunt, liturgias investigant.

Hinc vix aliquod invenietur in christiana religione dogma quod non confirmetur ex liturgiis. " Talia sunt dogmata Trinitatis, divinitatis Verbi et Spiritus sancti; divinitatis Christi, veritatis Incarnationis, Deiparæ non solum virginitatis, sed et integritatis in partu, Primatus S. Petri Romanique Pontificis, infallibilitatis Ecclesiæ, supereminentiæ episcoporum supra presbyteros, gratiæ necessitatis; peccati originalis propagationis, sacrificii incruenti, realis Christi in Eucharistia præsentiæ, transubstantiationis, purgatorii demum, et cultus invocationisque Sanctorum [2]. „ Quibus multa alia addenda forent.

Utinam ergo apud fideles melior pleniorque haberetur liturgiæ notitia! In quo studio et sensu Orientales forsan Occidentalibus longe præcellunt.

Corollarium. Si aliqua liturgia vel a summa auctoritate in Ecclesia approbetur, vel in tota Ecclesia recipiatur, tunc summa est ejusdem auctoritas, ut patet.

Idem dicendum est de veritatibus illis quæ in omnibus liturgiis asseruntur, quod plerumque evenit in liturgiis authen-

[1] Celebris est Ægyptiorum liturgia, immo et summi momenti. De liturgia nonnumquam agitur in Zend-Avesta et in Rig-Veda. Apud Græcos habebatur et liturgia de *choregis*, *gymnasiarchiis*, *theoriis*, *etc.* Cujus remanent vestigia in orationibus Eumolpidum cæterarumque religiosarum familiarum. Vocabula *Koux Ompax*, in Eleusiniis; *Œvohe,* in festis Bacchi; et apud Romanos, *Favete linguis*, *Illicet* (ire-licet), etc., ad Liturgiam pertinebant. Vide auctores qui de antiquitatibus sacris gentilium tractant.

[2] Perrone, *loc. cit.*, ubi asserta documentis inter notas allatis probat. De quo vide imprimis opera Renaudot quibus tituli sunt: *Perpétuité de la foi touchant l'Eucharistie; Perpétuité de la foi de l'Eglise sur les Sacrements, etc.;* et opera Martenii, præsertim cui titulus: *De antiquis Ecclesiæ ritibus.*

ticis. Specie aliquando diversæ sunt, re sæpius eædem. Unde si omnes aliquid asserant simul, testimonium totius Ecclesiæ nobis, idemque publicum præbent.

463. — *B.* Probatur altera pars hac sola ratione, quod ex arte critica et historia constat liturgias quasdam particulares depravatas fuisse atque erroribus infectas, præsertim ab Eutychianis et Nestorianis [1].

His ita se habentibus rebus dogma inter et liturgiam, ut supra diximus, hæretici vel falsas liturgias inducere, vel veras erroribus suis inficere (quod promptius prudentiusque erat) tentarunt, optime rati hac faciliori via doctrinas suas citius universaliusque diffundendas. Ariani in antiquitatis temporibus, Protestantes, præsertim Anglicani, recentiori ætate idem præstiterunt pro viribus.

Hisce ergo liturgiis caute utendum est, adhibita omnimoda judicii ac criterii diligentia; neque extemplo putandum illud omne ad religionem veterum pertinere quod iisdem asseritur.

DIFFICULTATES

464. — *Obj.* 1° Le Brun et alii contendunt nullam liturgiam ante sæc. V scripto mandatam fuisse: ergo.

Resp. transeat antec.; et *neg. conseq.* Dato enim liturgias serius scripto mandatas fuisse, non sequitur easdem parvæ auctoritatis esse, cum sane prius traditione et usu transmissæ fuissent. Dixi tamen *transeat*, cum verisimile non sit liturgias prius non fuisse scriptas.

Obj. 2° Maxima est codicum et liturgiarum confusio et varietas: ergo dubia earumdem auctoritas.

Resp. neg. conseq. Quia varietas illa verborum doctrinam potius confirmat, dum ista ubique eadem invenitur.

Obj. 3° Liturgiæ sunt interpolatæ: ergo.

Resp. Inde non sequi earumdem nullam esse auctoritatem, cum criticæ ope interpolationes dignoscantur.

[1] Cf. Lebrun, *Explication littérale... des prières de la Messe.* Innumeri de hujusmodi rebus prostant libri, a quibus referendis, prout notissimis, abstinemus.

APPENDIX I.

CANONES PRO DISCERNENDO VERO A FALSO IN LITURGIIS

465. – Canones quosdam tradidit P. Zaccaria unde verum a falso in liturgiis dignosceretur, quos hic exscribendos esse ducimus:

1. " Canones pro delectu liturgicorum librorum, ut inde in rebus theologicis peti possint argumenta:

a) " Consensio liturgiarum omnium cum orientalium tum occidentalium in aliquo dogmate firmissimum est illius argumentum.

b) " Occidentales liturgiæ orientalibus præferendæ in re theologica sunt.

c) " Inter Occidentales earum potissimum habenda ratio est quæ ad Romanam Ecclesiam pertinuisse dignoscuntur.

d) " Inter libros liturgicos orientales eminet liturgia sancti Jacobi, τοῦ Ἀδελφου θεοῦ nomine inscripta.

e) " Quæ in quibusdam particularibus liturgiis aut singularia, aut paradoxa, aut etiam falsa occurrunt, minus apta sunt ad ecclesiarum sive orientalium sive occidentalium doctrinam dignoscendam.

f) " Si ex Orientalium libris aliquid promendum, præstat iis uti qui apud Orientales ipsos perscripti sint, neque a missionariis censoribusque nostratibus emendati.

g) " Frustra ad veteres ritus doctrinasve confirmandas codices liturgici in medium adferuntur, quos esse recentiore ævo interpolatos constat.

h) " Libri publica auctoritate adprobati iis præferendi omnino sunt, qui privatæ sunt aut dubiæ auctoritatis.

i) " Liturgiarum loca adferenda non sunt in quibus mendum cubare facile est suspicari.

2. " Canones ad argumenta e liturgicorum librorum silentio rite ducenda proferuntur.

a) " Liturgicorum librorum silentium, cui æqualia monumenta fidem adstruunt, efficaci argumento esse potest hoc illudve antiquiore ævo usu non fuisse receptum.

b) " Si qua magni momenti ratio suadeat aliquid olim usitatum fuisse, frustra liturgicorum librorum silentium objicitur.

c) " Si nulla sat probabilis causa adferri possit cur aliquid in liturgicis libris prætermissum fuerit, horum silentium argumento est illud de quo agitur, quibus locis aut temporibus codices liturgici fuere perscripti, nondum fuisse usu receptum.

d) " At si probabilis caussa designari possit cur ritus aut doctrinæ receptæ libri liturgici haud meminerint, infirmum erit quod ex eorum silentio sumitur argumentum. Hujusmodi porro probabilis caussa esse potest vitium amanuensis; disciplina arcani, præsertim quod ad Sacramentorum formas attinet; vulgatus et familiaris alicujus formæ brevissimæ usus; mores Ecclesiarum quarum usui codices fuere descripti.

466. — 3. " Canones aliqui ad germanum verumque liturgicorum librorum sensum adsequendum proponuntur.

a) " Non omnia quæ in Sacramentorum administratione ex omnium liturgicorum librorum præscripto servamus, ejusmodi sunt ut ab illis ipsorum Sacramentorum efficacitas pendeat.

b) " Aliqua in liturgicis libris sunt quæ tropico sensu explicare par est.

c) " Quæ in liturgiis occurrunt, nisi si quid obstat, in vero ac proprio sensu adcipienda sunt.

d) " Ut legitimum librorum liturgicorum sensum adsequaris, nosse oportet qua significatione hoc illudve verbum barbaris sæculis a scriptoribus ecclesiasticis usurpatum fuerit; in iis tamen verbis quorum eadem semper vis fuit ac potestas, licebit ethnicos quoque scriptores consulere.

e) " Tituli ipsi quibus oratio aliqua vel ordo prænotatur, ad sensum ejusdem orationis vel ordinis dignoscendum facem quodammodo præferre possunt.

f) " Cum primis autem totius orationis contextus est accurate perpendendus.

g) " Si quis liturgicorum librorum locus aut obscurus esse videatur, aut parum adcuratam doctrinam continere, ex aliis ejusdem libri textibus explicabitur.

h) " Si quid dubii in loci cujuspiam liturgici interpretatione enascatur, scriptores ejus regionis gentisve ad quam liturgicus liber spectasse fertur consulere opportunum erit.

i) " Præcipue autem juvabit liturgias cum aliis liturgiis conferre.

j) " Sæpe ipsarum liturgiarum fontes adire præstat; sæpe etiam illarum rivos.

k) " Non inutile quoque erit veteres liturgicos libros cum recentioribus nostris contendere.

l) " Prudens conjectura de tempore quo primum liber aliquis liturgicus scriptus, aut illi quidpiam additum fuit, interpretationum difficultates interdum e medio tollit.

m) " Perpendendum est etiam quo loco hoc illudve in liturgicis libris legatur; hinc enim plana facilisque expediendarum difficultatum via patere poterit.

n) " Ritus qui verba aliqua comitatur subsequaturve ad illa opportune interpretanda plurimum confert.

o) " Interpretatio quam absurdum consequitur, absurda et ipsa est [1]. „

467. — *Quæres.* Quænam sint liturgiæ auctoritate potiores?

Resp. Illas potiores per se esse quæ in principaliori Ecclesia receptæ sunt. Hinc præcellunt occidentales orientalibus, utpote quæ proximius sub auctoritate Ecclesiæ Romanæ acceptæ. Inter Occidentales vero potior est *Romana*, cujus Petrus auctor fuisse perhibetur [2]. Cui proxime accedit *Gallicana* [3], quæ etiam apud Anglos quondam in usu fuit [4]. Tertia est *Mozarabica*, quæ ab Oriente Hispanias allata, nomen suum sortita est quia Hispaniis degebant Arabes christianis mixti (*mixti-Arabes; Mozarabicus* [5]). Demum quarta est *Ambrosiana*, cui Ambrosius nomen dedit, eo quod vetustiorem refecisset et auxisset [6].

Inter Orientales vero primum obtinet locum liturgia *Jerosolymitana*, quæ a S. Jacobo originem repetit, ut dictum est, proindeque antiquissima fuit et universalissima evasit [7]; præ-

[1] Ita Zaccaria, *Biblioth. Ritual.*, Vol. I, Diss. II; *De usu Librorum Liturg. in rebus theol.*, capp. III-VI.

[2] Cf. Muratori, *Liturgia Rom. vetus.*

[3] Cf. Mabillon, *Liturg. Gallic.*

[4] Cf. Usser, *De Antiquit. Britt.*, II, cap. IX. Liturgiæ Gallicanæ auctor incertus est, cum mox Hilario Pictav., mox Sidonio Apollinari, mox Musæo, sacerdoti Massiliensi tribuatur.

[5] Cf. Pellicia, *Polit. Eccles.*, I, p. 243; Bona, *Rer. Liturg.* Lib. I, cap. XI, § I.

[6] Cf. Visconti, *De Rit. Miss.*, c. XXII.

[7] Cf. Assemani, *Codex Liturg.* T. IV, Part. II, Præf. — Prior tamen fuit Liturgia Apostolorum, quæ citra sæculum IV in usu fuisse non videtur.

sertimque in Ecclesia Antiochena recepta fuit. Ab illa autem processerunt omnes aliæ Orientalium liturgiæ, quæ idcirco minoris sunt auctoritatis [1].

APPENDIX II.

DE AUCTORIBUS CIRCA REM LITURGICAM LEGENDIS

468. — De liturgia innumera prodierunt volumina, quæ recensere longius inutiliusque foret. En tamen auctores præcipuos qui de eadem, pro re nostra, legendi tibi sunt, et apud quos, si libuerit, et alios indicatos reperies:

1. Durandus Mirnatensis episcopus, O. P., qui edidit *Rationale divinorum Officiorum.* Cui addas opus Joannis Beleth.
2. Renaudot, *Liturgiarum orientalium collectio.*
3. Goar, *Euchologium.*
4. Aloys. Assemani, *Codex liturgicus Ecclesiæ universæ.*
5. Grancolas, *Les anciennes liturgies*, etc.
6. Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus.*
7. Muratori, *De rebus liturg.*
8. Bona, *Rerum liturgic. liber.*
9. Bocquillot, *Traité historique de la liturgie.*
10. Binterim, *Deukwurdigkeiten der Christeath. Kirche* (latine vertit *Grischovius*); quem tamen protestantem fuisse adverte.
11. Augustinus Kraser, O. P., *De Apostolicis necnon antiquis Ecclesiæ occidentalis liturgiis.*
12. Guéranger, *Institutions liturgiques* et *Année liturgique.*
13. Legenda sunt opera Menard, Lebrun, Boxhorn, Le Nourry, Albaspinei, Casalii, Thomasii, Zachariæ, Vavasseur, etc. Adeas præterea Richard et Giraud, Moroni, Martigny, Kraus, Welte, etc. ad vocab. *Liturgia, Libri liturgici, Officium divinum, Preces publicæ*, etc.

2. Quomodo innotescat Ecclesiæ credentia ex usibus publicis.

469. — Dicimus hic usus publicos qui referuntur ad cultum, ad sacramentorum administrationem, ad ritus, cæremonias, dies fe-

[1] Cf. Assemani, *loc. cit.;* Renaudot, *Liturg. Orient.*, qui rem fusius tractat; Goar, *Euchologium, etc.*

stos, etc. Ex usibus illis multa determinantur, v. g. quoad sacramentorum numerum, quoad eorumdem materiam et formam, quoad dies festos, proindeque et objectum festivitatum, et alia hujusmodi innumera.

470. — PROPOSITIO. *Usus publici quoad res sacras referunt fidem ecclesiarum in quibus recipiuntur, atque ex eis arguere licet in theologia.*

Idcirco certitudinem præstabunt, si in Ecclesia universa recipiantur; probabilitatem, si in Ecclesiis particularibus. Quæ probabilitas major evadit vel minor, pro majori aut minori Ecclesiarum extensione, auctoritate, etc.

Probatur propositio:

a) Ex iis omnibus quæ diximus de traditione et liturgia, cum usus illi publici utriusque expressio quædam sint, ut patet.

b) Ex utroque Testamento, in quo admissi plures hujusmodi usus, consuetudines, etc. semper viguerunt, ac fidei signa et testimonia fuerunt, imprimis quoad Sacramenta.

c) Unde Cœlestinus papa I ait: " Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu. Cum sive parvuli sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur [1], etc. "

Pius autem IV in sua Professione fidei hæc jubet pronuntiari: " Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes firmissime admitto et amplector [2]. "

Haud secus Pius VI, in sua Bulla *Auctorem fidei*, plures Pistoriensium propositiones tamquam Ecclesiæ praxi oppositas damnat, et Pius Pp. IX, ex praxi Ecclesiæ probationem Immaculatæ Conceptionis eduxit in sua Bulla *Ineffabilis* [3].

d) Ita Patres omnes, quorum nomine solus adducatur Basilius: " Dogmatum et institutionum quæ in Ecclesia servata sunt, alia quidem habemus ex doctrina quæ litteris consignata est, alia vero ex Apostolorum traditione ad nos transmissa mysterio accepimus. Quæ utraque eamdem vim ad pietatem

[1] *Epist.* XXI *ad Episc. Gall.*, cap. XII. [2] Ex Profess. fidei.
[3] Vide *Bullas* ipsas passim.

habent; atque his nemo sane contradixerit qui vel exigua legum ecclesiasticarum peritia sit præditus. Nam, si aggrediamur ea quæ non scripto sed tantum consuetudine constant, tamquam non magnam habentia vim, repudiare, imprudentes Evangelio, et quidem in præcipuis ipsius partibus, officiemus: vel potius ipsamet instituta ad inane quoddam nomen redigemus [1]. „ Ubi notandum est Basilium non propriam tantum, sed etiam Ecclesiæ auctoritatem proferre, qua dicta sua confirmet.

e) Sequuntur theologi omnes qui semper et ubique ex praxi Ecclesiæ in re dogmatica arguunt, proindeque usuum illorum auctoritatem implicite asserunt. Multi præterea, inter recentiores imprimis praxim hanc tamquam unum ex theologicis locis notant [2].

f) Accedit ratio hæc, scil. quod maxima et quidem necessaria datur connexio inter usus sacros et doctrinam, præsertim in re religionis, et apud religiosas societates, siquidem actus exteriores imprimis fiunt ad exprimendos interiores sensus. Ergo usus sacri, iidemque publici doctrinam Ecclesiarum apud quas invenientur, sincere referent, iisdemque fides habenda a nobis est.

Quomodo autem innotescant hujusmodi usus infra dicetur, ubi de historia, archæologia [3], etc.

Confirmatur. Usus illi non nisi consuetudines sunt, quæ si debitis vestiantur conditionibus, sunt *optimæ legum interpretes*, ut fert commune effatum. Illæ autem conditiones sunt quod consuetudo sit rationabilis, a communitatis majori saltem parte servata, debito tempore custodita, et approbatione vel explicita, vel implicita, vel legali principis confirmata.

Quæ omnia sane usibus ac praxibus illis de quibus agimus competunt. Ergo.

Notetur tamen istud, quod scilicet dum leges humanæ mutari, immo tolli consuetudine possunt, leges naturales aut di-

[1] *De Spir. S.*, cap. XXVII. Vide totum Capitulum, ubi plura referuntur exempla. Eadem fere habet Cyrill., *Catech.* XIV; Tertull., *Corona*, cap. III et IV. Cf. *Decretum*, P. I, Dist. XI et XII.

[2] Nominandi sunt Perrone, *Præl.*, *De Loc. theol.*; Knoll, *Theol. Gen.*, § 199; Frint, T. III, § 272, etc.

[3] De his tractant Mamachi, *Origines et antiquitates Christianæ; De' Costumi dei primitivi Cristiani.* Cf. Fleury, *Mœurs des premiers Chrétiens;* item opera DD. De Rossi, Garrucci, Martigny, Kraus, Northcote, etc.

vinæ hujusmodi consuetudinum imperio non sunt obnoxiæ [1]. Unde quæcumque consuetudines sacræ, seu usus non possunt dari *contra* legem divinam, sed tantum *extra* vel *juxta* eamdem legem.

II. Quomodo Ecclesiæ credentia innotescat privatorum fidelium testimonio.

471. — Non simplices tantum, ut ajunt, fideles, sed ipsimet etiam doctores, qua fideles habiti, fidem Ecclesiæ testimonio asserere possunt. Inter istos vero eminent martyres, seu *testes* antonomastice dicti. De istorum ergo speciatim testimoniis dicemus, quod et de aliis testibus pariter, servatis servandis, intelligendum tibi est.

Martyres sunt qui mortem fidei asserendæ causa oppetiere, quorumque testimonium sive objecti nobilitate, sive periculi imminentis gravitate, omnium maximum sane est [2].

Hinc ipsos, inter cæteros fidei testes adnumeramus, eorumque in testificando auctoritatem perpendimus, prout ex ipsorum actibus colligere licet.

Gelasius papa, in concilio habito Romæ cum LXX episcopis, Actus Martyrum numerat inter libros in Ecclesia susceptos, his nempe verbis: " In Ecclesia catholica recipiuntur... gesta SS. Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ita esse catholicorum dubitet, et majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia Dei et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in S. R. Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus aut idiotis superflua aut minus apta quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicut cujusdam Quirici et Julittæ, sicut Gregorii aliorumque hujusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur conscriptæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in S. Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes Martyres et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur [3]. "

[1] 1. 2, q. 97, a. 3. [2] Cf. S. Th. 2. 2, q. 124, aa. 1-5.
[3] Dist. XV. cap. III.

Quæ Pontificis verba ostendunt primo quanta fuerit Ecclesiæ prudentia ac circumspectio; deinde quo criticæ artis labore opus foret ad seligenda vera a falsis, certa a dubiis. Quam distinctionem viri docti jam præstiterunt [1], actusque Martyrum in quinque classes partiti sunt, omissis quæ falsa vel spuria videbantur [2]. Cum enim ex illis actibus falsis vel dubiis aliquod argumentum vix unquam desumi possit, hinc et nos dicimus tantum de actibus *sinceris*, *non sinceros* omittentes [3].

472. — Sinceri actus sunt 1° illi qui a scribis publicis conscripti sunt, indeque vocantur *proconsulares* seu *præsidiales*, quosque Christiani nonnunquam magna pecunia emerunt. Cujusmodi sunt Actus XVI vel XVII Martyrum circiter [4]; nihil vero horum Actuum integritati obstat si aliquando Christiani *præfatiunculam* vel *conclusionem* addiderunt, rei melius manifestandæ causa.

2° Actus, *originales* dicti, quos ipsi Martyres, dum morti erepti fuissent, postea conscripserunt. Hujusmodi sunt Actus SS. Perpetuæ et Felicitatis, qui summi momenti in re theologica esse debent; Actus SS. Montani et Flaviani cum sociis.

[1] Actus Martyrum colligi sedulo ac conservari maxime curaverunt RR. Pontifices, imprimis SS. Clemens, Fabianus et Antherus (*Lib. Pontif.*), atque non raro plumbeis laminis inscribi, melius asservandi causa, fecerunt; et diaconos vel subdiaconos, seu notarios et exceptores elegerunt quibus, morte imminente non trepidis, illud officii ac muneris creditum est ut Actus Martyrum conscriberent. Actus vero, cum innumeri jam collecti fuissent, sub Nerone incendio perierunt, paucis exceptis. Remanentes collegerunt Dionysius Alexandrinus, Eusebius Pamphilus, S. Ceranus, Anastasius Bibliothecarius, Joannes Diaconus, Flodoardus, Metaphrastes, Jacobus a Voragine, Lipomanus, Surius, Ruinartius, demumque Bollandus; omissis præterea Patribus vel auctoribus plurimis qui aliquorum Martyrum Actus separatim ediderunt.

Palmam cæteris eripuerunt Ruinartius ac Bollandus propter doctrinæ copiam ac critices prudentiam.

[2] Id quod dicimus de Actis ipsis Martyrum, illud pariter, servatis tamen servandis, dicendum est de *Kalendariis*, et de *Martyrologiis* vel *Euchologiis*, ubi referuntur Martyrum coram tyrannis responsa; vel causa passionum, aut etiam nomina, agnomina, injuriæ illatæ, etc.

[3] Nec tamen negamus inde erui posse argumentum historicum, circa ea quæ credebantur vel fiebant eo tempore quo conscripti fuerunt illi spurii actus: hoc tantum inficiamur, scil. inde colligi *testimonium*, quasi ex ipsa martyrum auctoritate desumptum.

[4] Scil. SS. Justini Apol., Acacii Antioch., Maximi negotiatoris, Petri, Pauli, Andreæ, Dionysiæ virg., Luciani et Marciani, Cypriani Carth., Claudii, Asterii, Neronis, Domninæ et Theonillæ, Maximiliani Thebest., Marcelli, Agapes, Chioniæ et Irenes, Didymi, Theodoræ virg., Taraci, Probi et Andronici, Crispinæ in Africa, Saraini Sirm., Phileæ, Philoromi, Quirini ep., Sabinæ et Seraphiæ, etc.

Quibus facile addi possent Epistola S. Ignatii ad Romanos et S. Dionysii Alexandrini ad Fabianum episcopum Antiochenum, ubi Sancti illi nonnulla de passionibus suis narrant.

3° Actus illi quos ipsi Christiani composuerunt, dum interrogationibus adfuissent, necnon et tormentis; qui sunt XI vel XII numero [1].

4° Actus forsan XXV numero qui ex originalibus immediate educti sunt, suppressis tamen nonnullis judiciariis formulis, rebusque potius ad modum historiæ narratis [2], unde scriptores ipsi *Scribæ a memoriis* vocabantur.

5° Actus demum qui apud auctores ecclesiasticos, oratores nempe, poetas, historicos leguntur; quin aliquo ex prædictis modis conscripti fuerint, sed potius ex traditione compositi sunt. Qui plusquam LII numero fuerunt [3].

His præhabitis, duo statuimus circa *Actorum Martyrum* auctoritatem, scil. hujus *existentiam* et *diversitatem*.

473. — PROPOSITIO. *Indubium est Actorum Martyrum auctoritatem aliquam in re fidei esse; sed tamen aliam et aliam pro variis circumstantiis.*

A. Probatur prima pars propositionis.

a) Dixit Christus ad Apostolos: " Cum tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis [4]. "

[1] Scil. SS. Ignatii Antioch., Polycarpi Smyrn., Ptolemæi cum sociis, Phothini Lugd. cum sociis, Mitri, Apollinæ virg., aliorumque in Alexandria martyrum; Pioni Smyrn., Jacobi et Marciani cum sociis, Jeremiæ, Isaiæ et Samuelis apud Eusebium; Theodoti hosp., et Septem Virginum Ancyranarum, Procopii lectoris, Basilii Ancyrani, Theodoreti Antiocheni, etc.

[2] Cujusmodi inveniuntur pleraque actuum monumenta, apud Ruinartium, ex quibus præsertim nominandi sunt actus SS. Basilisci militis, Felicitatis cum septem filiis, martyrum Scillitanorum, Saturnini Tolos., Fructuosi Tarragon., cum sociis, Genesii Rom., etc. Neque nobis omittendus sane est doctus amicus noster Ab. Hyvernat, qui *Copticorum Martyrum Acta* typis una cum versione edere aggressus est, unde novi prodibunt doctrinarum thesauri.

[3] Ex quibus nominentur actus SS. Jacobi Jerosol., Epipodii Lugdun., Simeonis Jerosol., Symphoriani Augustod., Apollonii Rom., Leonidis, Hippolyti presb. Rom., etc.

De omnibus prædictis cf. D. Ruinart, *Acta sincera Martyrum*, *Præfat.*

[4] Matth. X, 19, 20; Marc. XIII, 11, 12; Luc. XII, 11; XXI, 14.

Ubi habetur *nolite cogitare*, græce habetur μὴ μεριμνήσατε (a quo vocabulo *ærumna* dicta est): unde non intelligendum est quasi prohiberetur cogitatio, sed quia prohibetur angustia spiritus.

Porro, etsi illis verbis Christus solos Apostolos alloquatur, attamen speciale Spiritus sancti auxilium eis promittit ratione martyrii: unde quicumque martyrium vere subeunt, illud accepisse censendi omnino sunt.

b) Hinc non immerito Gelasius papa in prius allato textu, inter libros legendos, laudat *mirabiles confessionum triumphos*, apud martyres: unde etsi fateatur acta vera a falsis vix discerni suo tempore potuisse, attamen horum auctoritatem *in se* laudat. Idcirco, semel vero ab erroribus discreto, ope scilicet artis criticæ, intacta et asserta, juxta Pontificem, remanet auctoritas Actorum Martyrum.

Confirmatur 1° eo quod passim Acta Martyrum in ecclesiis et basilicis coram episcopis, postquam ab ipsis approbata fuissent [1], publice legerentur, ad instructionem quidem fidelium, simul et ædificationem, non modo per narrationem factorum, sed etiam per exhibitionem doctrinarum a Martyribus assertarum, circa pleraque christiana dogmata, v. g. de Trinitate, de Incarnatione, de Sanctorum cultu, de Eucharistia, etc.

Lectionem vero illam publice factam esse, præsertimque die martyrii anniversario, seu *die natali*, testantur innumera antiquitatis christianæ monumenta.

Hinc in Concilio Carthaginiensi, anno 401 celebrato, legitur: " Liceat legi passiones Martyrum cum anniversarii dies eorum celebrantur [2]. " Ita Hadrianus papa ad Carolum Magnum: " Passiones SS. Martyrum sancti canones censuerunt ut liceat eos in ecclesia legi, cum anniversarii eorum dies celebrantur [3]. "

Confirmatur 2° eo quod Martyrum Acta sedulo jussu Pontificum vel episcoporum collecta fuerant. Unde S. Clemens, sancti Petri discipulus, septem diaconis id officii commisit ut per septem Urbis regiones Acta illa colligerent; eisdem vero septem subdiaconos adjunxit S. Fabianus, ejusdem muneris gra-

[1] Cf. Honoratus a S. Maria, *Réflexions sur les régles et l'usage de la critique touchant... les actes des Martyrs*, T. I, Diss. IV, a. 1.

[2] Can. 50.

[3] Apud Labbé, *Concil.*, T. VII. Cf. Joan. Diac., *Præf. in Vita Greg. Magni;* Cæsarius Arelat., *Serm.* CCC *in app. Opp. S. Aug.;* Greg. Turon., *De Gloria MM.*, LXXXVI; Mabill., *Liturg. Gallic.*, passim, etc.

tia [1]; imprimis autem hac in re zelo enituit S. Antherus qui " Gesta Martyrum diligenter a notariis exquisivit, et in Ecclesia recondidit, propter quod a Maximo præfecto martyrio coronatus est [2]. „ Quod factum memoratum esse creditur in aliqua veteri cimiterii S. Callixti pictura, qua visitur Pontifex, scil. S. Antherus, ut putant, cathedra sedere atque a notariis volumina aliqua recipere, posito præterea ad pedes Pontificis scrinio hujusmodi voluminibus pleno [3].

Quo securius autem asservarentur Martyrum Acta, sæpe sæpius laminis plumbeis inscribebantur, atque ipsis Martyrum includebantur sepulchris.

Inde patet quanta sit auctoritas Actorum quæ supersunt, quorumque authentia certa remanet [4].

474. — *c*) Ita docent Patres, ex quibus primo afferatur Clemens Alexandrinus, qui ita gnosticum sincerum, i. e. christianum, gnostico hæretico opponit: " Is vero feret testimonium: Sibi quidem quod sit in Deum sincerus et germanus Fidelis; tentatori autem quod frustra sit æmulatione percitus in eum qui est fidelis per dilectionem; Domino autem quod a Deo sit inspirata doctrinæ persuasio, a qua non deficit metu mortis: quin etiam facto confirmat veritatem prædicationis, potentem eum esse ostendens ad quem contendit [5]. „

Ita Cyprianus: " Pretiosa est in conspectu Domini mors justorum ejus... Quam lætus illic Christus fuit! Quam libens in talibus servis suis pugnavit et vicit protector fidei! Et dans

[1] *Lib. Pontif. in S. Clementem et S. Fabianum.*

[2] *Lib. Pontif. in Anth.*

[3] Arrighi, T. I, p. 539. Cf. Martigny, *Dictionn.*, art. *Actes des Martyrs*, I.

[4] Nullus nescit, quamvis propter martyrum multitudinem, vel periculorum colligentibus imminentium gravitatem, non omnium martyrum acta, imo nec nomina collecta fuissent, maximum tamen fuisse actorum olim numerum, quorum plurima deinde variis eventis perdita sunt, præsertim persecutorum cura et odio. — Baron., *Annal., ad an. 98, Domit. 15;* D. Ruinart, *Præfat. gen. in Acta Martyrum sincera*, ubi Dodwellii de paucitate martyrum sophismata ac errores refellit; Mamachi, *Origines*, T. I. Quod ita luxit summus Prudentius:

O vetustatis silentis obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis, fama et ipsa extinguitur!
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita sæcula
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum
Dulcibus linguis per auras posterorum spargerent.
(*Peristeph.*, I, 74 seqq.).

[5] *Stromat.*, L. IV.

credentibus tantum quantum se credit accipere qui sumit; certamini suo adfuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit [1]. „

Ita demum Augustinus: " Natalem Martyrum celebramus, exempla Martyrum nobis proponimus, attendimus fidem, quomodo inventi, quomodo adtracti, quomodo steterunt ante judices. In Ecclesia catholica nihil habentes simulationis, compaginati junctura unitatis, confessi sunt Christum: caput quod præcesserat sicut membra, sequi concupierunt. Sed qui concupierunt? In tormentis patientes, in confessione fideles, in sermone veraces. Jaculabantur enim in ora interrogantium se sagittas Dei, et vulnerabant ad iram: multos vulneraverunt et ad salutem [2]. „

Confirmatur 3° ex nominum proprietate. Primitus enim " Confessores dicti sunt qui coram judicibus interrogati, Christum professi erant: Martyres qui Christum professi, et præterea ut abnegarent torti, perseverabant. Martyres igitur omnes confessores erant, sed confessores nondum martyres, nisi, ut eleganter Tertullianus vocat initio *Libri ad Mart.* designati, et *alibi* candidati martyrii [3]. „ Unde primitus illi tantum *martyres* vel *confessores* dicti sunt quasi antonomastice qui publice ac cum periculo mortis *testes fidei* fuerunt; nec nisi sæculo IV cæteri Sancti per similitudinem quamdam dicti sunt " Confessores comites Martyrum [4]; „ immo et martyres, ut de S. Felice canit Paulinus, quod esset

Cœlestem nactus sine sanguine martyr honorem.

Haud secus altare super Martyrum sepulchra extructum primo ratione testimonii sanguine comprobati, dictum est *confessio*, *martyrium* [5], quo titulo donata sunt postea *a pari* altaria aliorum Beatorum.

Atqui tam celebrati illius testimonii objectum fuisse veritatem fidei testantur Patres omnes, quorum doctrinam ita resumit Angelicus: " Martyres dicuntur quasi testes, quia scil.

[1] *Epist.* X, *Martyribus et Confessoribus.*

[2] *In Psalm.* XXXIX, 16. Cf. *Serm.* CI, *De divers.* Vide Hieron. *Cont. Rufin.* XXXVII.

[3] Nicolaus Faber in prælaudatam S. Cypriani Epistolam.

[4] De Rossi, *Bullet. Arch.*, an. 1864, p. 30. Cf. Krauss, *Real-Encycl.*, art. *Confessio, Confessor;* Martigny, *Dict.*, art. *Confesseur, Confessio.*

[5] Krauss, *Real-Encycl.*, art. *Confessio.*

corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati quæ secundum pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Unde et Martyres Christi dicuntur, quasi testes ipsius. Hujusmodi autem est veritas fidei, et ideo cujuslibet martyrii causa est fidei veritas [1]. „

475. — *d*) A Patribus non dissentiunt theologi, qui mox auctoritatem Martyrum inter loca theologica reponunt explicite; mox implicite idem præstant dum dogmata catholica ex iisdem testimoniis comprobant, præsertim ubi de Trinitate, de Incarnatione, de Eucharistia quæstio est. Ex recentioribus Perrone solum adducimus [2]: " Nemo inficias ibit, inquit, antiqua ac genuina Martyrum Acta nobis exhibere traditionis dogmaticæ certissima documenta, ex quibus circa plures fidei articulos qui nunc in controversiam vocantur, senserit Ecclesia dignoscimus [3]. „ Pariter D. Maran divinitatem Christi [4], et Calorius hæreticus [5] Trinitatis fidem, aliique alia dogmata ex Actibus Martyrum demonstraverunt [6].

e) Quorum omnium ratio hisce verbis contrahi potest: Optimus ille testis est qui sedulius discit, ardentius amat, clariusque exprimit veritatem: atqui hujusmodi fuere Martyres. Ipsi namque veritates asserendas ab Ecclesiæ pastoribus didicerant, nec, prout plerumque rudes ac simplices, propriis conceptibus involverant, sed sinceram apud se conservabant. Ardentius amasse constat eo quod vitam promptius pro testimonio dederint [7]. Clarius demum expresserunt, tum quia responsis nullam philosophiam immiscerent, tum quia totam solamque veritatem profiteri coram judice intendebant. Unde illorum testimonio prorsus standum est tamquam auctoritatis eximiæ.

476. — *B.* Probatur altera pars propositionis, scil.

Actorum Martyrum auctoritatem variam pro variis adjunctis

[1] 2. 2. q. 124, a. 5.

[2] Adeas, si libuerit, Klüpfel, *Theol. Dogm.*, L. I, § 29.

[3] *De Loc. theol.*, Part. II, sect. II, c. II, § III. Idem auctor plura de Trinitate et Incarnatione confirmat ex actibus SS. Symphorosæ, Felicitatis, etc.

[4] Divinitas D. N. J. C. manifesta in Scripturis et Traditione, L. II, c. IV.

[5] *Socinianismus profligatus*, T. II.

[6] Celebre est illud effatum: " Je crois volontiers les histoires dont les témoins se font égorger. „ Pascal, *Pensées*, P. II, art. XVII, 56.

[7] Cf. 2. 2. q. 124, a. 3.

esse, quæ considerari possunt tum *ex parte testimoniorum*, tum *ex parte documentorum* quibus illa continentur.

Ex parte testimoniorum *primo*, tria supra enuntiata considerari possunt, nempe veritatis cognitio, amor et expressio, quæ ad testimonium intrinsece pertinent; *secundo*, numerus testimoniorum eorumque cum cæteris documentis cohærentia, quæ extrinsece ad testimonia spectant.

In Martyribus autem diversitas supponi nequit quoad veritatis amorem, cum omnes idem vitæ bonum pro eadem amittant: unde ex aliis titulis sumenda est diversitas.

Probatione autem non indiget alicujus Martyris Acta eo majoris fore auctoritatis, quo perspicacior apparebit sapientia et doctrina; quo clarior assertorum expressio; quo major fuerit asserentium numerus; quo demum strictior cum cæteris doctrinæ christianæ capitibus cohærentia undequaque habebitur.

Quoad documentorum vero auctoritatem quibus continentur testimonia Martyrum, liquet iterum ex prooemio hujus appendicis illam diversam fore, juxta varias documentorum adnotatas species, ita ut priorum major quam posteriorum dicenda sit.

Quæ tamen omnia non *absolute*, sed *relative* intelligenda sunt ac pensanda, diversis illis dotibus sese mutuo complentibus vel supplentibus.

Quapropter in examen revocandæ sunt omnes illæ circumstantiæ, dum argumentum aliquod ex hujusmodi quovis documento educendum fuerit, ne certiora aliis postponantur.

Ex dictis sufficienter liquet quomodo Acta Martyrum nobis referre possunt quid anteactis temporibus fide creditum fuit in Ecclesia Christi, tamquam saluti necessarium.

Hoc vero unum addimus, scilicet in legendis Actibus illis sedulo advertendum esse quædam sub verborum involutorum velo tradi, ne secretiora Evangelii mysteria, præsertim Eucharistiæ, gratiæ, etc. profanis palam manifestarentur: unde attentus animo inquirere debet lector utrum quibusdam metaphoris non recondantur altiores forsan veritates.

APPENDIX I.

DE CONCLUSIONUM THEOLOGICARUM CERTITUDINE

477. — Ad fidem *ex se* pertinent quæ in verbo Dei revelato continentur, indeque dici possunt esse de fide in *actu primo;* si autem ut credenda proponantur ab Ecclesia, tunc evadunt de fide *in actu secundo*, atque dicenda erunt vel *de fide catholica*, vel *de fide definita*, ut alias diximus.

At vero, præter hujusmodi dogmata, dantur in theologia veritates aliæ quæ ex illis eruuntur, et quidem dupliciter: vel scil. ex duabus præmissis fide certis; vel ex duabus præmissis, quarum altera fide, altera ratione constat.

Porro, conclusio quæ certo ex duabus propositionibus fide certis eruuntur, ad fidem quasi pertinet, scil. *mediate*, non quidem per se ad fidem definitam, sed ad fidem vel explicite, vel implicite catholicam.

Ratio est quia impossibile est falsam esse propositionem quæ ex præmissis fide certis legitime eruitur, atque inter revelatas veritates non esse computandam et quidem sufficienti certitudine.

Conclusio autem quæ ex duabus præmissis fluit, quarum una fide, altera ratione constat, non est ad fidem pertinere simpliciter dicenda, sed eidem tamquam corollarium quoddam accedere. Ratio ea est, quia scil. *pejorem sequitur conclusio partem:* unde cum altera ex præmissis revelata non fuerit, nec revelata censenda per se est educta conclusio.

478. — Propositio de fide in se certissima est, non modo ex parte *termini a quo*, seu ab errore vitando, quod commune est cuivis certitudini (ex qua excluditur errandi periculum), sed etiam ex parte *termini ad quem*, seu adhæsionis ad verum propositum, quæ majori minorive rationum pondere moveri potest. Ratio est quia fundatur in ipsamet Dei assertione.

Patet autem hujusmodi certitudinem majorem fore certitudine conclusionum ex illa propositione eductarum, quia *propter quod unumquodque tale, et illud magis.*

Certitudo conclusionis ex duabus præmissis fide certis

eductæ minor est *per se*, quam certitudo propositionis fide certæ. Etsi enim Deus conclusionem illam in præmissis inclusisse censeatur, attamen Deus ipse hanc in illis inclusam fuisse nullatenus asseruit, sed hominis ingenium invenit et collegit, cui non competit Dei infinita scientia atque veracitas. Unde impar est adhærendi ratio.

Certitudo demum propositionis quæ ex duabus præmissis educitur, quarum altera fide, altera ratione certa est, minor prioribus erit, quia ex parte tantum revelata fuit, seu ratione unius ex præmissis; indeque minor habetur adhærendi ratio. Illa vero certitudo præcellet certitudini propositionis ex duabus præmissis ratione tantum certis eductæ, siquidem in ista minor adhærendi ratio ex utraque parte habebitur.

479. — Hic exscribere placet ea quæ doctissime adnotat Bañez de re nostra.

" Dupliciter, inquit, potest theologus uti revelatione ad inferendam syllogistice conclusionem aliquam: uno modo in actu exercito; alio modo in actu signato. Exemplum prius: Omnis homo est risibilis; Christus est homo; ergo Christus est risibilis. Hic syllogismus procedit ex quodam syllogismo revelato; sed non significatur in ipso principio quod sit revelatum, quamvis revera ita sit, quod veritas illius, prout est in nobis, pendet ex revelatione. Exemplum secundi est in syllogismo supra posito: Omne revelatum in sacris Litteris est verum; Filium Dei esse hominem est revelatum in sacris Litteris: ergo est verum.

" Sit ergo prima conclusio: Syllogismus procedens ex revelatione in actu signato solum, non est demonstratio theologica. Et ratio est quia talis syllogismus neque procedit ex causa aut ratione propria conclusionis; neque ab effectu conclusionis, ut possit esse demonstratio saltem a posteriori.

" Secunda conclusio: Syllogismus procedens ex principio vel principiis revelatis in actu exercito est demonstratio theologica sive a priori, sive a posteriori, ut patet in exemplo posito: Omnis homo est risibilis: Christus est homo: ergo Christus est risibilis. Et ratio hujus est quia ratio formalis assentiendi, quæ se tenet ex parte assentientis, et dicitur esse ratio *sub qua*, non accipitur ut medium demonstrationis: quin potius medium demonstrationis solet esse definitio et quidditas rei, quæ substat

sub illa ratione formali habitus cognoscitivi. Unde non propterea desinit conclusio procedere ex propriis causis et effectibus [1]. „

APPENDIX II.

DE FALSARUM PROPOSITIONUM NOTIS

480. — Sicut variæ habentur propositiones quoad veritatem theologicam asserendam, ita et variæ habentur quoad eamdem negandam vel impugnandam. De istis breviter dicendum est pro re nostra, ad auctores probatiores lectore remisso, si fuerit opus [2].

Propositio aliqua notari potest vel propter doctrinam in ea contentam; vel propter modum quo exprimitur.

I. Doctrina autem notari potest vel quia est *certo* vel quia est *dubie* veritati opposita.

1° Aliqua autem propositio certo veritati opponi potest dupliciter: vel *directe* scilicet, vel *indirecte.*

A. Directe autem potest opponi tripliciter, nempe:

Vel quia opponitur veritati revelatæ simul definitæ, et est *propositio hæretica* quæ manifeste, immediate et directe contradicit veritati a Deo revelatæ et ab Ecclesia propositæ;

Vel quia opponitur veritati revelatæ quidem, sed proximæ tantum ut definiatur, et est propositio *hæresi proxima;* quæ fidei nondum definitæ opponitur.

Vel quia opponitur veritati quidem revelatæ, sed non proximæ ut definiatur, vel non consideratæ tamquam definitioni proximæ aut obnoxiæ. Quod duplici modo fieri potest: vel enim veritas cui opponitur propositio notanda *explicite* in revelatione continetur, et tunc propositio ista erit *verbo Dei contraria;* vel veritas illa *implicite* tantum in revelatione continetur, et tunc propositio contraria erit *erronea*, quæ (prout hodie accipitur) opponitur veritati non expressis quidem terminis revelatæ, sed legitima consequentia eductæ ex duabus propositionibus, quarum una revelatione, altera ratione constat.

B. Indirecte autem opponitur aliqua propositio veritati, quia

[1] In 2. 2., q. 1, a. 5. Vide totum commentarium.

[2] Cf. Canus, *Loc. theol.*, L. XII, c. VIII et seq.; Dom. Viva, *Damnatæ theses ad theol. trutinam revocatæ;* Jac. Lafontaine, *Constitutio* Unigenitus *theologice propugnata.* Lege Bullam *Auctorem fidei* Pii Pp. VI.

nempe connexionem habet cum aliqua propositione damnata vel censuris inusta; et tunc notatur ut *falsa*.

481. — 2° Aliqua autem propositio veritati contradicere dubie potest duplici iterum modo, prout nempe dubium sumitur ex parte propositionis notandæ, quæ scil. non certo erroris insimulari poterit; vel ex parte propositionis cui opponitur propositio notanda, quia nempe illa non omnimoda certitudine gaudet.

A. Si sumatur dubium ex parte propositionis notandæ, tunc ista erit:

Vel *hæresim sapiens* aut *hæreseos suspecta* etc., quæ licet aliquo sensu tolerari possit, attamen ex loci, temporis, rerum etc. adjunctis, gravem incurrit hæresis suspicionem;

Vel *errorem sapiens*, *erroris suspecta*, quæ ex circumstantiis habet adjunctam erroris suspicionem gravem, ut cum quis asserit vel negat propositionem aliquam, ex qua asserta vel negata videretur asseri propositio erronea;

Vel *captiosa* aut *simplicium seductiva*, quæ sub veritatis vel boni specie aut in hæresim aut in errorem ducat aut ducere possit.

B. Si autem dubium habeatur ex parte propositionis cui opponitur propositio notanda, tunc:

Vel habetur *dubium positivum*, et propositio notanda erit tamquam *male sonans*, quæ, licet verum sensum habere possit, attamen sensum falsum habere iterum potest;

Vel adest *dubium negativum*, et tunc propositio notanda erit tamquam *temeraria*, utpote quæ aut sine sufficienti ratione aut contra communem theologorum sententiam, proferatur, cui absque præsumptione opponi nequit privata auctoritas, nisi detur ratio intrinseca eademque gravis.

482. — II. Notari iterum potest aliqua propositio propter modum quo exprimitur. Patet quidem in propositione illa errorem plerumque includi; sed tamen nota propter modum imprimis infligitur, secundario propter ipsum errorem.

Peccare autem potest aliqua propositio quoad modum dupliciter, scil. per *excessum* et per *defectum*.

1° Peccat per excessum propositio *superstitiosa*, quæ superstitioni favet, eamve inducit.

2° Peccat autem per defectum, quia jura lædit vel *Dei et Sanctorum*, vel *proximi*.

A. Si jura Dei vel Sanctorum lædat, erit:

Vel *blasphema* aut *injuriosa*, quæ convicium contra illos præfert;

Vel *impia*, quæ minuit pietatem erga illos;

Vel *piarum aurium offensiva*, quæ aliquid indecorum, turpibus verbis aliquid de iisdem asserit aut tractat, etsi nonnihil veritatis forsan contineat;

Vel *pagana*, *judaica*, etc., si cum gentilium aut Judæorum assertis aliquatenus consonet.

483. — *B.* Si autem lædantur jura proximi, propositio notanda erit tamquam

Vel *scandalosa*, quæ homines aut a bono avertit aut ad malum inducit;

Vel *perniciosa*, quæ damnum aliquod spirituale fidelibus affert, sive quoad veri cognitionem, sive quoad boni amorem, unde aut *lucrum cessaret*, aut *damnum emergeret*.

Tria hic advertere præstat:

Primo, aliæ notæ, si quæ fuerint, ad prædictas reducendæ videntur;

Secundo, notæ aliquando melius desumuntur ex parte auctoritatis cui opponitur propositio notata; unde habentur propositiones *decretis Conciliorum aut Pontificum*, *praxi Ecclesiæ contrariæ*, etc., ut videre est v. gr. in Bulla *Auctorem fidei:* videtur autem notarum modum qualem adhibuimus propius ad medullas rerum attingere; cum iste modus cæterum ab illo essentialiter diversus non sit;

Tertio, una eademque propositio variis notis inuri potest, v. gr. *blasphemiæ*, *hæresis*, etc., cum una alteram non excludat, diversisque respectibus aliqua propositio considerari possit.

Jam de Locis Theologiæ propriis satis superque dictum videtur.



PARS ALTERA

DE LOCIS THEOLOGIÆ IMPROPRIIS

---

484. — Cum de Locis propriis theologiæ dictum fuerit, nunc de impropriis tractandum occurrit, atque de eorumdem auctoritate agendum [1].

Hæc altera pars tractatus nostri non minoris videtur gravitatis quam pars prior. Etsi enim illa isti ratione originis et objecti cedat, paris tamen necessitatis videtur, siquidem omnia credenda, licet *in se* certissima, nobis tamen certa non fiunt nisi mediis aliquatenus humanis, quales sunt Loci theologiæ improprii.

De usu rationis in re theologica illud referri merito posset:

Iliacos intra muros peccatur et extra.

Quia nempe alii per defectum, alii per excessum peccantes, de illis tractant [2]. Utinam in his detur consistere finibus,

Quos ultra citraque nequit consistere verum!

Loci autem illi vel continent rationes veritati *intrinsecas* seu *evidentiam;* vel rationes *extrinsecas* seu *auctoritatem*. De utraque, evidentia scil. et auctoritate, pro re nostra agendum est.

[1] Ita Canus: " ..... Hæc quasi naturalis atque insita in animis fidelium notio inest, ut quicquid ab Apostolis scriptum traditumque est, verum esse sentiant. Ac Theologiæ legitima germanaque principia hæc sunt. Nam quæ vel a metaphysicis, vel a physicis, vel a mathematicis, vel a reliquis demum naturæ disciplinis asciscit, perspicua per se evidentiaque principia, non ex sua sumit vi atque natura, sed foris inventa in proprium usum mutuatur, aut certe jure quodam suo vindicat. „ Lib. XII, cap. III.

[2] Cf. Canus, *Loc. theol.*, Lib. IX, capp. I-III.

Si autem, dante Deo, non ex iis fuerimus qui

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt,

nobis quoque proderit illa S. Augustini sententia:

" Eruditio artium liberalium modesta, sana atque succincta, et alacriores, et perseverantiores, et comptiores exhibet amatores amplectendæ veritatis, ut et ardentius appetant, et constantius insequantur, et inhæreant dulcius [1]. „ Ergo " Non ero segnis ad inquirendam scientiam Dei, sive per Scripturam, sive per creaturam [2]. „

Qua in re duces nobis sunt omnes fere scriptores sacri et ecclesiastici, imprimis in veteri Lege, Moyses, qui " eruditus est omni sapientia Ægyptiorum [3]; „ in nova autem Paulus, qui Epimenidis [4], Menandri [5], Arati [6] verba in re fidei usurpavit; Concilium Turonense II, quod decisionem suam Senecæ sententia confirmat [7]; Patres omnes qui philosophiam commendant [8]; Ecclesia demum tota quæ studia scientiarum et laudavit et promovit, prout ipsius historia constat.

LIBER PRIMUS

De locis theologiæ impropriis, unde per evidentiam promuntur argumenta.

---

485. — Nullatenus ex iisdem locis omnimodam evidentiam depromi in omnibus asserimus, sed tantum rationes intrinsecas quæ vel evidentiam, vel probabilitatem intrinsecas parient.

De iisdem locis primo *in genere*, secundo *in specie* agendum censemus.

1 *Contra Acad.*, L. III, c. XVIII.
2 *De Trinit.*, L. II.
3 Act. VII, 22.
4 Ad Tit. I, 12.
5 I. Cor. XV, 33.
6 Act. XVII, 28.
7 Can. 15
8 Cf. Petav., *Theol. Disc.*, c. IV.

CAPUT I.

De iisdem locis in genere.

486. — Quæ hic tractanda a nobis sunt, in tota omnino theologia supponuntur, maximæque proinde gravitatis sunt habenda.

Ut autem ordine aliquo procedatur, duo prænotanda sunt.

Primum est duo in rebus credendis omnino distinguenda esse, scilicet *naturam veritatis credendæ*, et *credibilitatem veritatis* ejusdem.

Alterum est veritatem aliquam probari posse vel *directe*, dum *in se* ipsa asseritur, vel *indirecte*, dum refelluntur errores contrarii [1].

Unde inquirendum nobis est quomodo habeatur demonstratio alicujus veritatis *directa*, quomodo *indirecta;* sive de evidentia immediata, sive de mediata agatur [2].

ARTICULUS I.

QUOMODO HABEATUR DEMONSTRATIO DIRECTA IN REBUS THEOLOGICIS

487. — Advertendum est demonstrationem, seu evidentiam vel *perfectam* esse, vel *imperfectam* seu probabilem, prout ex rationibus certis vel ex analogiis aut probabilitatibus oritur.

Sit ergo:

PROPOSITIO I. *Quoad credibilitatem credendorum semper habetur demonstratio perfecta, cui accedere possunt probabilitates; quoad eorumdem vero naturam, semper habetur probabilitas, quandoque demonstratio perfecta.*

1. Probatur prima pars [3].

A. Credibilitatem credendorum evidentem necessario fore multipliciter probatur:

[1] Hic legas oportet S. Th. *Cont. Gent.*, L. I, c. IX, ubi divisionem nostram peregregie evolvit.

[2] De variis utilitatibus philosophiæ, seu scientiæ in genere habes apud Gondin, *Philos. Thomist.*, Vol. I, Diss. I; *Prælim. De Commend. Philosophiæ*, § III.

[3] De his omnibus, cf. doctissima Commentaria Bannezii, in 2. 2., q. 1, a. 5.

a) Ex Scripturis. Hæc enim habet S. Petrus: „Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem (πρὸς ἀπολογίαν) omni poscenti vos rationem (λόγον) de ea quæ in vobis est spe [1], „ ac proinde de fide spei fundamento. — Paulus autem vult episcopum esse potentem „ exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere [2] „ (ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν). Volunt ergo Apostoli totam doctrinam defendi posse contra omnem contradicentem: quod fieri nequit nisi aliquo modo evidenter certa sit ejusdem credibilitas.

Confirmatur. Ex tota Scriptura patet omnia fidei dogmata hujusmodi credibilitatis motivis circumdata fuisse, quibus omnino et prudenter credibilia fierent [3], prout fusius prosequitur Canus [4], qui hisce egregiis verbis argumentationem suam concludit de vi rationis in re theologica: „ Non credo; adducor: credo; confirmor: repugno; confundor [5]. „

b) Hinc Concilium Vaticanum contra Pietistas hunc invexit canonem: „ Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere: A. S. [6]. „ Quod fusius idem explanat Concilium, ubi asserit *fidei assensum nequaquam esse motum animi cæcum;* unde „ ut fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scil. divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima [7], etc. „

c) Hinc ab Ecclesia contra Traditionalistas sancitum est: „ Rationis usus fidem præcedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit [8]. „ Quod firmius statuit Pius Pp. IX,

[1] I. Petr. III, 15.

[2] Ad Tit. I, 9. In Epist. ad Hebr. *fides* vocatur *argumentum non apparentium;* græce habetur ἔλεγχος, i. e. *convictio, persuasio*. De quo cf. Aug., *De Trin.* L. XIII, c. I.

[3] Matth. IX, 6; Marc. II, 10; Luc. V, 23; Joan. X, 25, 37, 38; XIV, 10; XV, 24.

[4] *Loc. theol.*, L. IX, c. VI.

[5] Ibid., quæ verba commentati sunt recentiores, v. gr. Perrone, Knoll et alii, ubi de usu rationis *ante fidem, cum fide, et post fidem* tractant.

[6] Const. *Dei Filius*, inter *Canones*, III, 3.

[7] Ibid., cap. 3.

[8] Prop. subscr. a D. Bautain, 8 sept. 1840; et a D. Bonetty, 11 jun. 1855. Cf. 2. 2., q. 8, a. 8 ad 2.

asserens quod " recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat [1]. „

Quod de credibilitate intelligendum est, prout explicatius tradit Leo Pp. XIII: " Simili modo ratio declarat evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tamquam certis certæ veritatis argumentis, vel ab ipsa origine emicuisse: atque ideo omnes qui Evangelio fidem adjungunt, non temere adjungere, tamquam doctas fabulas secutos [2]; sed rationabili prorsus obsequio intelligentiam et judicium suum divinæ subjicere auctoritati [3]. „ Ubi notata volo illa doctissimi Pontificis verba, scil. signa revelationis esse *certa certæ veritatis argumenta,* quibus tota doctrinæ christianæ œconomia continetur, cum scil. veritas *in se* et *non quoad nos certa* (est enim veritas fidei), nobis certa innotescit signis certis et *in se* et *quoad nos.*

488. — *d*) Patres itaque omnes ac doctores fidem ratione defenderunt ubique et probaverunt contra oppugnantes.

Quorum agendi rationem laudat Augustinus, dum asserit *sermonem scientiæ* [4] esse " quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est; aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus [5]. „

Ideo S. Thomas omnium sententiam paucis hisce verbis collegit: " Ea quæ subsunt fidei dupliciter considerari possunt: uno modo in speciali, et sic non possunt simul esse visa et credita: alio modo in generali, scil. sub communi ratione credibilis, et sic sunt visa ab eo qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum,

[1] Epist. Encycl. ad Patriarchas, Primates, etc., die 9 nov. 1846.

[2] II. Petr. I, 16.

[3] Const. *Æterni Patris.* Hæc ibidem habet Pontifex: " Philosophia..... iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter præparare: quamobrem a veteribus modo *prævia ad Christianam fidem institutio* (Clem. Alex. *Strom.* L. I, c. XVI; L. VII, c. III), modo *Christianismi præludium et auxilium* (Orig. ad Gregor. Thaum.); modo *ad Evangelium pædagogus* (Clem. Alex., *Strom.*, L. I, c. V) non immerito appellata est. „

[4] I. Cor. XII, 8.

[5] *De Trin.*, L. XIV, c. I, n. 3.

vel propter aliquid hujusmodi [1]. „ Ubi acute notat Suarez: " Notanda est distinctio et variatio illorum verborum *credere* et *videre:* nam prius dicit obscuritatem, unde posterius, ut condistinctum ab illo dicit claritatem et evidentiam; neque illa duo repugnant, quia versantur circa diversa: nam *creditur* aliquid sub ratione *veri; videtur* autem sub ratione *credibilis* [2]. „

489. — *e*) Quod autem auctoritatibus asseritur, idem ratione, et quidem triplici, comprobatur, scil. revelatio divina, sive *in se*, sive *ex parte Dei*, sive *ex parte hominis* consideretur, evidenti credibilitate fulgere debet: ergo.

Probatur antecedens per partes.

Si enim primo in se consideretur, revelatio divina est aliquod factum ex parte Dei prorsus liberum, atque proinde historicum: de ratione autem facti historici est quod *in se* non videatur ab illo qui audit, sed credibilitatis suæ motivis probetur. Ergo idem de revelationis facto dicendum est.

Confirmatur. Theologia est scientia non modo quia ex revelatis educuntur conclusiones, sed etiam quia ejusdem inquiruntur causæ, cum scientia sit cognitio per causas. Porro revelationis qua credendæ causa est ipsamet credibilitas: ergo.

Rursus, si ex parte Dei consideretur revelatio divina, idem necessario colligimus. Deus namque supernaturalia tribuens, naturalia nullatenus lædit; sed potius auget ac nobilitat, juxta illud verissimum simul ac inter catholicos acceptissimum axioma, nempe: *Gratia non destruit, sed perficit naturam.* At vero illud naturæ humanæ insitum est, ut nihil tamquam certum admittat, nisi quod certo cognoverit. Deus igitur revelationem suam certitudine aliqua munire debuit: quæ cum non sit necessario intrinseca, ut mox dicemus, necessario extrinseca esse debet.

Confirmatur. Revelatio tamquam lex divina quædam habenda est: ergo Deus eam certo promulgare debuit ac notam facere, siquidem non obligat lex dubie promulgata. Promulgatio autem fit per credibilitatis motiva.

Idem demum habetur si revelatio ex parte hominis considere-

[1] 2. 2., q. 1, a. 4, ad 2m. Vide Comment. Cajet. in h. l. Cf. *Cont. Gent.*, L. I, c. VI, et *Diss.* Joannis M. B. De Rubeis in *Summa Cont. Gent.*, c. IV.

[2] *De fide*, Disp. IV, sect. II. Plura ibidem videas. Ita sentiunt Thomistæ omnes, inter quos Cajetanus, Bañez, Gonet, Billuart, Sylvius, nisi excipias ex parte Capreolum. Vide illos ubi de Fide. Cf. Natal. Alex., *Theol. Dogm.*, T. I, q. I, a. VI.

tur. Assensus quippe hominis ad veritatem revelatam est actus humanus seu procedens ex voluntate deliberata. Porro nisi dentur argumentorum momenta certa quibus certo inniti possit intellectus et voluntas, assensus ille (qui *in se* certus esse debet) non esset nec dicendus foret humanus. Ratio hæc solemnissima est, nempe nullum ex voluntate procedere actum, neque naturalem, neque supernaturalem, nisi detur in intellectu proportionata lucis copia, prout inter omnes egregie statuerunt Thomistæ contra Quietistas [1].

Hinc in re nostra sequentem propositionem damnavit Innocentius XI: " Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus [2]. „

Confirmatur 1° Imprudens ac culpabilis per se est assensus subjective certus motivis objective incertis præstitus. Sapientis namque est in dubiis dubitare, ac incertis vel dissentire, vel assensum negare. Porro actus fidei est prudens ac meritorius, unde non potest non esse omnino certus.

Confirmatur 2° Credulitas per excessum contra fidem peccat, sicut et incredulitas per defectum. Neque aliter arguebat Christus quoad Judæos. " Si opera non fecissem in eis, inquit, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt et oderunt me et Patrem meum [3]. „ Ex quibus tria colligere licet, nempe *primo*, illos non peccare qui non videntes non credunt; *secundo*, illos peccare qui videntes non credunt; *tertio*, proinde illos recte agere qui videntes credunt. Quod ultimum ita asserit Cajetanus: " Omnes virtuose credentes, si vocem propriam intelligunt, fatentur se videre credibilitatem, saltem ex parte credentis. Qui autem credit ex levitate, non virtuose credit... Vident autem Christiani credentes credibilia esse ea quæ sunt fidei, audientes a fide dignis [4], etc. „

[1] Neque nobis objiciatur damnatam fuisse hanc sequentem propositionem, scil.: " Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium „ (Prop. 19ª damn. ab Inn. XI, die 2 martii 1679). Hic namque agitur de rationibus quibus non credibilitas dogmatis, sed ipsius natura innotescere debet. Auctor namque propositionis damnatæ sic ex ista concludebat: " Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat, supernaturalem. „ Ibid., *Prop. 20.*

[2] Prop. 21ª, damn. ab Inn. XI, die 2 martii 1679.

[3] Joan. xv, 24.

[4] In 2. 2., q. 1, a. 4. Vide totum locum.

490. — *B.* Diximus autem rationibus illis, quibus evidens fit credibilitas revelationis, analogias accedere posse, quod facile colliget quisque ex dictis, siquidem a majoribus ad minora in eodem genere non immerito concluditur.

Res cæterum probata inferius remanebit, cum analogias ubique dari etiam quoad evidentiam rerum theologicarum probabitur in altera propositionis nostræ parte.

2. Probatur secunda pars propositionis, scilicet in rebus fidei, et quoad rerum ipsam naturam dari quandoque veram demonstrationem, quandoque solam ex analogiis probabilitatem.

Duplex scilicet datur veritatum series in dogmate christiano, quam ita asserit Vaticana Synodus: " Hoc perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia præter ea ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ nisi revelata divinitus, innotescere non possunt [1]. "

Utriusque ordinis veritates in theologia dari probatum supponitur [2], atque inquirimus quidnam circa utrasque valeat ratio.

491. — *A.* Circa prioris seu naturalis ordinis veritates dari potest demonstratio certa, et evidentia. Probatur:

a) Ex Scripturis. Etenim, præter Dei existentiam, demonstrari possunt ejusdem attributa, judice S. Paulo: " Invisibilia enim (Dei), a creatura (ἀπὸ κτίσεως, i. e. a creatione) mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas [3]. " Innumeræ autem aliæ veritates ex iis quæ ad fidem pertinent ratione demonstrari posse, ita ex Scripturis exponit Goudin: " D. Paulus probat existentiam Dei ex effectibus naturalibus, ex pluviis, ex ordine temporum fructiferorum, et ex aliis beneficiis naturalibus (Act. XIV et Act. XVII). Ejus præsentiam in omnibus ostendit ex ipsius operatione, eo quod in ipso vivimus, movemur et sumus; et independentiam, eo quod omnia det omnibus. Idem patet in libro Job omni humanæ sapientiæ doctrina referto: imprimis enim, ut notat

[1] Const. *Dei Filius*, c. IV.
[2] *Cont. Gent.*, L. I, c. III.
[3] Ad Rom., c. I, 20.

Hieronymus ad Paulinum, " In eo Job omnes leges Dialecticæ, " propositione, assumptione, conclusione determinat; " deinde physicam pene universam in medium adducit;..... metaphysicalia quoque non raro discutit, agendo de angelis, de scientiis, de divinis attributis;..... Psalmorum liber philosophica eruditione abundat..... Idem quoque ostendi posset in aliis Scripturæ libris, præsertim in libris Moysi, non mysteriis tantum, sed etiam naturali eruditione refertissimis [1]. " Quod autem non de qualicumque cognitione, sed certa agatur, id patet eo quod ex illa cognitione inducatur obligatio moralis et quidem gravis, testante ipsamet passim Scriptura.

b) Idem asserunt Pontifices: " Ex divinis Litteris, ait Pius papa IX, et SS. Patrum traditione constat Dei quidem existentiam multasque alias veritates ab iis etiam qui fidem nondum susceperunt, naturali rationis lumine cognosci [2]. "

Quæ iterum asseruit Concilium Vaticanum: " Ecclesia, inquit, tenet et docet Deum, rerum omnium principium et finem naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse [3]. "

c) Hinc passim doctores Patres atque theologi omnes innumeras de Deo rebusque divinis veritates data opera et quidem certo demonstraverunt, vel demonstrari posse asseruerunt ex philosophia [4].

d) Veritates illæ de quibus agimus eæ sunt quæ religionem naturalem constituunt, v. gr. animæ existentia, spiritualitas, immortalitas, libertas, etc.; Dei existentia, unitas, providentia, etc.; naturalis quoque hominis ad Deum dependentia atque ordinatio.

Atqui illæ veritates etiam in philosophia certo demonstrantur, atque moralem naturalem inducunt: ergo.

Quod imprimis dicendum est de Dei existentia et attributis.

[1] *Philos. Thom., Diss. Prælim. Commend. Philos.*, § III.

[2] *Epist. ad Archiep. Frising.*, 11 Dec. 1862.

[3] Const. *Dei Filius*, c. II. Cf. can. I, 1.

[4] Vide *Dissert. de usu Philosophiæ in Theologia*, apud Cl. Kleutgen, *Die Theologie der Vorzeit....;* cf. Thomassin, *Theol. Dogm.*, T. I, L. I, c. XXI, et seqq.; Petav., *De Deo*, L. I, c. I, et seq. Hic faciunt ista S. Augustini verba: " Credimus Jesum Christum natum de Virgine, quæ Maria vocabatur: quid sit autem virgo, quid sit nasci, et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus. " *De Trin.*, L. VIII, c. VIII.

Ut enim ait S. Thomas, " Deum esse et alia hujusmodi quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur *Rom.* I, non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos [1]. „

Veritates quippe istiusmodi non possunt demonstrari revelatione aut scripta aut tradita, siquidem revelatio Deum supponit existere; neque traditione humana, cum hujusmodi traditio vel auctoritas vim per se nullam habeat, nisi ratio recte percipiendi capax prius agnoscatur ipsam propositam veritatem: ergo ratio ipsa certo demonstrat.

492. — *B.* Quoad alteram asserti posterioris partem, duo probanda sunt, scil. non dari veram demonstrationem quoad fidei mysteria, sed tantummodo analogias [2].

A. Imprimis probatur non dari demonstrationem.

a) Ex Scripturis ita ostendit Vaticana Synodus: " Apostolus qui a gentibus Deum per ea quæ facta sunt cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quæ per Jesum Christum facta est [3], pronuntiat: " Loquimur Dei sa-
" pientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit
" Deus ante sæcula, in gloriam nostram, quam nemo principum
" hujus sæculi cognovit; nobis autem revelavit Deus per Spiri-
" tum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda
" Dei [4]. „ Et ipse Unigenitus confitetur Patri quia abscondit hæc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis [5]. „

b) Ita perpetuo Ecclesia, prout sufficienter cuique patet ex adductis Concilii Vaticani verbis, nisi libeat in memoriam istud revocare, scilicet damnatas fuisse has Raymundi Lulli propositiones: " Omnes articuli fidei... possunt probari et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes; „ et: " Fides est necessaria hominibus rusticis, insciis, ministralibus et non habentibus intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem et diligunt cognoscere per fidem: sed homo subtilis facilius trahitur ad veritatem christianam per rationem quam per fidem [6]. „

[1] 1ª, q. 2, ad 1.

[2] Mysteria, seu veritates rationi impervias dari hic supponimus probatum. Cf. *Cont. Gent.*, L. I, c. V.

[3] Joan. I, 17.

[4] I. Cor. II, 7-9.

[5] Matth. XI, 25. Ita *Concil. Vat.*, Const. *Dei Filius*, c. IV; cf. *Epist. Pii Pp. IX ad Archiep. Frising.*, 11 dec. 1862; et *Epist. ejusdem ad eumdem*, 21 dec. 1863.

[6] Propp. 96 et 97 damn. a Gregorio XI, an. 1376. Cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.*,

c) Ita doctores omnes qui mysteria in religione dari professi sunt. Hæc autem, ajunt, " non sunt tentanda probare, nisi per auctoritatem, his qui auctoritatem suscipiunt: apud alios vero sufficit defendere non esse impossibile quod prædicat fides [1]. „ Hinc iidem doctores perpetuo illos damnarunt qui mysteriorum naturam explanare audacius tentaverant. Ita Tertullianus: " Quid ergo Athenis et Jerosolymis? Quid Academiæ et Ecclesiæ? Quid hæreticis et christianis? Nostra institutio de Porticu Salomonis, qui et ipse tradiderat Dominum in simplicitate quærendum. Viderint qui *stoicum* et *platonicum* et *dialecticum christianismum* protulerunt [2]. „ Et Ambrosius: " Elaborandum est... ne quis assertionem nostram per philosophiam deprædetur. Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognovimus, dum Christi generationem putant usu hujus sæculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, secuti sunt Aristotelem. Reliquerunt sapientiam quæ apud Deum est, elegerunt disputationis tendiculas et aucupia verborum, secundum dialecticæ disciplinam [3]. „

493. — d) Addantur et rationes, quibus comprobatur Deum non immerito mysteria rationi impervia proposuisse homini.

Quarum prima hæc est: Homo in hac vita constitutus zelo et desiderio ad Deum tendere debet, non quovis modo, sed, jubente Deo, tamquam ad finem supernaturalem, cujus humana fragilitas experientiam et notitiam propriis viribus habere nequit. Ergo ut homo ita ad Deum tendat, non potest nisi ejusdem notitiam aliquam supernaturalem habere, deeritque intrinseca evidentia.

Altera hæc est: Hoc ad vitandos errores optime facit, si reprimatur humana præsumptio, quæ errorum mater est: atqui mysteriorum rationi imperviorum revelatio hominum præsumptionem egregie reprimit. Ergo congrue facta est revelatio illa rationi intrinsece impervia.

Tertia sit: Melius est pauca de superioribus cognoscere, quam

Sæc. XIII, c. III, art. XX; D'Argentré, *Collectio Judiciorum, etc.* Alia documenta de asserto nostro require apud Denzinger, *Enchiridion.*

[1] 1ª, q. 32, a. 1.

[2] *Cont. Hermog.* Cf. *De Præscript.*, cap. II.

[3] *In Psal.* CXVIII, Serm. XXII, n. 10. Cf. Greg. Naz., *Orat.* XXXIV, n. 72; Hilar., *De Trinit.*, L. X, n. 53, etc.

plura de inferioribus: ergo congruit divinæ bonitati ut nobis nonnulla de divinis arcanis, etsi sublimioribus, revelarentur [1].

494. — B. Deinde ostenditur quoad illa ipsamet mysteria dari probabilitates ex analogiis ductas, ac proinde dari easdem *a fortiori* quoad omnes alias religionis doctrinas.

a) E sacris Scripturis in quibus creaturarum dotes et perfectiones Deo passim tribuuntur, demptis defectibus, quod non nisi per analogias fieri potest. Hoc autem in Scripturis asseritur non quoad illa solum attributa divina quæ ratio propriis viribus investigatur; sed etiam quoad ipsa mysteria: unde sæpius præfigurata sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, etc.

b) Quapropter Concilium Vaticanum: " Ratio quidem fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quæ naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo: nunquam tamen idonea redditur ad ea percipienda instar veritatum quæ proprium ipsius objectum constituunt [2]. "

c) Haud secus Patres: " Hæc credendo, inquit Hilarius, incipe, percurre, persiste: etsi non perventurum sciam, gratulabor tamen profecturum. Qui enim pie infinita prosequitur, etsi non contingat aliquando, semper tamen proficiet procedendo. Sed ne te inferas in illud secretum, et in arcanum interminabilis veritatis non te immergas, summam intelligentiæ comprehendere præsumens: sed intellige incomprehensibilia esse [3]. "

" Humana ratio, prosequitur Angelicus, ad cognoscendam fidei veritatem quæ solum videntibus divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet quod ad eam potest aliquis veras similitudines colligere: quæ tamen non sufficiunt ad hoc quod prædicta veritas quasi demonstrative, vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est ut in hujusmodi rationibus quantumcumque debilibus se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi præsumptio, quia de

[1] *Cont. Gent.*, L. I, c. V; *Summa theol.*, 1ª, q. 1, a. 1, et 2. 2., q. 2, aa. 3, 4; *Verit.*, q. 14, a. 11.

[2] Concil. Vatic., Const. *Dei Filius.* Alia lege documenta apud Denzinger, *Enchiridion.*

[3] *De Trinit.*, L. II, c. IV.

rebus altissimis etiam parva et debili consideratione aliquid posse inspicere jucundissimum est [1]. „

495. — *d*) Adduntur et rationes.

Imprimis facto constat analogias et quidem eximias a theologis, præsertim scholasticis, adduci quoad mysteria vel sublimiora religionis. Etenim " Nec silentio prætereunda aut minimi facienda est accuratior illa atque uberior rerum quæ creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt [2]. „

Præterea, etsi mysteria plenissime innotescere non possint, eorumdem tamen vestigia habentur tum in iis quæ ad Deum, tum in iis quæ ad Christum referuntur, siquidem omnis causa agit simile sibi. Hinc probant theologi inveniri in creaturis Trinitatis vestigium [3]; hinc dicitur Deus sæcula per Christum fecisse [4], etc. Ergo.

Demum idem colligi potest ex intellectuum variis gradibus. Mysteria omnia Deus perfectissime intelligit, quæ nullus intellectus creatus perspicere potest; de iisdem tamen plus minusve perspiciunt analogice intellectus creati, pro ipsorum varia perfectione, quia etiam isto modo Deus perfectiones suas communicat creaturis [5]. Ergo.

Ex quibus omnibus patet quam recte scripserit Canus: " Mirari non desino morem ejiciendi humanas rationes cum in theologia disseritur, in quibusdam etiam Catholicorum gymnasiis insertum esse, haud parva certe jactura ecclesiasticæ disciplinæ, si illa consuetudo invalescit. Erunt enim ii, si ita res procedit, optimi præstantissimique theologi, qui plurima loca memoria tenuerint, et, quod jurisperitis objicitur, qui elenchi fuerint librorum et indices [6]. „ Invaluisse consuetudinem illam res omnibus nota est, indeque prænuntiatas consequentias profluxisse. Cui malo occurrit Leo papa XIII, dum tanta sollicitudine ac doctrina Scholasticam commendavit.

[1] *Cont. Gent.*, L. I, c. VIII.

[2] Leo PP. XIII, Const. *Æterni Patris.*

[3] *Summa theol.*, 1ª, q. 45, a. 7 et loca parallela.

[4] Hebr. I, 2.

[5] " Dico duplicem veritatem divinorum, non ex parte ipsius Dei, quæ est una et simplex veritas; sed ex parte cognitionis nostræ, quæ ad divina cognoscenda diversimode se habet. „ *Cont. Gent.*, L. I, c. IX.

[6] *Loc. theol.*, L. IX, c. III.

DIFFICULTATES

496. — *Obj.* 1° Contra primam partem propositionis: Indoctus et rusticus nullam habere potest etiam credibilitatis evidentiam: Ergo.

Resp. neg. supp. Recte enim egregius Billuart, postquam quæsierit " utrum ut aliquis credat debeat necessario esse ipsi evidens mysteria fidei esse credibilia, „ et *affirmando* responderit, ita prosequitur: " Alioquin enim imprudenter crederet. Attamen non æqualis omnibus est necessaria evidentia: quandoque enim sufficit sola vox prædicantis cum lumine interiori suadente dictorum credibilitatem, ut patet in pueris et rudioribus credentibus dictis a Pastoribus, quos sciunt loqui nomine Ecclesiæ; in Indis credentibus Missionariis prædicantibus sine miraculis; in Apostolis sequentibus Christum, ad solam ejus vocationem, antequam ejus miracula vidissent. Neque tamen inde sequitur superflua esse motiva credibilitatis præter prædicationem Evangelii; tum quia Deus movet unumquemque secundum suam capacitatem et exigentiam; quidam autem sunt capaces discussionis motivorum credibilitatis, ut theologi; non alii, ut pueri et rudes; tum quia Deus regit et movet homines ad supernaturalia modo convenienti naturæ humanæ: modus autem conveniens naturæ humanæ perveniendi ad fidem est per motiva credibilitatis; quæ cum discusserint Pastores et docti, eaque rudioribus proponunt nomine Ecclesiæ, hi ex illorum suppositione et apprehensione in communi, ideoque propter illa, adjuti aliunde vel habitu fidei, vel illustratione actuali, ut diximus, credunt. Unde sicut prædicatio Evangelii non est superflua, licet Deus absque illa posset solo lumine interiori aliquem vocare ad fidem, ita nec alia credibilitatis motiva. Quod si contingat aliquos sine ullo credibilitatis motivo credere, id extraordinarium est et miraculosum [1]. „

497. — *Obj.* 2° Evidentia necessario movet intellectum: ergo actus fidei liber amplius non erit, supposita credibilitatis evidentia.

Resp. dist. Duplex est libertas: alia nempe exercitii et contradictionis. Porro actus scientiæ evidentis liber est quoad

[1] *Tract. de Fide,* Diss. I, art. v. Haud secus Thomistæ omnes.

exercitium, quia considerare vel non considerare res scitas subjacet libero arbitrio; non autem liber est quoad specificationem, quia posita consideratione actuali, intellectus dissentire non potest. Actus vero fidei utraque libertate liber est [1]. Ratio est quia " ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, et, quod plus est, interiori Dei instinctu invitantis. Unde non leviter credit, cum habeat sufficiens inductivum ad credendum, et ideo non tollitur ratio meriti [2]. " Igitur ille qui credit, non modo libertatem exercitii habet, ita ut res fidei vel considerare vel non considerare possit; sed etiam libertatem specificationis, et hoc quidem dupliciter, scilicet primo quoad objectum fidei, seu veritatem credendam, quæ per se inevidens est, saltem ubi actualiter fidei actus elicitur; secundo quoad motiva credibilitatis, quæ etsi omnimoda gaudeant certitudine, imo et evidentia mediata, non tamen donantur evidentia intuitiva et immediata, unde difficultates contra ipsa perpetuo moveri possunt. Quod ultimum quotidiana experientia confirmatur, cum videamus homines iisdem motivis credibilitatis aliquando credere, et quidem prudentissime; aliquando non credere, et quidem imprudenter. Haud secus in Evangelio narrantur aliqui ex Judæis Christo credentes propter miracula evidentia, aliqui non credidisse, contra eadem prorsus miracula [3]. Verbo dicam: motivis credendi removentur obstacula, ita ut quicumque illa intellexerit, credendi difficultatem non patiatur; et præterea rationes omnino sufficientes habeat ad credendum: attamen non dant *actu credere*, quod ex gratia Dei pendet; neque impediunt quominus homines debite non attendant ad motiva credibilitatis debite proposita, et hoc quidem sive ex incuria salutis, sive ex pravitate affectus, sive ex difficultate aliqua particulari cui solvendæ impares propriis viribus erunt.

498. — *Obj.* 3° Motiva credibilitatis evidentia esse non possunt, neque lumine fidei, neque lumine rationis. Non lumine fidei, quia præsupponuntur ad fidem, et quia fides ferri nequit extra proprium objectum quod est veritas prima, obscure visa. Non lumine rationis, tum quia ratio dum mysteria ut credibilia

[1] Ita S. Th., 2. 2., q. 2, art. 9 ad 2m. [2] 2. 2., q. 2, a. 9, ad 3m.
[3] Cf. Joan. II, 23; III, 2; X, 25; XI, 45-47; Luc. V, 24-26; Act. IV, 16, etc.

apprehenderet, eadem possibilia videret, quod repugnat; tum quia ex hujusmodi motivis credibilitatis elici nequit actus fidei supernaturalis.

Resp. ex dictis in objectione præcedenti et in probatione propositionis, scilicet credibilitatem motivorum per rationem innotescere sufficienter ut absque imprudentia et cum prudentia credi possit veritas proposita, unde quicumque repugnaverit, imprudens prorsus dicendus sit; non tamen ita ut cogat et det ipsum assensum, atque inde actu credatur.

Ubi autem actu creditur, hoc fit ex gratia supernaturali, sive ad motiva credibilitatis ipsa, sive ad altiora religionis mysteria referatur assensus. Hinc iste fit supernaturalis. Neque objiciendum est propterea rationi innotescere mysteria fidei ut possibilia, siquidem licet ista *per se* rationi innotescere nequeant, attamen innotescere possunt in aliquo signo seu facto extrinseco a divina Providentia dependenti, quod innotescit in credibilitatis motivis [1].

499. — *Obj.* 4° Intellectus humanus adeo per peccatum originale vulneratus evasit, ut impar sit ad probandam evidenter et certo veritatem aliquam, præsertim ad religionem attinentem.

Resp. 1° *neg. supp.* Etsi enim homo *in naturalibus* vulneratus sit per peccatum originale, non adeo tamen debilitatus fuit, ut nihil certi sibi comparare possit, etiam in re religionis.

Resp. 2° Illa vulneratio *in naturalibus* dupliciter intelligi potest, nempe *primo*, relate ad dona illa naturalia (vel *præternaturalia*, si malueris) homini non debita, quæ primis parentibus concessa fuerunt ratione primariæ innocentiæ, qualia fuere immortalitas, absentia concupiscentiæ, etc.; et in hoc sensu omnes concedunt hominem ita vulneratum ex peccato originali remanere, ut nullatenus eadem servet; vel *secundo* intelligi potest relate ad dona naturalia quæ in ipsiusmet humanæ naturæ exigentiis continentur ac juribus: quo sensu non pauci non infimæ notæ theologi, quales fuerunt Cajetanus, Godoy, Gonet, etc., et ipsemet S. Thomas, nisi vehementer fallamur, tenent hominem his donis nec spoliatum ratione originalis peccati, nec vulneratum fuisse, ita ut homo post peccatum seu in statu naturæ lapsæ non dif-

[1] Fusiora habes apud Billuart, *De Fide*, Diss. I, a. VI, Obj. 2. Cf. quæ scripsit P. Valsecchi contra Spedalieri de certitudine credibilitatis omnibus pervia. Cf. Gerdil, *Introduz. allo studio della religione.*

ferat ab homine in statu naturæ puræ constituto, nisi tamquam nudatus a nudo [1].

Ex quibus dictis patet quam recte ita scripserit Augustinus: " Forte de via mala, h. e. de vita mala fatigatus nescio quis amicus tuus, non inveniens veritatem qua audita et percepta beatus fiat,..... venit ad te tamquam ad Christianum et dicit: Redde mihi rationem; fac me christianum. Et interrogat quod forte tu per simplicitatem fidei nesciebas, et non est unde reficias esurientem, et cum vis docere, cogeris discere..... Numquid deserendus est?... Ergo ad Dominum pulsa orando, pete, insta..... Cum autem perveneris ad tres panes, h. e. ad cibum, et intelligentiam Trinitatis habes et unde vivas, et unde pascas, nec peregrinum venientem de via reformides, sed excipiendo civem, domesticum facias [2]. "

Obj. 5° contra secundam partem propositionis: Inter mysteria et res creatas dari non possunt analogiæ, cum immensa intercedat distantia. Ergo de mysteriis nulla analogica notitia haberi potest.

Resp. dist. Non dantur analogiæ ita cum mysteriis connexæ quod ex illis ad ista cum certitudine quis assurgere possit, tamquam ab effectibus ad necessarias causas, vel ab imagine ad archetypum, *conc.;* non dantur hoc sensu quod supposita revelatione mysteriorum non agnoscuntur postea in creaturis illorum aliqua umbrata similitudo, *nego.*

Intelligibilium quippe supernaturalium cum naturalibus connexio, etsi existat, percipi tamen non potest, nisi [3] præsuppo-

[1] Cum ex hac doctrina facillima evadat solutio difficillima difficultatis circa Dei justitiam in re peccati originalis, et circa doctrinam transmissionis ejusdem, siquidem nulla datur repugnantia quominus Deus *mera privilegia* tollat pro libitu, imprimis si ratio occurrat ex parte creaturæ: unde et salvatur Dei justitia et intelligitur transmissio tamquam privilegiorum negatio, hic placeret pauca addere de doctrina D. Thomæ circa præsentem nostram quæstionem, nisi alii rem exequuti fuissent. Ad quos lectorem remittimus, præsertim ad illos quos supra memoravimus. Adeas iterum P. Monsabré, *Exposition du Dogme Catholique*, ubi de peccato originali. Inter recentiores, vide Perrone, qui aliquando hujusmodi doctrinam tuetur, nisi fallat memoria.

[2] *Serm. de Verb. Evang. Luc.* Serm. 105, cap. II et III.

[3] " Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio. Uno modo ad probandum sufficienter aliquam radicem; alio modo inducitur ratio non quæ sufficienter probet radicem, sed quæ radici jam positæ ostendat congruere consequentes effectus. Primo ergo modo potest induci ratio ad probandum Deum esse unum, et similia; sed secundo modo se habet ratio quæ inducitur ad manifestatio-

sita aliqua ac prælucenti revelatione, unde percipiantur analogiæ [1].

Hinc Augustinus: " Si a me vel a quolibet doctore non irrationabiliter flagitas ut quod credis intelligas, collige definitionem tuam, non ut fidem respuas, sed ut ea quæ fidei firmitate jam tenes, etiam rationis luce conspicias..... Absit ut ideo credamus ne rationem accipiamus..... Rationabiliter dictum est per Prophetam: " Nisi credideritis, non intelligetis. " Ubi proculdubio discrevit hæc duo, deditque consilium quo prius credamus, ut id quod credimus intelligere valeamus [2]. "

500. — *Obj.* 6° contra totam propositionem: Scientia est contraria revelationi: ergo nec demonstratio nec analogia inde haberi potest.

Resp. neg. supp. Illud " quod veritas patefacit Libris sanctis sive veteris Testamenti, sive novi, nullo modo potest esse adversum [3]. " Idem etenim Deus, ait Vaticana Synodus, " qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indidit; Deus autem negare seipsum non potest, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur quod vel fidei dogmata ad men-

nem Trinitatis; quia scil. Trinitate posita, congruunt hujusmodi rationes; non tamen ita quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas Personarum. " Riccard. Victorin., *De Trinit.*, I, 4.

[1] Intelligibilium supernaturalium quorum in creatis habetur analogia, duo genera sunt. Alia enim nullam cum natura connexionem per se habent, neque necessarias in creatis sortiuntur analogias: sed tamen Deus sponte pro sapientia ac bonitate sua cum naturali rerum ordine colligare voluit et colligavit. In quibus, ut patet, analogiæ seu congruentiæ dantur quia Deus libere voluit, unde si aliud voluisset, iterum datæ essent analogiæ quædam et congruentiæ; nec Deus voluit quia erant congruentiæ, sed sunt congruentiæ quia Deus voluit. Exemplo sint Incarnatio Verbi, Redemptio nostra, vocatio ad Visionem Beatificam, etc. Aliud vero supernaturalium existit genus intelligibilium, quæ *per se* cum naturalibus, seu rebus conditis nexum habent, quin tamen rationi naturali nexus iste appareat. Cujusmodi exemplo sit nexus qui creationem inter ac tres Divinas Personas intercedit, tamquam inter causam et effectum. Omnia quippe opera Dei ad extra tribus Personis communia sunt: in operibus vero illis discernimus virtutem et omnipotentiam unius Conditoris, absque divisione et diversitate: non tamen inde novimus hanc virtutem et potentiam totam singulis personis competere. Hic iterum revelatione opus est, ita ut in hujusmodi analogiis analogatum divinum per prius dicatur et quoad rem et quoad denominationem.

[2] *Epist. 120 ad Consent.*

[3] Aug. *In Gen. ad litt.*, Lib. II, cap. XVIII.

tem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur [1]. „

Instabis. Sed tamen quidquid de rerum natura sit, certum est scientias ab Ecclesia damnari. Ergo.

Resp. neg. prorsus. Ecclesia namque scientias omnes et fovit et conservavit et excoluit et commendavit semper et ubique, prout luce meridiana clarius ex historia liquet, et probant theologiæ polemicæ auctores.

Nihil ergo impedit quominus scientia et fides simul conversis splendorum suorum radiis multas veritates oculis nostris illustrent de Deo, mundo eorumque relationibus. Unde Vaticana Synodus: “Tantum abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo eas quemadmodum a Deo scientiarum Domino, profectæ sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere [2]. „

ARTICULUS II.

QUOMODO HABEATUR DEMONSTRATIO INDIRECTA IN REBUS THEOLOGICIS.

501. — Diximus indirectam esse demonstrationem quæ ex difficultatum solutione habetur in re theologica, quoad fidei dogmata. Sit ergo

PROPOSITIO. *Ratio solvere potest omnes difficultates allatas tum contra fidei dogmata, tum contra eorumdem veras probationes.*

Propositionem nostram in duas partes distribuimus, eo quod diversa est demonstratio seu probabilitas orta ex solutione difficultatum, prout istæ vel *contra dogmata* vel *contra eorumdem probationes* moventur. Dum enim solvuntur difficultates contra dogmata ipsa allatæ, non remanet *per se* nisi probabilitas negativa respectu rationis, eo quod negetur dari rationem cur non admittantur proposita dogmata; dum vero solvuntur dif-

[1] Const. *Dei Filius*, c. IV. Adeas S. Th., *Cont. Gent.*, L. I, c. VII, ubi quatuor rationibus probat impossibilem esse contradictionem rationem inter et fidem.
[2] Const. *Dei Filius*, c. IV.

ficultates motæ contra dogmatum probationes, hujusmodi probationes in proprio remanent robore, pariuntque ex ratione probabilitatem positivam, seu motivum adhærendi. Unde ea inter utramque existit differentia quod in illa non habetur motivum cur recusetur assensus, in ista autem habetur cur præstetur.

Utraque tamen propositionis nostræ pars iisdem probationibus asseritur et confirmatur, unde lectorem monuisse satis sit de illa conclusionis diversitate pro vario objecto, et una rationum serie quæstionem absolvimus.

a) Probatur imprimis ex Scriptura. Vult enim S. Paulus episcopum amplecti " fidelem sermonem ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi, inquit, etiam inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt; quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet [1]. „ Debet ergo episcopus non modo sanam doctrinam exponere, sed etiam defendere, atque ita contradicentes ἐλέγχειν et ἐπιστομίζειν.

Quod perpetuo præstat ipse Christus ubique in parabolis et objurgationibus; quod præstant et Apostoli: " Unde principes et seniores videntes Petri constantiam et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur [2]. „

b) " Atque ipsa Ecclesia, ait Leo papa XIII, istud a philosophia præsidium christianos doctores petere non tantum suadet, sed etiam jubet. Etenim Concilium Lateranense V, posteaquam constituit " omnem assertionem veritati illuminatæ " fidei contrariam omnino falsam esse eo quod verum vero minime contradicat [3], „ philosophiæ doctoribus præcipit ut in dolosis argumentis dissolvendis studiose versentur; siquidem, ut Augustinus testatur, " si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit veri " similitudine; nam vera esse non potest [4]. „

c) Ita Patres: " Non per ablationem philosophiæ perimitur

[1] Ad Tit., I, 9-11. [2] Act. IV, 13.

[3] Bulla *Apostolici Regiminis*.

[4] Epist. 143 (al. 7) ad Marcellin. n. 7. — Ita refert Leo XIII in Bulla sæpius relata *Æterni Patris*. Cf. Concil. Vat., Const. *Dei Filius*, cap. IV; et Bulla Pii Pp. IX, data die 9 nov. 1846, etc.

Veritas (i. e. *revelatio*), ait Clemens Alexandrinus; sed ad eam cooperatrix et adjutrix invenitur; sicut primus et secundus gradus ei qui ascendit in cœnaculum, et grammaticus ei qui est philosophaturus. Nam et visus et auditus confert ad veritatem; mens autem est quæ eam apposite et naturaliter cognoscit. Perspicuitas etiam opem fert ad tradendam veritatem, et dialectica ne prosternamur ab hæresibus. Et est quidem per se perfecta Servatoris doctrina, et nullius indiga, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem philosophia non facit veritatem potentiorem (nempe *in se*); sed debilem adversus eam efficit sophisticam argumentationem; et propulsans dolosas adversus veritatem insidias, vineæ est sepes et vallum. Et quæ est quidem ex fide veritas tamquam panis necessaria est ad vivendum. Quæ autem procedit disciplina est obsonio similis et bellariis. Desinente cœna, suavis est placentula, ut ait Pindarus Thebanus [1]. „ Consentit Hieronymus: " Ductor christiani exercitus Paulus, inquit, et orator invictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei: didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliath superbissimi caput proprio mucrone truncare [2]. „

Consentiunt demum Patres doctoresque omnes qui invicta dialectica omnes hæreticorum aliorumque adversantium errores repulerunt, prout cuique videre est in dogmatum christianorum historia [3]. Unde ita de dogmatibus habet Angelicus: " Ea quæ sermonibus S. Scripturæ sunt tradita, quasi principia sumantur; et sic ea quæ in sermonibus prædictis occulte nobis traduntur, studeamus utcumque mente capere, a laceratione infidelium defendendo; ut tamen præsumptio perfecte cognoscendi non adsit. Probanda enim sunt hujusmodi per auctoritatem S. Scripturæ, non autem ratione naturali; sed tamen ostendendum est quod rationi naturali non sunt opposita, ut ab impugnatione infidelium defendantur [4]. „

502. — *d*) Addantur et rationes, quarum prima hæc erit: Verum vero de eodem simul opponi nequit: ergo illæ propositiones quæ sibi invicem specie contradicunt, non possunt sibi reapse

[1] *Stromat.*, L. I, c. XX. [2] *Epist. ad Magn.*
[3] Cf. Migne, *Dictionnaire des hérésie.*
[4] *Cont. Gent.*, L. IV, Procem. Cf. *Summa theol.*, 1ª, q. 1, a. 8; et q. 32, a. 1.

contradicere: unde ex alterutra parte datur sophisma et error. Atqui sophisma et error dialecticæ ope detegi semper possunt: ergo.

Altera hæc est: Si solvi non possunt omnes difficultates contra dogmata vel eorumdem probationes allatæ, nonnunquam in errore invincibili versaretur homo; unde a fide accipienda excusaretur si nondum recipisset; vel assensum aut negare aut suspendere deberet post acceptam fidem: quam utramque doctrinam damnavit Innocentius XI [1], omnesque absurdam dicere prorsus debemus.

Unde merito colligit Leo XIII: " Profecto, sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum scientiarum defensores plura a philosophiæ penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare fides christiana censenda est, quod adversariorum arma, humanæ rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat [2]. "

DIFFICULTAS.

503. — *Obj.* Dignoscere nullus potest utrum duæ propositiones oppositæ reapse non disconveniant aut non conveniant, nisi omnes rerum anfractus cognoscat: atqui nullus res ita cognoscit: ergo.

Resp. neg. maj. Sufficit enim ut dialecticus, priusquam asserat aut neget, recte percipiat utrum prædicatum aliquod subjecto conveniat, nec ne.

Et hoc sufficit ut asserat vel neget legitimo judicio. Ex qua agendi ratione illud quod notat Canus eveniet, nempe: " Non, conetur licet quantum potest, rationes adhibebit ejusmodi quæ præbeant experimentum sensuum, sed tales tamen quibus et ii qui non credunt ad fidem adducantur suavius, et ii qui credunt in fide contineantur libentius..... Pervertunt homines fundamenta naturæ, cum illam a fide sejungunt.... Quin fide dirigenda naturæ ratio est, et quidem sic ut hæc duo *verba* inter se, non res discrepare videantur. Et cum divinis humana similia et agnata sint, qui hominis officium Deo exhibet et gratiæ naturam servire facit, is probe theologi munere perfungitur [3]. "

[1] Die 2 martii 1679; Propp. 4 et 20. [2] Bulla *Æterni Patris.*

[3] *Loc. theol.*, XII, c. V.

APPENDIX

UTRUM SCIENTIA ET FIDES SIMUL EXISTERE POSSINT IN EODEM DE EODEM SECUNDUM IDEM.

504. — Quæstionem propositam frequentius agitant theologi ac philosophi, nosque pro re nostra in examen vocare et debemus et tentamus.

Imprimis definiantur termini oportet. Fides est cognitio certa quidem, sed obscura, Dei testimonio innixa.

" Hæc cognitio potest dupliciter considerari: *primo*, in actu, *secundo*, in habitu. Fides actualis est actus quo assentimur rebus revelatis; fides habitualis est virtus in intellectu residens, qua inclinamur ad assentiendum revelatis [1]. "

Scientia, qualem hic intelligimus, est cognitio certa et evidens rei per causas, seu cognitio per demonstrationem acquisita.

" Nota scientiam duobus modis posse considerari: *primo*, quoad actum; *secundo*, quoad habitum. Scientia actualis est ille actus quo de facto assentimur conclusioni per demonstrationem probatæ. Scientia habitualis est quidam habitus ex tali actu relictus. Ex eo enim quod aliquis semel convictus sit de veritate conclusionis, in eo manet aliqua facilitas et determinatio ad assentiendum tali conclusioni, quoties sibi proposita fuerit. Hæc facilitas vocatur habitus scientificus, seu scientia habitualis [2]. "

Ex quibus patet simul ac invicem conferri posse:

Habitum fidei cum habitu scientiæ;
Actum fidei cum actu scientiæ;
Habitum fidei cum actu scientiæ;
Actum fidei cum habitu scientiæ.

I. Utrum habitus scientiæ cum habitu fidei consistat.

505. — Propositio. *In homine mortali per se non repugnat dari habitum scientiæ cum habitu fidei de eodem secundum idem.*

Nonnulla prænotanda sunt.

Primum est habitum scientiæ ab ejusdem actu, sicut et ha-

[1] Goudin, *Philos.*, T. iv, P. iv, Disp. ii, q. iv, a. v.
[2] Idem, *ibid.*, art. iv.

bitum fidei ab actu fidei non ratione tantum, sed et re distingui, imo separari ab invicem posse [1], sicut patet in ægrotanti, qui etsi habitum scientiæ conservet, ex quo postea scientiæ actum eliciet, hic tamen scientiæ actum exercere nequit.

Alterum est quod dixi in *homine mortali*, quia scil. in beatis sicut et in angelis, dum habitui scientiæ beatificæ semper in eis adjungatur actus scientiæ seu visionis, ac præterea, ut infra dicemus, actus fidei cum actu scientiæ consistere non possit, evacuatur reipsa fidei habitus simul et actus, deficiente objecto, seu veritate obscura.

Tertium est quod dixi *per se*, quia si quando in homine habitum scientiæ actus scientificus necessario comitetur, prout evenit in primis principiis quorum habitus corrumpi nequit, quæque intuenti statim visa patent, tunc *per accidens*, i. e. non ratione habitus, sed ratione illius concomitantiæ, evacuabitur actus et habitus fidei, nisi dicatur eos remanere in potentia remota.

Probatur propositio:

506. — *a*) Imprimis auctoritate D. Thomæ, qui ubi asserit incompossibilem esse fidem cum scientia, de actibus utriusque non de habitibus loquitur; signanter etenim quærit utrum credita possint simul esse visa vel scita [2].

Haud secus plures ex ejusdem discipulis eamdem repugnantiam asserunt ex professo de actibus, nihil de habitibus statuentes.

b) Idem probatur ex doctrina Angelici. Dum enim agit de fidei permanentia in electis, asserens nihil ejusdem in electis remanere, hæc sibi objicit: " Substantia habitus non tollitur per hoc quod subtrahitur materia. Potest enim homo habitum liberalitatis retinere, etiam amissa pecunia, sed actum habere non potest. Objectum autem fidei est veritas prima non visa: ergo hoc remoto per quod videtur veritas prima, adhuc potest remanere ipse habitus fidei. „ Respondet sibi Angelicus: " Dicendum quod ille qui amittit pecuniam non amittit possibilitatem habendi pecuniam; et ideo convenienter remanet habitus liberalitatis. Sed in statu gloriæ non solum actu tollitur objectum fidei quod est non visum; sed etiam secundum pos-

[1] Cf. S. Th., 1. 2., q. 48, aa. 3 et 4; q. 94, a. 1, ad 4m. *De Malo*, q. 12, a. 1, etc.
[2] 2. 2., q. 1, aa. 4 et 5, et in locis parallelis.

sibilitatem, propter beatitudinis stabilitatem. Et ideo frustra talis habitus remaneret [1]. „

Ratio igitur quia fidei habitus in patria non remanet, testante ipso Angelico, est quia non remanet in Beato *possibilitas* credendi, propter visionis stabilitatem et objecti fidei perpetuam absentiam.

Atqui in hac vita, etiamsi habeatur scientia et visio actualis de aliqua veritate revelata, remanet tamen scientiæ instabilitas, ac proinde possibilitas credendi circa idem. Ergo.

Confirmatur 1° Omnes illi theologi qui utriusque habitus omnimodam incompossibilitatem asserunt, aut asserere videntur, ubi tamen de merito illius qui plus scit et minus credit agunt, inde colligunt non minui ejusdem meritum, propter dispositionem animi, qua promptus remanet ad credendum, si deesset scientia [2]. “ Semper enim, ait Goudin, retinet apud se fundamentum et columnam veritatis, scilicet divinam auctoritatem, ad quam deficiente ratione confugere possit, sicque credere: nam in hac vita intellectus humanus adeo debilis est ut in apertissimis veritatibus sæpe vacillet, sicut videre est in antiquis Philosophis, qui licet acutissimi, attamen circa divina graviter erraverunt; et modo viri aliunde docti, ubi semel fidem perdidere, in immanes errores incidunt. Et ideo propter hanc humani ingenii infirmitatem, datum est nobis lumen fidei, quod et nos circa ea quæ humanum captum superant, influeret; et circa ea quæ aliqualiter a nobis sciri possunt, ut circa Dei providentiam, immortalitatem animæ et morum doctrinam confirmaret [3]. „ — Atqui illa *præparatio animi* ab omnibus asserta non potest esse nisi habitus fidei in scientibus remanens, cum eadem sit ejus definitio. Neque dici potest præparationem

[1] 1. 2., q. 67, a. 5 ad 3m.

[2] Hanc rationem ita proponit Bañez, etsi neget valere ad probandam compossibilitatem actuum fidei et scientiæ: “ Potest quis dicere objectum quod alias naturali ratione ostenditur, adhuc manere obscurum et non visum in philosopho christiano, non quidem simpliciter, sed comparatione ad tantam certitudinem quantam habet circa illam veritatem ex habitu fidei causatam. Non enim videtur quomodo sit tam certus ut sit certior quam antea erat sola naturali demonstratione eruditus „ (In 2. 2., q. 1, a. 5). Ratio illa est Capreoli Thomistarum principis.

[3] Goudin, *Philos.*, T. IV, Part. IV, Disp. II, q. IV, art. V. Huc faciunt ea quæ habet S. Thomas de revelationis necessitate ut veritates rationi perviæ a pluribus, promptius et securius percipiantur. 1a, q. 1, a. 1, et locis parallelis.

illam esse *dispositionem* prout ista distinguitur [1] specifice [2] ab habitu. Dispositio enim definitur qualitas facile mobilis; habitus autem qualitas difficile mobilis [3]: patet vero præparationem illam animi in sciente remanentem esse difficile mobilem.

Confirmatur 2° experientia. Aliquando enim quasi ligari potest habitus scientiæ quoad exercitium, etsi integer in se remaneat, et simul comprobatur remanere fidei habitus, ut puta in aliquo theologo, v. gr. S. Thoma Aquinate ægrotanti, qui dum morbo premitur, nequit scientiæ actum elicere, conservat tamen habitum scientiæ quoad aliquam veritatem, v. gr. Dei bonitatem infinitam; de qua interim actum fidei emittere potest, et simul fidei habitum quoad eamdem conservat [4].

c) Habitus sunt propter actus frequenter eliciendos [5]: Atqui actus scientiæ et fidei, etsi simul existere non possint, possunt tamen successive existere in eodem de eodem, ut infra dicetur: Ergo uterque existere debet habitus, scil. tum fidei, tum scientiæ.

507. — *d*) Dari potest aliqua veritas quæ et actu sciatur et in potentia credatur, si forsan deesset aliquando scientia, corrupto scilicet habitu scientifico vel per se vel per accidens, sensu a D. Thoma explanato [6].

Atqui illa possibilitas seu potentia ad actum fidei requirit permanentiam habitus, etiam in illo qui propositæ veritatis scientiam habet: Ergo.

Probatur minor. Tria namque requiruntur ac sufficiunt ad asserendam habitus necessitatem, nempe " primo ut id quod disponitur sit alterum ab eo ad quod disponitur, et sic se habeat ad ipsum ut potentia ad actum; — secundo requiritur quod id quod est in potentia ad alterum possit pluribus modis determinari et ad diversa; ... tertio quod plura concurrant ad disponendum subjectum ad unum eorum ad quæ est in potentia, quæ diversis modis commensurari possunt, ut sic disponatur bene vel male ad formam et operationem [7]. " Hæc autem

[1] 1. 2., q. 49, a. 2. [2] *Ibid.* ad 3^{m}.
[3] Cf. Goudin, *Philos.*, Tom. I; *Logicæ maj.*, Part. I, Disp. II, q. 5, a. II.
[4] Quomodo periclitetur perpetuo habitus scientiæ in homine, saltem quoad exercitium, optime explanat S. Thomas, 1. 2., q. 53, et locis parallelis.
[5] Cf. 1. 2., q. 49, a. 3. [6] 1. 2., q. 53, aa. 1 et 3.
[7] 1. 2., q. 49, a. 4.

tria inveniri in illo qui veritatem aliquam scit, quoad eamdem veritatem forte credendam, patet. Ergo.

Confirmatur ex doctrina et auctoritate Sylvii: " Si philosophus habens quarumdam rerum fidei demonstrationem fiat christianus, accipiet eumdem fidei habitum quem cæteri christiani habent: non cognoscet tamen per fidem, seu non exercebit actum fidei circa ea quorum habet scientiam; et similiter si fidelis, postquam fide credit unum esse Deum, accipiat ejusdem rei demonstrationem, non amplius cognoscet per fidem seu fidei actum, etiamsi priorem suum fidei habitum retineat. Quia ille habitus, cum essentialiter includat obscuritatem, non potest inclinare ad assentiendum isti veritati: *Deus est*, sub formali ratione fidei, sicut inclinat ad assentiendum reliquis: neque potest elicere actum sibi proprium de objecto, cujus habetur evidentia [1]. " Etenim habitus fidei, qua supernaturalis, non potest corrumpi aut diminui: nisi vel *per accidens*, corrupto subjecto, vel *per se*, i. e. ex actu contrario. Atqui habitus scientiæ superveniens non corrumpit subjectum fidei, neque includit actum contrarium, saltem si habeatur iste successive ad actum fidei: Ergo.

DIFFICULTATES

508. — *Obj.* 1° Doctrina illa est contra S. Thomam et ejusdem discipulos.

Resp. neg. suppos. Probari enim nequit oppositam doctrinam a D. Thoma traditam esse: immo constat ipsum pro doctrina nostra stare, ut ostendimus. Idem generatim dicendum est de ejusdem discipulis, qui oppositionem actuum scientiæ et fidei notantes, non asserunt habitum utrumque se se mutuo excludere.

Obj. 2° Habitus scientiæ ille est quo intellectus disponitur ad assentiendum veritatibus ex principiis per se notis evidenter deductis; fides autem est habitus supernaturalis in intellectu residens quo inclinamur ad assentiendum veritatibus revelatis non in se evidenter visis, sed in criterio extrinseco quod est auctoritas. Atqui repugnat quod aliquod objectum in se evi-

[1] In 2. 2., q. 1, a. 5. *Concl.* 2ª.

denter videatur, et simul in se non videatur. Repugnat ergo quod in uno eodemque subjecto sit duplex habitus inclinans ad actus oppositos, in ordine ad idem objectum; scil. habitus fidei inclinans ad assensum rei non visæ, et habitus scientiæ inclinans ad assensum rei visæ.

Resp. loquaciori homini: *conc. maj. et min.* et *neg. consequens et consequentiam.* Etsi enim, ut vult objiciens, repugnet objectum *simul* videri et non videri; non repugnat videri et non videri *successive.*

II. Utrum actus fidei cum actu scientiæ consistat.

509. — Propositio. *Repugnat dari simul actum fidei et scientiæ in eodem de eodem; non tamen repugnat dari successive.*

Priusquam probetur utriusque asserti veritas, nonnulla cum D. Thoma prænotanda sunt. In primis advertendum est quænam visio fidem tollat. Cui quæsito respondet Angelicus: " Cum fides sit argumentum non apparentium, secundum Apostolum; et per fidem credantur ea quæ non videntur, ut Augustinus dicit, illa sola manifestatio excludit fidei rationem, per quam redditur apparens vel visum id de quo principaliter est fides. Principale autem objectum fidei est veritas prima, cujus visio beatos facit et fidei succedit [1]. " — " Contemplatio quæ tollit necessitatem fidei est contemplatio patriæ, quia supernaturalis veritas per essentiam videtur [2]. "

Dari tamen veritates quarum etiam in terris habetur visio, sic exponit idem Angelicus: " Fides importat assensum intellectus ad id quod creditur. Assentit autem intellectus alicui dupliciter. Uno modo quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est vel per se ipsum cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est intellectus, vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quorum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter movetur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem, voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam. Et si quidem hæc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine, absque tali formidine [3], erit fides. "

[1] 2. 2., q. 5, a. 1 [2] Ibid., ad 1m. [3] 2. 2., q. 1, a. 4.

510. — *A*. Probatur propositio quoad primam partem, scilicet repugnare quod detur simul actus scientiæ cum actu fidei, in eodem, de eodem.

a) Ex Scripturis. S. Paulus enim dicit: " Fides est argumentum non apparentium [1]. „ Ubi autem Apostolus idem confert cognitionem quam nunc ex fide habemus cum illa quam ex visione beatifica sortiemur, ait: " Videmus nunc per speculum, in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum [2]. „

b) Hinc Pelagius Pp. II: " Fides eorum qui Deum visuri sunt, quod non videt credit: nam si videt, non est fides [3]. „

Ita Augustinus: " Quid est fides nisi credere quod non vides [4]? „ Et Chrysostomus: " Fides est aspectus eorum quæ non sunt manifesta [5]. „ Athanasius: " Non enim fides de re evidenti concepta fides dici poterit [6]. „ Gregorius demum: " Quæ apparent fidem non habent [7]. „ Quorum vestigiis insistens S. Thomas, hæc perpetuo docet: " Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa, et ideo oportet quæcumque sunt scita aliquo modo esse visa. Non autem est possibile, quod idem ab eodem sit visum et creditum [8]. „ Ita discipuli ejus omnes. Porro repugnantiam ab illis inter scientiæ et fidei actum saltem asseri, si qua asseritur, cuique liquido constat, et ex rationibus patebit.

c) Quæ plures sunt. Adest imprimis ratio theologica. Fides in visione beatifica evacuanda est: atqui non evacuanda est alia ratione nisi quia consistere simul non possunt et clara et obscura ejusdem rei cognitio. Visio autem importat necessario claritatem, fides vero obscuritatem rei credendæ, juxta illud Augustini: " Quod intelligimus debemus rationi; quod credimus auctoritati [9]. „ Ergo fides cum evidentia actuali stare nequit.

511. — *Confirmatur* 1° Si fides obscuritatem non includeret, nulla foret ratio cur evacuanda esset in patria; imo perficienda esset ac augenda.

[1] Hebr. XI, 1.
[2] I. Cor. XIII, 12.
[3] Epist. III.
[4] *In Joan.*, Tract. IV. Cf. Tract. LXVIII et LXXIX, n. 1.
[5] *In Epist. ad Hebr.* Hom. XII.
[6] *De salut. adv. Christ.*
[7] *In Evang.* Hom. XXVI.
[8] 2. 2., q. 1, a. 5. Vide loca parallela.
[9] *De Utilit. Cred.*, c. XI, n. 25.

Confirmatur 2° Spes rei visæ non est, juxta illud: „ Spes quæ videtur non est spes: nam quod videt quis, quid sperat [1]? „ Ergo neque fides: utraque enim absentiam objecti dicit.

Confirmatur 3° experientia. Etenim „ experientia ipsa constat nos nullam evidentiam proprie dictam habere de mysteriis quæ per fidem credimus. Et si aliqua sit ipsius fidei veritas, quam evidenter agnoscamus, prout ita cognoscitur, ad fidem non pertinet, sed ad aliquod genus cognitionis [2]. „ Haud secus non nisi absurde aliquis diceret se Romæ existentiam credere ex auctoritate, si ipse Romæ existeret, eamque propriis oculis videret.

Confirmatur 4° Nihil sub fidem cadit, nisi mediante formali objecti ipsius ratione: atqui formalis ratio objecti fidei est ipsa Veritas Summa clare asserens quod obscure videtur, ita ut obscuritas ista, etsi non pertineat ad rationem formalem *sub qua* fidei, sit tamen ejusdem conditio *sine qua non* [3]: at vero ea quæ sensu aut intellectu videntur, non sunt obscura, proindeque non accipiuntur mediante primæ Veritatis testimonio. Ergo.

Confirmatur 5° Exigit fides ut intellectus rei creditæ assentiatur ex confidentia luminis alieni, et quasi captivatus per auctoritatem dicentis, tum quia fidem habere est quasi *fidere;* tum quia fidem non habemus nisi „ in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium [4] Christi; „ eo quod nempe intellectus in credendo non proprio jure, sed externa auctoritate regitur. Atqui intellectus qui evidentiam de re credita habet, non est amplius captivus, cum proprio jure utatur, nec ligetur extrinseca auctoritate; neque fidit in lumine alieno, sed proprio. Ergo.

512. — *d*) Adducuntur et aliæ ex ipsa rei natura rationes, ab Angelico propositæ.

[1] Rom. VIII, 24. Apposite dicit S. Paulus: *Spes quæ videtur,* *ἐλπὶς βλεπομένη*, quia objectum spei est *visio beatifica.*

[2] Abelly, *Medulla theol., De Fide,* Tract. I, c. III, sect. II.

[3] Obscuritatem non pertinere ad rationem formalem *sub qua fidei*, quam facillime probatur: Ratio enim formalis sub qua est ratio cur assentimur rebus creditis: Atqui ratio cur rebus creditis assentiamur non est obscuritas sed testimonium Dei. Motivum namque cur credam Deum esse trinum non est obscuritas mysterii, sed auctoritas Dei; sicut ego Carthaginem olim extitisse credo non quia numquam vidi, sed quia illud testantur documenta historicorum.

[4] II. Cor. X, 5.

Prima ex parte subjecti sumitur, atque ita se habet: Quæ opponuntur ex parte subjecti, non possunt in eodem subjecto esse, quia oppositio est causa incompossibilitatis: atqui actus fidei et scientiæ ex parte subjecti opponuntur, quia videre et non videre inter se opponuntur, unde subjectum non potest simul et videns et non videns esse quoad idem objectum [1]. Ergo.

Altera ex parte objecti accipitur. Illa videri dicuntur quæ per se ipsa intellectum aut sensum movent, quia scilicet vel sunt prima principia aut conclusiones ex iis eductæ; vel sensibilia sensibus convenienter proposita. Atqui objectum fidei neque prima principia, neque conclusiones ex iis eductas, neque sensibilia per se complectitur, ut ex ipsius definitione patet [2]. Ergo.

513. — *Quæres* 1° Utrum cum fide consistere possit scientia theologica et *vice versa*.

Resp. affirmative. Suppositis omnibus quæ passim a theologis traduntur de natura scientiæ theologicæ [3], in promptu est asserti ratio duplex, seu tum ab auctoritate, tum a natura rei sumpta.

Ita enim sentit S. Thomas, qui postquam asseruerit rationes a Sanctis inductas de rebus fidei non esse demonstrativas, sed tantum persuasivas, unde scientiam cum fide incompossibilem non gignunt, hæc addit: " Vel (rationes a Sanctis adductæ) procedunt ex principiis fidei, scilicet ex auctoritatibus S. Scripturæ, sicut dicit Dionysius, cap. II, *De Div. nomin.* Ex his autem principiis ita probatur aliquid apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis probatur aliquod apud omnes. Unde etiam Theologia scientia est [4]. "

Ubi asserit S. Doctor scientiam theologiæ non repugnare fidei, etiam quoad utriusque actum, cum ibidem de actibus fidei et scientiæ agat. Ita sentiunt graviores Thomistæ, v. gr. Cajetanus [5], Bañez [6], Sylvius [7].

Accedunt rationes variæ.

Prima est: Scientia theologica procedit ex principiis revelatis, quæ per se non sunt intrinsece evidentia: ergo nec ipsa

[1] 1. 2., q. 67, a. 3.
[2] 2. 2., q. 1, a. 4.
[3] Cf. Opp. Gonet, Billuart, Gotti, etc. T. I, in principio.
[4] 2. 2., q. 1, a. 5, ad 2m.
[5] In 2. 2., q. 1, a. 5.
[6] In 2. 2., q. 1, a. 5. Concl. 5.
[7] In 2. 2., q. 1, a. 5.

intrinsece evidens est, cum conclusionum evidentia ex evidentia principiorum tota pendeat.

Altera hæc est: Sola visio fidem excludit: atqui in conclusionibus theologicis visio non datur: ergo.

Quam ita exprimit Bañez: " Si aliqua repugnantia esset inter scientiam theologicam et fidem in eodem subjecto respectu ejusdem veritatis, esset ex parte evidentiæ quæ convenit scientiæ: sed in theologia non invenitur evidentia conclusionum, quamvis sit evidentia consequentiæ: Ergo nulla est repugnantia [1]. „

Tertiam ita proponit idem Bañez: " Nulla est repugnantia quod aliquid sit virtualiter revelatum in alio principio, et rursus sit revelatum immediate in seipso. V. gr. quod luna eclipsetur, virtualiter continetur in principiis Astrologiæ, et rursus in seipso est experientia manifestum: ergo proportionabiliter est dicendum de aliqua veritate obscura, quæ potest esse virtualiter revelata in aliquo principio, quod per se obscure revelatur, et quod rursus eadem veritas sit per se obscure revelata [2]. „

514. – *Quæres* 2° Utrum evidentia revelationis sit compossibilis cum fide.

Imprimis determinetur oportet quæstionis sensus.

Non quærimus ergo utrum fides compossibilis sit cum evidentia vel Dei revelantis, vel veritatis revelatæ; sed ipsiusmet facti revelationis, ita scilicet quod clare constet hanc a Deo esse, etsi nec Deus nec veritas revelata evidenter innotescerent.

Evidentia autem illa revelationis dupliciter iterum intelligi potest, scilicet: tum *absolute* et absque ullo adjuncto; tum *relative* ad duas alias veritates pariter evidentes, nempe Deum mentiri non posse, et Deum non metaphorice sed naturali nostro eloquio revelationem suam promere. His ita præhabitis,

Resp. affirmative quæstioni oblatæ.

Si enim revelationis evidentia prædicta sumatur *absolute*, res per se patet. Etsi quippe mihi constiterit Deum nonnulla revelasse, dubio tamen locus remanebit, nisi simul constiterit Deum mentiri non posse, et loqui sensu litterali et proprio. Unde fides omnino cum hujusmodi evidentia consistere poterit.

[1] In 2. 2., q. 1, a. 5. Concl. 5.

[2] *Ibid.* Vide auctorem.

Si autem intelligatur illa evidentia una cum duabus illis conditionibus, responsio iterum affirmativa prorsus erit.

Ita namque sentit Angelicus: " Si aliquis propheta, ait, prænuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, et adhiberet signum, mortuum suscitando, in hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifeste hoc dici a Deo, qui non mentitur, licet illud futurum quod prædicitur, in se evidens non esset. Unde per hoc ratio fidei non tolleretur [1]. "

Idem asserit S. Doctor, ubi pronuntiat ea sola manifestatione veritatis tolli fidei rationem, qua veritas redditur apparens vel visa [2].

Ratio prima est quia evidentia hujusmodi parit quidem evidentiam credibilitatis, non autem evidentiam veritatis in se: atqui hæc sola ultima evidentia fidem excludit; cum autem absit hujusmodi evidentia, nec proinde appareat connexio prædicati cum subjecto, hinc remanet obscuritas illa fidei requisita.

Ratio altera hæc est: Ille qui habet tantum evidentiam ipsius revelationis, cognoscit aliquam tantum conditionem omnibus revelatis communem, i. e. credibilitatem sibi utique evidentem, necnon et ipsam revelationem: atqui illa evidentia quoad rationem communem nihil impedit quominus habeatur fides quoad rationes aliquas speciales, sicut v. g. evidentia constare potest aliquod esse animal, quia movetur, testimonio autem illud esse hominem. Ergo evidentia in attestante non parit evidentiam quoad particularia, nec fidem excludit [3].

515. — *B.* Probatur propositio quoad secundam partem, scilicet non repugnare quin *successive* in eodem de eodem dentur actus fidei et scientiæ.

Illud *successive* non ita intelligendum est quasi alterutrum actum vel fidei vel scientiæ quilibet pro libitu quandocumque elicere possit; sed hoc tantum sensu quod ubicumque desierit actualis visio scientiæ, qualibet ex causa, fieri possit actus fidei.

Probatur assertum:

a) Auctoritate S. Thomæ et ejus discipulorum. Angelicus enim Doctor utriusque actus scientiæ scilicet et fidei repugnantiam asserit si *simul* occurrant. " De eodem secundum

[1] 2. 2., q. 5, a. 2.
[2] *Ibid.*, a. 1. Cf. Billuart, *De Fide*, Diss. I, art. V.
[3] Cf. S. Th., 2. 2., q. 1, a. 4, ad 2m.

idem non potest esse simul in uno homine scientia cum fide... quia scitum est visum, et creditum est non visum [1]. „

Ita Goudin: “ Actus fidei et actus scientiæ non possunt esse simul in eodem intellectu de eodem subjecto. Sic perpetuo docet S. Thomas [2]. „ Haud secus alii tum Thomistæ, tum extranei.

Ergo dum asserunt simpliciter duos illos actus simul consistere non posse, supponunt existere posse separatim et successive.

516. — *b*) Probatur ratione.

Imprimis actum scientiæ actui fidei succedere posse constat ipsamet experientia. Sic v. gr. philosophus christianus, qui postquam veritatem aliquam fide tenuerit, eamdem postea sibi evidenter demonstrat; sic Beatus in cœlis, sive homo, sive angelus videt quæ prius credidit [3].

Deinde vero actum fidei succedere posse actui scientiæ circa idem objectum ex hoc patet quod actus scientiæ, seu actualis visio objecti, cessare et quidem diversimode, potest. Imprimis enim cessare potest *per accidens*, dum nempe corrumpitur habitus scientiæ, corrupto scil. subjecto habitus, non quidem ipsa mente, quæ incorruptibilis est, sed virium sensitivarum menti inservientium potentia, quod fit ægritudine, oblivione, turbatione aut deletione specierum in facultatibus sensitivis residentium, etc.; immo etiam corrupto ipsomet habitu sive actibus contrariis, sive cessatione actuum ejusdem corruptionem prohibentium ac removentium.

Deinde *per se* cessare potest actus visionis, absentibus nempe speciebus intelligibilibus aut sensibilibus, etiam remanente habitu. Nisi enim adsint hujusmodi species patet visionem nullam dari actualem. Si igitur corruptus fuerit habitus ipse scientificus, visio scientifica non erit nisi in potentia et quidem remota; si, remanente habitu, absint tantummodo species intelligibiles, visio scientifica erit in potentia proxima.

Atqui sola visio actualis removere potest actum fidei, cum sola obscuritatem removeat: ergo in utroque casu actui scientifico actus fidei succedere poterit.

[1] 2. 2., q. 1, a. 5, ad 4m.
[2] *Philos.*, T. IV, Part. IV, Disp. II, q. IV, art. V. Concl. I.
[3] 2. 2., q. 1, a. 5.

DIFFICULTATES

517. — *Obj.* 1° contra primam propositionis partem. Intellectus eamdem simul veritatem et videre et non videre potest, prout scil. vel medio scientiæ vel medio auctoritatis attingit. Ergo.

Resp. neg. suppos. Ratio est quia ea quæ sunt fidei omnino ænigmatica et obscura esse debent; secus enim non vi auctoritatis admittentur, nec ratione fidei. Unde nulla evidentia intrinseca supponi potest in objecto hic et nunc fide credito.

Obj. 2° contra secundam propositionis partem: Species intelligibiles veritatum semel scientifice cognitarum semper menti adsunt: ergo impossibilis est actus fidei post scientiæ actum.

Resp. dist. Quoad nonnullas veritates, v. gr. prima principia, species intelligibiles semper menti adsunt, *concedo* vel *transeat;* quoad veritates ex principiis eductas, *nego.* Et hoc sufficit quo assertum nostrum stabiliatur.

III. Utrum habitus fidei cum actu scientiæ consistat.

518. — Propositio. *Habitus fidei potest esse cum actu scientiæ.*

a) Ita sentit S. Thomas: " Quia Paulus non fuit beatus habitualiter, sed solum habuit actum beatorum, consequens est ut simul tunc in eo non fuerit actus fidei; fuit tamen simul tunc in eo habitus fidei [1]. „ Nec requiritur ut actus scientiæ habitum non gignat, siquidem istud necessarium non est, ut patet ex dictis de utriusque habitus compossibilitate.

A qua doctrina non recedit Estius, ubi explanat illud Pauli: " Fides..... argumentum non apparentium. „ Sic enim habet: " Hæc quippe fidei laus est propter auctoritatem divinam assensum firmissimum præbere iis quæ non apparent, utcumque reclamet sensus noster carnalis. Quamquam contingit et ea quæ apparent, si testimonium habent divinum, a nobis credi: sed in iis credendis non elucet fidei virtus (*en habitum fidei absque actu*), quia etiam sine ejusmodi testimonio recipiuntur, velut sensu vel experientia et humanis testimoniis abunde cognita

[1] 2. 2., q. 175, a. 3, ad 3m.

(*en actum scientiæ etiam cum habitu*): ut Jesum crucifixum et mortuum esse, Davidem regnasse, Paulum gentibus prædicasse. Quo referenda sunt etiam ea quorum haberi potest scientia demonstrativa: ut unum esse Deum optimum maximum, et alia hujusmodi. Non ergo sentit Apostolus id omne quod creditur esse non apparens; sed fidem esse eam animi qualitatem, qua propter Dei verbum ac testimonium certissime recipimus etiam ea quæ non apparent, quæque sensus humanus credere refugit. Hæc enim sunt quæ per se sub objecto fidei continentur: cætera non item [1]. „

519. — *b*) Probatur ratione. Scientia expellit fidem eo modo quo fidei repugnat: atqui, ut probatum est, scientia repugnat fidei non quoad incompossibilitatem habituum, aut actuum successivorum, sed tantummodo quoad actuum simultatem: ergo actus scientiæ dum excludit actum fidei simul elicitum, non excludit proinde habitum fidei quo alias actus fidei eliciendi erunt.

Confirmatur. Consentiunt omnes assensum fidei certiorem esse scientia sola; non tamen scientia per testimonium Dei confortata, quia, ut ait Angelicus, " aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur [2]. „ — " Philosophus enim fidelis, ait Goudin, tenet Deum esse per duplex medium, divinam scilicet auctoritatem et scientificam demonstrationem: unde scientia ejus confortatur a divina auctoritate, a qua recipit certitudinem supernaturalem, sicut virtutes morales acquisitæ recipiunt supernaturale meritum ex subordinatione ad charitatem [3]. „

Atqui illa certitudo supernaturalis quæ auctoritati divinæ nititur, quamque apud se conservat etiam vir scientia præditus, unde duplici motivo assentitur veritati propositæ, non potest esse nisi aut actus aut habitus fidei. Sed non potest esse actus fidei, ut supra ostensum fuit: ergo habitus [4]. Qui fidei habitus non remanet ut assentiatur rei hic et nunc claræ et evidenti, sed ut confirmetur id quod per se vacillare potest,

[1] *In Epist. ad Hebr.*, c. XI, 1. [2] 2. 2., q. 4, a. 8, ad 2m.
[3] *Philos.*, T. IV, Part. IV, Disp. II, q. IV, art. V. Ita Capreolus apud Goudin, *loc. cit.*
[4] Cf. Sylvius, In 2. 2., q. 2, a. 10, ad 1m; Bañez, *ibid.*, Concl. III, ubi dicit meritum fidei *actualis et formalis* tolli demonstratione; S. Aug. *Ep. 120 ad Consent.*

vel minus clarum evadere, tum ratione sui, i. e. connexionis subjecti cum prædicato; tum ratione difficultatum. Hinc philosophus christianus, si non tenetur *absolute* ad assentiendum ex motivo fidei alicui veritati scitæ, tenetur tamen *hypothetice*, seu supposita aliqua necessitate.

IV. Utrum actus fidei cum habitu scientiæ consistat.

520. — Propositio. *Non repugnat actum fidei consistere cum habitu scientiæ de aliqua veritate.*

a) Imprimis sequitur ex dictis. Etenim solus scientiæ actus obscuritatem fidei requisitam tollit; habitus autem scientiæ non tollit; siquidem solus scientiæ habitus non continuo species intelligibiles menti repræsentat, unde evidenter elucescat veritas scita. Ergo actus fidei cum habitu scientiæ consistere potest.

b) Præterea solus actus scientiæ actui fidei repugnat, sensu prius exposito, dum nempe simul elici supponuntur: sed tamen actus tum fidei tum scientiæ successive, sensu prius explanato, de eadem veritate elici possunt: ergo sicut et fidei, ita et scientiæ habitus remanere debet *per se*, nisi *per accidens* evacuetur.

DIFFICULTAS

521. — *Obj.* contra duas posteriores propositiones: Scientia tollit meritum fidei, quia ejusdem tollit obscuritatem: ergo.

Resp. dist. Scientia meritum fidei tollit si voluntatem credendi antecedat, ita ut non crederet aliquis nisi hujusmodi haberet scientiam, *concedo;* si autem voluntatem credendi subsequatur, ita ut credens promptus sit ad credendum, etiam deficiente scientia [1], *nego.* Ita Sylvius: " Meritum fidei positum est in obedientia et promptitudine voluntatis, qua quis propter Deum paratus est credere rebus non visis: si ergo is qui habet alicujus rei credibilis rationem demonstrativam, ita maneat

[1] 2. 2., q. 2, a. 10.

animo paratus ad credendum, sicut si talem rationem non haberet, meritum fidei non perdit, etiamsi rem illam fide non credat, præsertim cum et habitum fidei retineat, et propter illum firmius assentiatur, quam si solum demonstrationem haberet [1]. „

CAPUT II.

De locis theologiæ impropriis in specie.

522. — Bifariam dividuntur loci theologiæ improprii si *in specie* considerentur, prout scilicet habentur vel *ex scientia*, seu cognitione per causas, ac specierum intelligibilium medio; vel *ex experientia*, seu cognitione per effectus, vel per ipsammet rerum præsentiam.

ARTICULUS I.

DE SCIENTIA QUA LOCO IMPROPRIE THEOLOGICO.

Scientia humana vel est de ente transcendentali, et tunc vocatur *Philosophia prima* [2]; vel de ente reali, et tunc a nobis vocatur *Philosophia secunda.*

De his singulatim et quidem breviter pro rei nostræ necessitate dicendum est.

§ 1.

Quomodo argui in theologia possit ex Philosophia prima.

PROPOSITIO. *Quod scientifice habet theologia, hoc a Philosophia prima mutuatur.*

Omissis quorumcumque Ontologistarum placitis, probatur:

a) Ita Leo papa XIII: “ Perpetuus et multiplex requiritur philosophiæ usus ut sacra theologia naturam, habitum inge-

[1] In 2. 2., q. 2, a. 10.

[2] Quam alii *Ontologiam* vocant, seu *scientiam de ente: οντος–λογος*. Cf. Card. Gonzales, *Philosophia elementaria*, Vol. II, qui de his inter omnes hodiernos mentis perspicuitate excellere nobis videtur.

niumque veræ scientiæ suscipiat atque induat [1]. „ Quod sane præsertim intelligendum est de *Philosophia prima*.

b) Idem ex rerum praxi iterum liquet, in tota Ecclesiæ aut theologiæ historia, ubi patet eximios maxime doctores etiam rerum metaphysicarum scientia excelluisse, inter quos eminet Angelicus, qui " philosophicas conclusiones speculatus est in rerum rationibus et principiis, quæ quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda... Præterea rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum jura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomæ pennis evecta, jam fere nequeat sublimius assurgere; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adjumenta præstolari, quam quæ jam est per Thomam consecuta [2]. „

523. — *c*) Probatur ratione. Theologia dicitur et revera est scientia, non quod procedat ex principiis ratione humana per se notis, sed ex principiis notis in altiori aliqua scientia, scil. in ipsamet Dei Beatorumque scientia [3]. Scientia autem dicenda reapse est quia constituitur conclusionibus quæ ex illis principiis revelatis educuntur. Hinc iterum fit quod conclusiones illæ possunt logico aliquo ordine componi " ut multæ ac diversæ cœlestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, et suis quæque locis convenienter dispositæ et ex propriis principiis derivatæ, apto inter se nexu cohæreant; demum ut omnes et singulæ suis iisque invictis argumentis confirmentur [4]. „

Atqui hæc omnia præstari nullatenus possunt, nisi ontologiæ seu metaphysicæ generalis aut philosophiæ primæ opera, quæ est *scientia entis in genere*, seu cognitio rerum per altissimas causas, unde et *sapientia* audit. Illa quippe scientia agit tum de entis notione; tum de entis principiis constitutivis seu de actu et potentia, de essentia et existentia, de supposito et subsistentia, tum de principiis cognitionis entis, præsertim de

[1] Const. *Æterni Patris*. Cf. Anselm., *Cur Deus homo*, c. II; Origenes, *De Princip.*, Præf., n. 3; August., *Epist.* cxx, *ad Consent.*, c. I, et seq.

[2] *Ibid.* Quæ Constitutio in prima parte legenda omnino est de hoc præsens argumento nostro.

[3] 1ª, q. 1, a. 2.

[4] Leo Pp. XIII, Bulla *Æterni Patris*.

principio contradictionis; præterea de proprietatibus entis, quæ sunt res, aliquid, unum, verum, bonum [1], ubi de perfecto, pulchro, malo, etc.; postmodum de causis entis, quæ sunt materialis, formalis, efficiens et finalis, necnon et de earumdem variis speciebus; demum de entis speciebus præcipuis, seu de finito et infinito, possibili et impossibili; necessario et contingenti; substantiali et accidentali, etc.

Ex quibus notionibus erui assertum nostrum liquet, seu nihil scientifice innotescere in theologia quod non pendeat ex illis notionibus, præsertim circa existentiam Dei ejusque attributa, Verbi Incarnationem, Ecclesiæ notas, Sacramentorum efficaciam, Eucharistiæ mysterium, etc.

524. – *Confirmatur* 1° Mox infra ostendemus singulas scientias partem suam habere in theologia, juxta illud Cani: " Quod si grammatica semel admittitur, quidni dialectica? Quidni philosophia? An volunt grammatici sibi solis theologiam vindicare, cæteros omnes, dialecticos, physicos, astronomos, geometras ab illius participatione secludere [2]? " Ergo a fortiori idem asserendum de philosophia prima. Etenim " hæc philosophiæ pars cum tabula generali geographica aptissime potest comparari. Sicut enim generalis hæc tabula integrum terrarum orbem summatim ac per præcipua capita continet et exhibet, tabulæ vero particulares continent et explicant minutatim hæc ipsa præcipua capita, ita etiam ontologia entia cuncta scientifice expendit sub quadam universali ratione; scientiæ vero aliæ... ad entia præfata singillatim expendenda descendunt [3]. "

Confirmatur 2° ex odio novatorum contra scholasticorum metaphysicam, qua defendi optime videbant veritatem. Unde Erasmus: " Nonne Lutherus scripsit omnem disciplinam, tam practicam quam speculativam, esse damnatam? omnes scientias speculativas esse peccata et errores? Nonne Melanchthon aliquando damnavit scholas publicas [4]? " — " Ubicumque regnat Lutheranismus, ibi litterarum est interitus. Et tamen hoc genus hominum maxime litteris alitur. Duo tantum quærunt, censum et uxorem [5]. "

Ita cæteri omnes ejusdem sectæ affiniumque sectarum homines,

[1] Qq. Disp. *De Verit.*, q. 1, a. 1.
[2] *Loc. theol.*, L. IX, c. V.
[3] Gonzales, *Philos. Element.*, *Ontologia*, *Prol.*
[4] *Epist.*, Lib. XXXI, ep. 59.
[5] Epist. 116, ad Bilibald. Pirkheimer.

probe rati fidem pro libitu suo quam facillime apud inscios contorquendam fore, ubi fidei scientiam destruxissent.

" Bona igitur et utilis est Ecclesiæ philosophia per se et ad fidem confirmandam ac omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei destruendam, admodum est necessaria, quoniam christianus doctor dum ostendit veram philosophiam sacræ Scripturæ non modo non repugnare, sed magis ei deservire, superbos hujus sæculi ac inflatos vacuosque intellectus, in quos eorum propria tela retorquet, pedibus, ut ita dixerim, calcat, et eorum imprudentiam obmutescere facit, garrulitatemque restringit, atque oves Christi agnosque ac parvulos et ubera sugentes ab eorum rabie potentissime defendit [1]. "

DIFFICULTAS

525. — *Obj.* Incongruum videtur theologiam scientiis humanis indigere: ergo.

Respondet Angelicus: " Hæc scientia accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis non quod ex necessitate eis indigeat,

[1] Ita egregius theologus Fr. Hier. Savonarola, cujus hoc monitum prædictis verbis additum subnectimus: " Verum multi hodiernis temporibus qui volunt videri Legis Doctores ac defensores, conversi sunt in vaniloquium; obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, quia relicta sacrarum Litterarum simplicitate, ad gentilitatem se penitus converterunt, et adulterantes verbum Dei, impleverunt chartas superbissimis obscuritatibus vanissimisque verborum ornatibus, ac stulta apud Deum sapientia pompaque rhetoricorum verborum Deo odiosa, necnon infinitis quæstionibus inexplicabilibus ac inutilibus, quæ mergunt homines in interitum, audientesque subvertunt, et in vestimentis ovium volentes fieri fidei defensores, facti sunt populo Dei lupi rapaces. Dicunt enim se philosophiæ operam dare, ut melius sacras Scripturas quas nunquam legere volunt, intelligant, meliusque veritatem Dei fidemque defendant: sed revera quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, semper addiscentes, ut dicit Apostolus, et nunquam ad veritatis scientiam pervenientes " (*De Ordine Scientiarum*, Lib. III). Haud dissimilia Canus habet (*Loc. theol.*, Lib. IX, cap. I). Cujus hæc alia monita, qua prorsus aurea, exscripta hic volo: " Expositio fidem in auditore sæpe invenit, argumentatio facit. Ubi familiæ nostræ quosdam sæpe risi, qui in eo laborant vehementer, ut D. Thomæ rationes quas identidem ad explicandam fidem congruentes ille infert, perinde ac si essent demonstrationes certæ atque perspicuæ defendant. Nam et adversarios ipsos ridere soleo, qui in eo in quo D. Thomas egregium se fidei administrum præbuit, illum impugnant quasi hostem. Non intelligunt viri magis ad certandum quam ad docendum prompti quæstiones fidei gravissime sanctissimeque proponi, non quia fidem dubitanti auditori facere nitimur, sed quia credenti ea quæ minus percipit et intelligit exponere conamur. " *Loc. theol.*, Lib. XII, cap. V. Cf. Dom. Soto, *De nat. et grat. præfat.*

sed ad majorem manifestationem eorum quæ in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis; sicut architectonicæ utuntur subministrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur [1]. „

§ 2.

Quomodo argui in theologia possit ex Philosophia secunda.

526. — Philosophia secunda vel est de his *quæ ab homine cognoscuntur et ab eodem tamen non efficiuntur;* vel est de iis *quæ ab homine simul et cognoscuntur et efficiuntur.* Hinc bifariam subdividitur tractatio nostra.

I. Quomodo argui in theologia possit ex his quæ ab homine cognoscuntur nec tamen ab eo efficiuntur.

Illa quæ ab homine cognoscuntur quin tamen ab eodem efficiantur, sunt vel materialia, de quibus habetur *Physica,* vel partim materialia, partim immaterialia, de quibus est *Physico-metaphysica* [2]; vel immaterialia, de quibus *Metaphysica.*

De singulis agendum occurrit.

1. Quomodo ex scientiis physicis aliquid in theologia probetur?

527. — Cui quæsito cum una solutione responderi nequeat, hinc, juxta rerum naturam, dividenda responsio est, quo plenius clariusque detur.

[1] 1ª, q. 1, a. 5, ad 2ᵐ. Hic de Theologia dicit Angelicus quæ de *Politica* Aristoteles. Is namque Politicam vocat *κυριωτατης και μαλιστα αρχιτεκτονικης.* (*Eth.* Nic. I, 2 coll. *Magn. Moral.* I, 1). Quantum hac transmutatione significatur!...

[2] Vocabulum istud quasi novum inducimus plenioris divisionis causa. Patet autem nobis hic *metaphysicam* idem esse ac *post-physicam,* juxta alterum hujus vocabuli significatum.

Physicam [1] hic dicimus scientiam rerum naturalium latiori sensu acceptam. Res autem physicæ considerari possunt vel in sua natura, unde habetur *mineralogia*, *botanica*, *zoologia;* vel in sua *origine*, ubi de *cosmogonia*, *geogonia*, etc.; vel in sua *mensura* et *quoad locum*, unde sunt *cosmographia*, *geographia*, etc., et *quoad tempus*, unde habetur *chronologia.*

Notandum est rebus physicis adnumerari pariter actiones physicas, seu materiales, de quibus *meteorologia*, etc.

Notandum rursus est quod alias innuebamus, nempe " quod aliqua sunt credibilia de quibus est fides *secundum se;* aliqua vero sunt credibilia de quibus non est fides secundum se, sed solum *in ordine ad alia:* sicut etiam in scientiis quædam proponuntur ut per se intenta, et quædam ad manifestationem aliorum. Quia vero fides principaliter est de his quæ videnda speramus in patria, ideo *per se* ad fidem pertinent illa quæ directe nos ordinant ad vitam æternam, sicut sunt tres Personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis Christi, et alia hujusmodi:..... Quædam vero proponuntur in Scriptura ut credenda, non quia principaliter intenta, sed ad prædictorum manifestationem, sicut quod Abraham habuit duos filios... et alia hujusmodi, quæ narrantur in S. Scriptura, in ordine ad manifestationem divinæ majestatis, vel Incarnationis Christi [2]. "

His prænotatis, tres dantur propositiones.

528. — Propositio I. *Ex scientia rerum physicarum in sua natura, sive simul, sive separatim consideratarum, multipliciter argui potest in re theologica.*

Diximus scientia rerum physicarum sive *simul* sive *separatim* consideratarum. Quod ita peregregie explanat Angelicus: " In partibus universi unaquæque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem. Secundo autem creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores, ulterius autem singulæ creaturæ sunt propter perfectionem totius universi [3]. "

Probatur propositio asserta:

a) Ex ipsis Scripturis, quibus perpetuo ex rebus physicis arguitur ad demonstrandam Dei existentiam, potentiam, bonitatem, præsertim in libro Job, Sapientiæ, Psalmorum, quorum

[1] Ex græco φυσις, *natura.*

[2] 2, 2., q. 1, a. 6, ad 1m.

[3] 1a, q. 65, a. 2.

doctrinam ita compendiose tradit Paulus: " Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur [1]. "

Haud secus perpetuo in Scripturis Creatori tribuuntur excellenter creaturarum etiam materialium excellentiores perfectiones. Ita demum jubemur laudare Deum " de cœlis " et " de terra [2]. "

b) Unde Concilium Vaticanum: " Si quis dixerit Deum unum et verum Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse, anathema sit [3]. "

c) Haud secus Patres ac doctores omnes ex notitia corporalium arguerunt ad inferendas de re theologica conclusiones; imprimis Minutius Felix, S. Dionysius, S. Thomas. Quod ratione agendi comprobarunt, id verbis asseruerunt. Ita Cyrillus Jerosolymitanus: " Tanto major unicuique apparet Deus, quanto sublimiorem homo creaturarum contemplatione fuerit assecutus; cumque animum majori contemplatione subvexerit, majorem quoque de Deo sibi notitiam ac speciem informat [4]. "

Ita Basilius: " Quanto quis altius penetrat rationes quibus condita sunt et reguntur universa, tanto magis Domini magnificentiam speculatur, et, quantum in se est, Dominum magnificat [5]. "

Consentit S. Bonaventura: " Sapientia diffusa est in omni re, quia res omnis, secundum omnem sui proprietatem,... ostendit sapientiam divinam, et qui sciret omnes proprietates, manifeste videret illam sapientiam [6]. "

Brevius S. Thomas: " Rationes rerum quæ sunt intelligibiliter in Deo, sunt sensibiliter in creaturis corporalibus [7]; " unde, juxta Vincentii Bellovacensis effatum, mundus est " quasi quidam liber scriptus digito Dei [8]. "

[1] Ad Rom., I, 20.

[2] *Ps.* CXLVIII. Vide Psalmum integrum. Cf. Canticum *Benedicite omnia opera Domini Domino, etc.*

[3] Const. *Dei Filius.* Ita S. Thomas Dei existentiam et perfectiones plurimas probat ex creationis notitia. Vide egregium opus P. Cornoldi, cui titulus: *Trattato della esistenza di Dio.* Ch. Lévèque, *Harmonies providentielles.*

[4] *Catech.*, IX, c. II.

[5] *In Ps.* XXXIII.

[6] *Hexam.*, Serm. II.

[7] *In Epist. ad Hebr.*, c. IX, lect. I. Plura alia invenies testimonia apud Thomass., *De Deo.*

[8] *Specul. Nat.*, L. I, c. X. Juxta Plotinum mundus materialis est imago mundi

529. — *d*) Probatur ratione.

Scientia rerum naturalium vel est *mineralogia*, latiori sensu accepta, quæ de rebus materialibus, ut sic, tractat; vel *botanica*, quæ de plantis; vel *zoologia*, quæ de animalibus.

Scientia autem rerum materialium, sive tractet de mundo in genere ejusque legibus universalioribus, unde vocatur *cosmologia;* sive de astris et de terra separatim, unde dicitur *astronomia* vel *geologia;* sive de corporum proprietatibus generalioribus, quæ eorumdem naturam non immutant, quasque inspicit *physica*, recentiori significatu accepta; sive de corporum eorumdem particularibus proprietatibus, quibus singulorum immutatur natura ac modificatur, quasque indagatur *chimica*, tum *mineralis*, tum *organica*, ubique summa harmonia apparet, ubique occurrunt eximia rerum mysteria, tum quoad earumdem naturam, tum quoad proprietates viresque et leges [1].

Idem de botanica *a fortiori* dicendum, sive *generali*, quæ dicitur vel *organographia*, dum plantarum organa describit, vel *physiologia vegetalis*, dum plantarum phænomena vitalia eorumque leges inquirit [2], prout speciatim apud philosophos occurrit; vel *methodologia*, dum vegetalium classes, familias, nomenclaturas etc. distribuit. Crescit prodigiorum copia si inquirantur quinam sint plantarum usus, ac innotescant philosopho *botanica pharmaceutica*, *botanica agricola* (ut ajunt), *botanica industrialis*, quæ est *alimentaria*, *tinctorialis*, etc. Unde sive *in se*, seu quoad organa, quoad principium vitale, et quoad varias formas; sive *respectu creaturæ superioris*, id est animalis et hominis, consideretur scientia vegetalium, ille prædictus ordo, illa rerum altitudo effulget.

Idem excellentissime asserendum est de zoologia. Bruta

immaterialis: εἰκὼν ἀεὶ εἰκονιζόμενος; (II Enn., L. III, c. XVIII). Cf. Landriot, *Le Christ de la Tradition;* Labouillerie, *Le Symbolisme de la Nature;* W. Faber, *Bethleem, etc.* Antiqui doctores, imprimis Basilius, Ambrosius, Lactantius, Bonaventura, S. Thomas etc. de opere sex dierum scientiæ ac pietatis causa sedulo tractarunt, ut ex eorum operibus patet.

[1] Cf. Leclerc, *La Physique expliquée à mes enfants, Préf.* Cf. ejusdem *La Chimie, etc.*

[2] Hic præcipue attendendum est quid doceat vera scientia de generatione spontanea, de specierum mutabilitate, etc. contra doctrinas Darwinianas. Cf. opp. cl. Quatrefages, Pasteur, etc. De istius experimentis lege *Rapport de M. Coste, 1864, à l'Académie des Sciences*, et H. Martin, *Les Sciences et la Philosophie, Essai*, III (1869), etc.

namque non tantum materiam ut mineralia possident; non tantum materiam cum motu vitali ut vegetalia, sed etiam hujusmodi vitam sensu percipiunt, indeque dicuntur sensitiva. Sive autem tu philosophus de animalium natura tractes, aut de eorumdem sensibus internis et externis, aut de cognitione et appetitu; sive zoologus aut *zoologiæ generali* studeas, atque inde *anatomiæ* et *physiologiæ comparatæ* incumbas, inquirens rationem variarum classium in regno animali agnitarum, similitudines ac diversitates notans, utilitates indicans ac relationes cum tota creatione, etc.; aut *zoologiæ descriptivæ* seu *zoographiæ* instes, unde tibi speciatim innotescant " Bestiæ et universa pecora, serpentes et volucres pennatæ, „ undique exsurgunt quæstiones et prodigia.

Atqui ex omnibus hisce scientiis, aliisque inde fluentibus, multipliciter argui in theologia potest.

Imprimis enim rerum naturalium scientia *immediate* et *ex se*, plura quæ pertinent ad theologiam asserit quoad naturalia; innuit quoad supernaturalia.

Probat namque Dei existentiam, dum effectus, qui per se existere nequeunt, supponunt; probat Dei attributa, dum effectuum perfectiones aliquo modo in causa existere debent, indeque præsertim elucescit Dei bonitas, sapientia et potentia; probat demum res illas subsistere ac gubernari non posse nisi Deus eisdem adsit per præsentiam, potentiam, essentiam, et tamquam causa exemplaris, efficiens et finalis. Quoad supernaturalia autem præbet plurimas, de quibus supra, analogias.

Deinde plura theologiæ dogmata *mediate* asserit, dum nempe ea quæ in revelatione, præsertim in Scriptura continentur, confirmat; et hoc quidem dupliciter, dum scil. aut *directe* asserit et confirmat ea scientiarum physicarum documenta quæ reapse in Scripturis traduntur; aut *indirecte* etiam ipsa mysteria aliaque credenda, quum scil. demonstrata auctorum sacrorum veritate quoad illas scientias quæ tunc temporis illis innotescere non potuerunt naturaliter [1], facile est eorumdem veritatem et ipsam inspirationem quoad illa etiam quæ *per se* ad fidem pertinent inde colligere, ita ut inquirendus sit Deus " sive

[1] Cujusmodi sunt dogmata quædam de Geogonia, de rerum successione, de arte medica. Cf. H. Reusch, *Bibel und Natur*; Noël de Mussy, *L' Hygiène des Hébreux aux temps de Moïse, etc.*

per Scripturam ejus, sive per creaturam. Quæ utraque nobis ad hoc proponitur intuenda, ut ipse quæratur, ipse diligatur, qui et illam inspiravit, et istam creavit [1]. „

530. – Hoc tamen ultimum dixi quoad illa dogmata scientiarum quæ in Scripturis *reapse* continentur. Nonnunquam enim fit, et antea factum est, ut aliqui in Scripturas proprios conceptus invehant, præsertim ex nonnullis scholasticis, in quo ridendi omnino sunt, quin audiantur cum docilitate, quia periculum sive credentibus sive non credentibus faciunt [2]. Hoc vero præ oculis cuique semper habendum est, nullam scilicet fuisse auctoribus sacris mentem ut de rebus scientificis scientifice ex professo agerent; sed potius in re scientifica nonnunquam communi loquendi ratione utuntur, unde summa opus est prudentia in discernendis quæ in Scriptura reapse asseruntur de quæstionibus scientificis.

Quæ animadversio magni momenti est, non modo ad probandum nullum scientiarum axioma contradicere axiomatibus scientificis in Scriptura reapse admissis; sed etiam ad pensandum quanam ratione aliquando dogmata scientifica, plus minusve hodiernis comprobata, in Scripturis asseri possint [3].

Cæterum probe distinguantur oportet inter doctrinas scientificas, illæ quæ negari aut affirmari, salva undequaque fide, possunt, ab illis quæ ipsi fidei præsupponuntur, quales sunt rerum contingentia, ordo, *teleologia*, etc. Priores quippe quovis modo exprimi potuerunt a sacris auctoribus; posteriores autem asserendæ strictius fuerunt.

Ex omnibus autem dictis patet quomodo " Agit mens æterna quasi ut musicus, qui suum conceptum vult sensibilem facere: recipit enim pluralitatem vocum, et illas redigit in proportionem congruentem harmoniæ, ut in illa proportione harmonia dulciter et perfecte resplendeat, quando ibi est ut in loco suo, et variatur harmoniæ resplendentia ex varietate proportionis, harmoniæ congruentis [4]. „

[1] August., *De Trinit.*, L. II, c. I. Cf. S. Thom., *Serm. in Dom. II Advent.*
[2] Cf. 1ª, q. 68, a. 1; et August., *Sup. Genes.*, L. I, c. XVIII.
[3] S. Th. 1. 2., q. 98, a. 3, ad 2. Cf. Hier. In Jer. XXVIII, 10, 11; in Matth. XIV, 8.
[4] Cusa, *De mente idiot.* L. III, c. VI.

531. — Propositio II. *Ex scientia originis rerum physicarum argui potest in theologia.*

Scientia de rerum physicarum origine dividitur in *cosmogoniam*, quæ de universi principiis in genere tractat, et in *geogoniam*, quæ est scientifica notitia de origine terræ, ac subdividitur in *palæogeologiam*, *palæophytologiam* ac *palæozologiam*, prout de mineralium, plantarum, animalium origine speciatim tractat [1].

Ex hujusmodi vero scientiis argui posse in theologia probatur

a) Auctoritate omnium auctorum qui hodie ex illis scientiis vel adversariorum difficultatibus respondent, vel asserta biblica inde explanant et confirmant.

b) Probatur iterum ratione. Scientiæ namque illæ, præter quam quod nonnullas Scripturæ quæstiones, v. gr. de natura dierum creationis, illuminent, quandoque *directe* probant ea quæ prius de eodem objecto tradiderant Scripturæ, ut puta de rerum recentiori origine: unde *indirecte* confirmant istarum testimonia circa veritates supernaturales, ut supra diximus.

Ex illis præterea educi possunt nonnullæ conclusiones ad theologiam proprie pertinentes, v. gr. de Dei bonitate, sapientia, etc., qui nonnisi ab imperfectiori ad perfectius procedit, inferiora ad superiora ordinat, etc.

532. — Propositio III. *Ex scientia de mensura rerum physicarum argui in theologia potest.*

Res naturales mensurantur *loco* et *tempore*, quia spatium et durationem occupant: unde quoad utrumque probanda propositio est.

A. Ad mensuram loci pertinent *cosmographia* si agatur de universo, et *geographia* si de terrarum nostrarum orbe.

[1] De istis scientiis in ordine ad S. Script. cf. Reusch, *Bibel und Natur*; Meignan, *Le monde et l'homme primitif selon la Bible*; Pianciani, *Cosmogonia naturale comparata colla Genesi*; Gainet, *La Bible sans la Bible*; Moigno, *Les splendeurs de la Foi*, etc.; Arduin, *La religion en face de la science*; Duilhé de Saint-Projet, *Apologie scientifique de la foi.*

Ex illa autem colligi potest quemnam locum in universo occupet terra nostra, ubi tot tantaque impleta sunt mysteria, hincque et Dei bonitas erga nos, et gratitudinis nostræ debitum magis apparent; ex ista vero, indicantur ubinam terrarum Deus misericordias prius meliusque manifestaverit.

Patet iterum ex scientia geographica (idem dic de topographia) confirmari multoties Scripturarum dicta, indeque istarum authentiam, integritatem, incorruptionem, etc., comprobari.

533. — *B.* Ad mensuram vero temporis refertur *chronologia* tum *mathematica*, tum *historica* [1].

Utriusque utilitas sive ad cognoscendam divinorum mysteriorum œconomiam, sive ad explananda plurima Scripturarum testimonia, vel confirmandam earumdem auctoritatem, etc., nemini prorsus ignota esse potest [2]. Imo exinde erui possunt theologicæ congruentiæ, exemplum præstante D. Thoma ubi inquirit utrum congruo tempore Verbum incarnatum fuerit [3].

Prædictis item rerum physicarum scientiis accedere possunt et aliæ scientiæ, v. gr. mathematicæ, mechanicæ, etc., quarum usus nonnunquam in interpretandis Scripturis occurrit, v. gr. de opere sex dierum, seu de mechanica cœlesti; de arca Noe, etc. Ita de multis aliis scientiis physicis, quæ ontologice, vel dynamitice, vel teleologice tibi theologo inserviunt.

Corollarium. " Quod si philosophia theologo utilis et bona est, eam autem nisi philosophorum libris adjutus consequi non potest, non utique sunt ei philosophi negligendi [4]. Cum autem herbarum, lapidum, animantium, arborum, elementorum, aliarumque rerum terrestrium cœlestiumque cognitio sacris litteris intelligendis sit magnopere necessaria, quemadmodum Augustinus docet [5], insanus profecto erit, qui in harum rerum cognitione paranda eos auctores neglexerit, qui et summo ingenio

[1] De his omnibus aliisque cognoscendis, Bibliorum explanandorum causa, lege si libuerit, nonnulla tamen adhibita cautela, egregium opusculum cui titulus : *Aids to the student of the Holy Bible.*

[2] De Chronologia historica imprimis scripserunt Petavius, Newton, Fréret, Champollion, Figeac, Dreyss. Sed inter omnes referantur Benedictini, *Art de vérifier les dates;* Fr. Lénormant, *Manuel de l'histoire ancienne de l'Orient;* Smith, *Hist. de l'Orient, etc.;* Cantù, *Storia Univers., vol. special.*

[3] 3a, q. 1, aa. 5 et 6.

[4] Philosophi olim de scientiis physicis etiam in specie tractabant, quod patet a tempore Aristotelis usque ad tempus Goudin.

[5] *De Doctr. Christ.*, L. II.

et magna pervestigatione, et multi temporis experimentis [1] in his cognoscendis elaborarunt [2]. „

DIFFICULTAS

534. — *Obj.* contra tres propositiones prædictas : Quod tot requirantur theologo scientiæ, hoc nimium videtur: ergo.

Respondet Canus, qui postquam asseruerit theologo necessarias esse physicam, metaphysicam, astronomiam, geometriam, etc., ita prosequitur: " Ego, si theologus isthæc non fuerit consecutus, nihil sane vitupero, id reprehendo si non sequutus, nomen sibi theologi usurpaverit. Illud tamen argumentandi genus, quod ex omnibus locis apte ducitur, perfectum et absolutum est, atque omnes numeros habet, nec præter consummatum theologum cadere in quemquam potest. Cum vero aliquid persuasum est in quo vel mediocria argumenta compareant, id cumulate videtur esse perfectum, propterea quod vulgus theologorum quid absit a perfecto non fere intelligit; quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum [3]. „

Ubi autem magistros in hisce scientiis eligere volueris, Canum sic monentem audi: " Non itaque omnes philosophi scholæ nostræ probati sunt, sed illi de quibus apud Platonem [4] Socrates: " Sunt in mysteriis multi qui gestant ferulam: pauci " vero Bacchi. „ Magnifica vox, et magno viro ac sapiente digna, qua docemur multos utique barba et pallio tenus, sed paucos revera fuisse philosophos. Paucos igitur hos qui scilicet naturæ vim et effata, morum ac vitæ normam via et ratione investigarunt, magnaque ex parte consequuti sunt, theologis esse utiles, hac nos oratione contendimus [5]. „

2. Quomodo ex scientia physico-metaphysica seu anthropologica argui in theologia possit.

535. — Anthropologia, prout ipsamet vox sonat, est *scientia de homine.* Hanc diximus physico-metaphysicam, quia homo corpore et anima constat.

[1] Insani pariter sunt qui hisce nostris temporibus enatam volunt *scientiam experimentalem*, cum semper et ubique plus minus viguerit.

[2] Canus, *Loc. theol.*, L. x, c. v.

[3] *Loc. theol.*, L. xii, c. xi.

[4] *In Phædr.*

[5] *Loc. theol.*, L. x, c. v.

At vero patet hominem scientifice considerari posse quoad *intrinseca*, quibus in propria natura constituitur; et quoad *extrinseca*, quæ ad ipsum pertinent.

Hinc duplex propositio.

536. — Propositio I. *Ex anthropologia, speciatim quatenus est scientia eorum quibus homo intrinsece constituitur, multipliciter argui in theologia potest.*

Probatur

a) Ex usu perpetuo theologorum et apologistarum qui in libris suis illam anthropologiæ partem inducunt, nisi ex professo, saltem ubi opus fuerit, ut puta si agant de immortalitate animæ, ejusdemque spiritualitate, de persona Christi, etc.

Confirmatur ex præcedentibus propositionibus, siquidem homo passim dicitur ac revera est quod dicunt μικρόκοσμος, seu parvus mundus: unde quæcumque dicta sunt utilitate scientiarum quibus innotescit mundus inferior, idem *a fortiori* dicendum est de cognitione hominis scientifica.

Hinc Minutius Felix: " Nec recuso quod Cæcilius asserere inter præcipua connisus est, hominem nosse se et circumspicere debere, quid sit, unde sit, quare sit; utrum elementis concretus, an concinnatus atomis, an potius a Deo factus, formatus, animatus. Quod ipsum explorare et eruere sine universitatis inquisitione non possumus, cum ita cohærentia, connexa, concatenata sint, ut, nisi divinitatis rationem diligenter excusseris, nescias humanitatis [1]. "

537. — *b*) Probatur ratione. Illa namque anthropologiæ pars tractat de homine, sive quoad ipsius naturam, sive quoad operationes ontologice consideratas.

Imprimis circa hominis naturam considerat *corpus*, *animam* [2], et ex utroque *compositum*.

Corpus quidem hominis plurimas sane cum cæteris viventibus materialibus affinitates habet: unde quæcumque erui ex illorum scientia in re theologica superius innuimus vel cursim indicavimus, hæc pariter, imo *a fortiori* de scientia corporis humani dicenda occurrunt.

[1] *Octavius*, XVI.

[2] Scientia corporis humani *Physiologia*; animæ autem humanæ scientia *Psychologia* audit apud hodiernos.

Nonnulla tamen peculiaria sibique propria vindicat scientia ista, sive quoad excellentiorem partium et organorum perfectionem, sive quoad eorumdem majorem harmoniam atque pulchritudinem, membrorum eximiam singularemque conformationem, unde, juxta doctorum effata quorumdam, homo non ad *quadrumanorum* genus pertineat, sed ipse *bimanorum* constituat genus. De quo eximie Lactantius pro nobis: " Cum igitur statuisset Deus ex omnibus animalibus solum hominem facere cœlestem, cætera universa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit, scilicet ut eadem spectaret, unde illi origo est, illa vero depressit ad terram; ut quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum projecta, ventri pabuloque servirent. Hominis itaque solius recta ratio est et sublimis status, et vultus Deo Patri communis ac proximus, originem suam fictoremque testatur [1]. "

Quapropter ipsa physiologia humana theologiam docet, etsi nonnullæ eædemque accidentales diversitates in variis hominum familiis, pro loci et temporis variis circumstantiis inveniantur [2].

Ubi autem de hominis anima tractatur, res summi prorsus momenti in theologia evadit, cum inde probetur existere in homine animam rationalem, seu substantiam simplicem, spiritualem, immortalem, quæ a Deo immediate creatur, etc.

Potest utrumque demum qua unitum considerari, quomodo scilicet anima intellectualis corpori uniatur tamquam unica forma substantialis, ita ut detur unio personalis et essentialis, eodemque modo sit tota in toto corpore et in qualibet corporis parte.

Exinde autem innotescunt hominis facultates intellectivæ ac sensitivæ, atque earumdem habitus, operationes [3], etc.

Prædictam hominis notitiam ubique commendarunt Patres tamquam iter ad Dei cognitionem. Hinc Cyrillus Jerosolymitanus: " Post venerandæ hujus gloriosæ et persanctæ fidei no-

[1] *De Opificio Dei,* c. VIII. Cf. Basil., *Hexam.,* Hom. XI; Cyprianus, *Contra Demetr.,* etc.

[2] Placet commendare opus cl. J. Béclard, *Traité élémentaire de Physiologie.* Cf. D. Frédault *Traité de Physiologie générale.* Vide opp. D. Bossu, Descuret, etc.

[3] Quomodo ex his omnibus demonstrari possit imprimis existentia Dei, disce apud Cornoldi, *Trattato della esistenza di Dio,* c. VI, §§ I-IV, etc.

titiam, te quoque deinceps nosce quisnam sis. Nimirum duplex tu homo institutus es, ex anima et corpore compositus, et idem tibi Deus et animæ et corporis auctor est. Id quoque scito, quod animam habes liberæ potestatis, opus Dei præstantissimum, juxta imaginem Conditoris factam, immortalem propter Deum immortalitatem ipsi conferentem, animal ratione præditum, corruptionis expers... Nunc et audi pro viribus de corpore tuo. Ne quemquam feras eorum qui alienum a Deo corpus istud esse dicunt. Quid vero est quod in admirabili illo corpore criminantur? Quid illi ad decentiam et concinnitatem deest? Quid non in ipsa structura artificiosum? Nonne eos oportuit considerare tum oculorum conformationem splendidissimam, tum quomodo aures in obliquum flexæ jacent, ut auditum sine impedimento admittant? Utque olfactus vapores discernendi, et suaves odores admittendi vi pollet? Ut lingua duarum rerum administra est, gustatus et loquendi facultatis? Ut in abditis locis positus pulmo donatus est irrequieta aeris adspiratione? Quisnam perpetuum cordis pulsum indidit? Quis in tot venas arteriasque distribuit? Quis nervis ossa tam sapienter implicata colligavit? Quis alimenti partem ad supplementum naturæ adtribuens, partem aliam *εἰς ἀσχήμονα διάκρισιν* discrevit, et *τὰ τῆς ἀσχημοσύνης μέλη* verecundioribus abscondit locis? Quis defecturam hominum naturam levi atque facili conjunctione perennem effecit [1]? „

Atqui ex hisce doctrinis plurima eruuntur corollaria maximæ gravitatis in theologia, quod ita asseruit in genere Clemens Alexandrinus: “ Illa videtur maxima esse scientiarum omnium seipsum cognoscere. Qui enim seipsum cognoverit, Deum contemplatur; Deum vero contemplatus Deo fit similis [2]. „

Ex illa enim doctrina colligitur animam in æternitate permansuram; corpora resurrectura [3], hominem esse liberum, operaque meritoria efficere, ipsum appetere verum ac bonum *in genere;* multa pariter illinc eruuntur axiomata quoad virtutum naturam et ordinem, Incarnationis mysterium, Sacramentorum

[1] *Catech. in X Dogm.*, XVIII-XXII. Cf. opus quod summo suo ingenio scripsit Bossuet, cum titulo: *Traité de la Connaissance de Dieu et de soi-même.*

[2] *Pædag.*, L. III, c. I. Cf. Minutius Felix, *Octav. XVI*, edit. Gronovii, quæ tibi plures easdemque egregias subministrabit auctoritates.

[3] *Cont. Gent.*, L. IV, c. LXXIX et seq.

doctrinam, etc., prout perpetuo patet ex S. Thomæ agendi et arguendi ratione.

Hinc in veteri lege jubebatur præfectus chori in suo Hagghithith canere: " Quid est homo quod memor es ejus? gloria et honore coronasti eum,..... Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra [1]! " Utinam et theologus saltem nomen Dei in hoc libro legat [2]!

538. — Propositio II. *Ex anthropologia speciatim quatenus est scientia eorum quæ extrinsece ad hominem pertinent, multipliciter argui licet in theologia.*

Probatur simul et explanatur propositio.

Illa enim quæ in hac anthropologiæ parte discutiuntur ad Scripturam theologiamque pertinent: ergo.

Prob. ant. Hic enim quæritur *primo* quemnam locum inter cætera animalia occupet homo, et quomodo *regnum humanum* constituat; *secundo*, quænam sit hominis origo, de qua etsi incertam se præbeat humana scientia, demonstrat tamen recentiorem esse hominis in terra præsentiam; *tertio*, quænam sit humani generis antiquitas; *quarto*, utrum parentem unum habeat, ubi *monogenistæ* contra *polygenistas* invicte ostendunt humanum genus ab uno principio procedere; *quinto*, quomodo in varias dividatur familias, juxta indolem, characteres physicos, intellectuales, religiosos, morales, etc. (quod præstat ethnologia et palæethnologia [3]); *sexto*, quomodo et quando diversi populi in varias terrarum regiones dispersi fuerint [4].

Quæ omnes quæstiones in Bibliis continentur et proinde ad theologiam pertinent. Optima res ergo erit si vel ex ipsa scientia solvantur [5].

Hinc omnes hodierni theologi, si rerum circumstantias ac

[1] *Ps.* VIII.

[2] Plures ex Germanis auctores de præcedentibus scripserunt, imprimis Kœnig, Altum, Masius, Berrisch, Bach, Perty, etc.

[3] Rem compendiose tradit Béclard, *Traité de Physiologie*, § 430.

[4] De his cf. Quatrefages, *Rapport sur l'Antropologie; De l'unité de l'espèce humaine: Les Géants; Les Pygmées.*

[5] Cf. Bossuet, *Discours sur l'histoire universelle;* F. Lénormant, *Hist. d'Orient;* Smith, *Hist. d'Orient, etc.* Cf. Leroy, *La Providence de Dieu dans les empires, etc.*

necessitates perspexerint, quæstiones illas movent ac solvunt non ex theologia modo, sed etiam ex scientia profana, et hoc quidem non ut istam *a priori* despiciant ac repellant, sed juxta illud Augustini monitum interpretentur, scilicet: „ Hic occurrit admonere cavendum errorem..... ne arbitretur aliquis nostrum adversus istos... subtiliter disserentes, isto testimonio Scripturarum esse nitendum: quia illi non retenti auctoritate Litterarum nostrarum, et nescientes quemadmodum dictum sit, Libros sanctos facilius irridebunt, quam illud repudiabunt, quod vel certis rationibus, vel experimentis manifestissimis probaverunt [1]. „

3. Quomodo ex scientia metaphysica argui in theologia liceat.

539. — Hic metaphysicam intelligimus non cujus objectum *ideale* est, sed *reale*, et quæ entia *μετα τα φυσικα* considerat, utpote quæ substantias spirituales attingit et contemplatur.

Ad illas triplici via, testante S. Dionysio [2], ascendere possumus, nempe *αφαιρετιχῶς*, *αναλογικῶς*, et *ενεργιχῶς*, seu remotione, proportione et operatione, quatenus scilicet vel ab inferioribus removentur defectus, ut perfectiora asserantur; vel ex cognitione animæ nostræ ad cognitionem substantiarum intellectualium earumdemque superiorum pervenimus; vel operationes imperfectiores intellectus nostri absque ullo defectu in substantiis perfectioribus dari posse colligimus.

Qua triplici via metaphysicus ad cognitionem angelorum et Dei ascendit, et *pneumatologiam* ac *theologiam*, utramque naturalem sibi comparat.

Hinc duplex propositio.

540. — Propositio I. *Ex naturali pneumatologia diversimode in theologia arguere possumus.*

Probatur.

a) Imprimis probatur auctoritate omnium theologorum ac doctorum, præsertimque Angelici Doctoris, qui ex ratione plu-

[1] *Sup. Gen. ad litt.*, L. II, c. I. Si plura de præcedentibus cupieris documenta, vide Hettinger, *Apologie;* Moigno, *Splendeurs de la Foi;* Venturoli, *L'uomo preistorico;* Meignan, *L'homme primitif.* His adde Victor Aubin, *Actualité ou Réponses aux objections de la science antichrétienne.*

[2] *De Divin. Nomin.*, c. VII. Vide *Comment. S. Thomæ*, ibid.

rima de angelis concludit. Ipsi namque philosophi gentilium propria ratione angelorum existentiam cognoverunt, quod testatur Tertullianus: " Dicimus esse substantias quasdam spiritales: nec nomen novum est. Sciunt dæmonas [1] philosophi, Socrate ipso ad dæmonii arbitrium expectante..... dæmonas sciunt poetæ; et jam vulgus indoctum in usum maledicti frequentat;..... angelos quoque etiam Plato non negavit; utriusque nominis testes esse vel magi adsunt [2]. " Ergo confirmatur exinde Scriptura.

b) Demonstratur iterum ratione. Existentiam enim angelorum, seu substantiarum simplicium (etsi ipsis asserenda sit essentiæ et existentiæ compositio), demonstramus ex ordine universi, ex entium gradibus, ex hominum consensu, ex factis quibusdam iisdemque certis, etc. Ex illa porro conclusione educuntur corollaria certa de angelorum specifica distinctione, de eorumdem intelligentia, voluntate, operationibus intra et ad extra, etc. Quæ omnia ad scientias theologicas simul pertinere, sive in se certa sint, sive probabilia modo, cuique sane compertum est, ita ut huic asserto insistere prorsus inutile videatur [3].

541. — Propositio II. *Ex theologia naturali diversimode arguitur in theologia revelata.*

Quod rursus ulla vix probatione indiget.

Probatur tamen:

a) Ex omnium doctorum praxi, ita a Leone papa XIII in memoriam revocata: " Hæc vera vel ipsis ethnicorum sapientibus explorata, vehementer est opportunum in revelatæ doctrinæ commodum utilitatemque convertere, ut reipsa ostendatur humanam quoque sapientiam, atque ipsum adversariorum testimonium fidei christianæ suffragari. Quam agendi rationem, non recens introductam, sed veterem esse constat, et sanctis Ecclesiæ Patribus sæpe usitatam. Quin etiam venerabiles isti

[1] Δαιμων idem est ac *genius, spiritus.*

[2] *Apol.*, c. XXII. Cf. Petav., *De Angelis*; Suarez, *De Angelis*; S. Th. in utraque *Summa* et in *Opusc. de Angelis.*

[3] Patet ex cognita angelorum existentia iterum asseri posse existentiam Dei, quod significari videtur ubi Angeli vocantur אלהים *elohim*, quos Hierocles dicit ἀγγελικὸν θεῶν γένος. Cf. Perrone, *Prælect. theol.*, Tract. *De Angelis,* ubi plurima invenies documenta, eademque tum ex sacris tum ex profanis fontibus hausta.

religiosarum traditionum testes et custodes formam quamdam ejus rei et prope figuram agnoscunt, in Hebræorum facto, qui Ægypto excessuri, deferre secum jussi sunt argentea atque aurea Ægyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet mutato repente usu religionis veri Numinis, ea supellex dedicaretur, quæ prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat [1]. „ Quod de theologia naturali imprimis intelligendum esse vult idem Pontifex; sic enim prosequitur infra: " Divinæ sapientiæ eloquiis graviter reprehenditur eorum hominum stultitia qui " de his quæ videntur bona, non potue-" runt intelligere eum qui est; neque operibus attendentes, " agnoverunt quis esset artifex [2]. „ Igitur primo loco magnus hic et præclarus ex humana ratione fructus capitur quod illa Deum esse demonstret: " A magnitudine enim speciei et crea-" turæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri [3]. „

" Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita imprimis sapientia, quam nulla usquam res latere, et summa justitia, quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsam etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex quo consequi perspicuum est, ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet [4]. „

b) Theologia naturalis est quasi præambulum necessarium et intrinsecum theologiæ revelatæ, ita asserente S. Thoma: " Deum esse et alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur *Rom.* I, non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos [5]. „

542. — *c*) Demonstratur assertum ex ipsa rei natura, et hoc quidem duplici modo.

Primo enim, probata semel ex creaturarum spectaculo existentia primi motoris immobilis qui sit actus purus, pronum est inde colligere eum esse spiritum, eidem competere intellectum, voluntatem, providentiam, omnipotentiam; verbo: omnia attributa sive absoluta, sive relativa.

Secundo, potest theologus, non male aliquando dictus *doctor divinitatis*, creaturis uti ad probanda immediate singula

[1] Const. *Æterni Filius.*
[2] Sap. XIII, 1.
[3] Sap. XIII, 5.
[4] Const. *Æterni Patris.*
[5] 1ª, q. 2, a. 1.

Dei attributa, asserendo nempe in Deo existere et quidem excellentius, omnes perfectiones quæ in creaturis reperiuntur [1].

Quo utroque studio nihil perfectius, nihil sublimius, nihil utilius, nihil jucundius dari potest in hac vita [2].

II. Quomodo argui in theologia possit ex iis quæ ab homine cognoscuntur simul et efficiuntur.

543. — Scientia de his quæ homo cognoscit simul et facit, vel refertur ad *operationes hominis internas*, vel ad *operationes externas*.

I. Quomodo argui in theologia possit ex scientia de operationibus hominis internis.

Hujusmodi operationes sunt vel mentis, et habetur *Logica*, vel voluntatis, et habetur *Ethica*.

1. Quomodo ex logica argui possit in theologia.

Logica est ars seu scientia qua dirigitur ratio in cognitionem veritatis.

Posita et admissa hac definitione, sit:

544. — Propositio. *Ex logica argui potest in theologia.*

Probatur:

a) Auctoritate sancti Thomæ: " Veritas, inquit, secundum quam anima de omnibus judicat, est veritas prima. Sicut enim a veritate intellectus divini effluunt in intellectum angelicum species rerum innatæ, secundum quas omnia cognoscit, ita a veritate intellectus divini exemplariter procedit in intellectum nostrum veritas primorum principiorum, secundum quam de omnibus judicamus. Et quia per eam judicare non possumus, nisi secundum quod est similitudo primæ veritatis, ideo secundum primam veritatem de omnibus dicimur judicare [3]. "

545. — *b*) Probatur ratione.

Ex logica argui potest in theologia, si exinde asseratur Deus *primo* tamquam summus intellectus, a quo ratio nostra parti-

[1] Cf. *Summa theol.*, 1ª, q. 4, a. 2; et q. 13, a. 5, etc.
[2] *Cont. Gent.*, L. I, c. II.
[3] *De Verit.*, q. 1, a. 4, ad 5m.

cipat; *secundo*, tamquam summa regula secundum quam ratio nostra veritatem inquirere debet; *tertio*, tamquam summa ratio veritatum intellectui nostro propositarum; *quarto*, tamquam summa causa operationis intellectualis. Atqui res ita se habet: Ergo.

Patet major; minor probatur per partes; quam tamen intellectam volumus non quidem juxta ontologistarum placita, sed juxta Angelici Præceptoris tutissimam doctrinam.

Probatur prima pars:

Lumen rationis ita esse a Deo probat et explanat Angelicus: " Cum quæritur utrum anima humana in rationibus æternis omnia cognoscat, dicendum est quod aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter. Uno modo sicut in objecto cognito, sicut aliquis videt in speculo ea quorum imagines in speculo resultant: et hoc modo anima in statu præsentis vitæ non potest videre omnia in rationibus æternis. Sed sic in rationibus æternis cognoscunt omnia Beati qui Deum vident et omnia in ipso. Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo sicut in cognitionis principio, sicut si dicamus quod in sole videntur ea quæ videntur per solem: et sic necesse est dicere quod anima humana omnia cognoscat in rationibus æternis, per quarum participationem omnia cognoscimus. Ipsum enim lumen intellectuale, quod est in nobis, nihil est aliud, quam quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ [1]. "

Probatur altera pars:

Summa enim regula, juxta quam intellectus noster de omnibus judicare debet, est principium contradictionis (scilicet *impossibile est idem esse et non esse secundum idem*), juxta illud S. Thomæ: " In his quæ in apprehensione hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud quod primo cadit in apprehensione est ens, cujus intellectus includitur in omnibus, quæcumque quis apprehendit [2]: et ideo primum principium indemonstrabile est: *Quod non est simul affirmare et negare*, quod fundatur supra rationem entis et non-entis, et super hoc prin-

[1] 1ª, q. 84, a. 5. Cf. Qq. Disp. *De Spir. Creat.*, art. 10, ubi hæc habet S. Doctor: " Lumen intellectus agentis est nobis immediate impressum a Deo. "

[2] Hinc negari nequit quin affirmetur; et quin alia omnia principia corruant.

cipio omnia alia fundantur, ut dicitur in IV Metaph. [1]. „ Istud autem principium a Deo esse nullus negare potest, siquidem Deus lumen illud una cum intellectu ad propriam sui imaginem creavit; et præterea homo illud una simul cum natura habet, et tamquam ab eadem sponte effluens: quia autem *causa causæ est causa causati*, hinc Deus, naturæ auctor, luminis illius auctor simul dicendus est.

546. — Probatur tertia pars:

Objectum quod homo per logicam attingit esse pariter objectum intellectus divini sic testatur Angelicus: " Per prius inest rei veritas per comparationem ad intellectum divinum quam humanum, cum ad intellectum divinum comparetur quasi ad causam, ad humanum autem quodammodo quasi ad effectum, in quantum intellectus a rebus scientiam accipit [2]. „ Unde intelligibilitas rerum, seu res qua homini intelligibiles, ab intellectu divino procedit.

Probatur demum quarta pars hisce ejusdem Doctoris verbis: " Operationis intellectus est duplex principium in intelligente: unum scilicet quod est ipsa virtus intellectualis, quod quidem principium est etiam in intelligente in potentia. Aliud autem est principium intelligendi in actu, scil. similitudo rei intellectæ. Dicitur ergo aliquid movere intellectum, sive det intelligenti virtutem ad intelligendum, sive imprimat ei similitudinem rei intellectæ. Utroque autem modo Deus movet intellectum creatum. Ipse enim est primum ens immateriale; et quia intellectualitas consequitur immaterialitatem, sequitur quod ipse sit primum intelligens. Unde cum primum in quolibet ordine sit causa eorum quæ consequuntur, sequitur quod ab ipso sit omnis virtus intelligendi. Similiter cum ipse sit primum ens, et omnia entia præexistant in ipso, sicut in prima causa, oportet quod sint in eo intelligibiliter secundum modum ejus. Sicut enim omnes rationes rerum intelligibiles primo existunt in Deo, et ab eo derivantur in alios intellectus ut actu intelligant, sic etiam derivantur in creaturas ut subsistant. Sic igitur Deus movet intellectum in quantum dat ei virtutem ad intelligendum, vel naturalem vel superadditam, et in quantum imprimit

[1] 1. 2., q. 94, a. 2.

[2] Qq. Disp. *De Verit.*, q. 1, a. 4. Quod assertum fusius explanatur ibid., art. 2, et *Summa Theol.*, 1ª, q. 16, a. 6.

ei species intelligibiles: et utrumque tenet et conservat in esse [1]. „

Quod fit dum *intellectus agens*, mediante specie intelligibili, perducit ad actum *intellectum possibilem.*

Hinc Deus nobis magister est, juxta eumdem Angelicum Doctorem: “ Hujusmodi rationis lumen, ait, quo principia hujusmodi (scilicet prima) sunt nobis nota, est nobis a Deo inditum, quasi quædam similitudo increatæ veritatis in nobis resultantis. Unde cum omnis doctrina humana efficaciam habere non possit nisi ex virtute illius luminis, constat quod solus Deus est qui interius et principaliter docet [2]. „

Nos autem sumus Dei discipuli, dum verum discimus. Etenim “ in discipulo describuntur formæ intelligibiles ex quibus scientia per doctrinam accepta constituitur, *immediate* quidem per intellectum agentem, sed *mediate* per eum qui docet. Proponit enim doctor rerum intelligibilium signa ex quibus intellectus agens accipit intentiones intelligibiles, et describit eas in intellectu possibili: unde ipsa verba doctoris audita vel visa in scripto hoc modo se habent ad causandam scientiam in intellectu sicut res quæ sunt intra animum, quia ex utrisque intellectus intentiones intelligibiles accipit [3]. „ Res autem illæ quæ a Deo tamquam a magistro in mentem discipuli, seu melius in intellectum possibilem recipiuntur, sunt ipsamet prima principia.

Ergo ex logica argui etiam potest in theologia.

2. Quomodo ex ethica argui possit quoad theologiam.

547. — “ Quod ἦθος illi (Græci nempe) vocant, inquit Tullius, nos eam partem philosophiæ de moribus appellare solemus; sed decet augentem linguam latinam nominare moralem [4]. „ Hujus objectum est “ operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo, prout est voluntarie agens propter finem [5]. „

Dividitur autem in *generalem* et *specialem* ethicam, quatenus

[1] 1ª, q. 105, a. 3. Cf. 1ª, q. 79, a. 5, ad 3ᵐ.
[2] *De Magistro*, art. 1. Vide totum articulum.
[3] S. Th., *De Magistro*, a. 1, ad 11ᵐ. De his vide Cornoldi, *Trattato della esistenza di Dio*, cap. VII, §§ V-VIII.
[4] *De Fato*, c. I.
[5] S. Th. in I *Ethic.*, Lect. I.

considerat vel ea quæ omnibus actionibus hominum sunt communia, vel ea quæ particularia sunt aliquibus hominum actionibus aut relationibus.

548. — Propositio I. *Ex ethica generali argui licet in theologia.*

Probatur:

a) Auctoritate Ecclesiæ. Damnata namque fuit ista doctrina, scilicet: " Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant [1]. "

b) Ita sentiunt theologi ac philosophi omnes.

Ergo jus humanum Dei existentiam et attributa supponit.

c) Idem comprobat ratio. In actione quippe humana tria attendantur oportet, nempe *finis*, *actio ipsa*, et *regula* juxta quam fieri actio debet.

Atqui horum trium summa ratio Deus est, ut per singula discurrenti patet.

Omnes imprimis philosophi Deum necessario actionum nostrarum finem ultimum esse et contendunt et probant, ita ut ipsa naturalis felicitas hominis eademque objectiva in solo Deo reponenda censeatur; felicitas autem formalis, eademque naturalis, imo imperfecta qualem in hac vita sortiri possumus, in eodem Deo per intellectionem possidendo consistat [2].

Actionem vero humanam a Deo tamquam a primo motore pendere, ita ut tota quidem ab homine, sed tota simul a Deo sit, probatur et auctoritate et ratione Aquinatis, ejusque discipulorum, ubi asserunt moveri hominis voluntatem a Deo tamquam a principio extrinseco, quin tamen labefactetur humana libertas [3].

Demum summam actionum nostrarum regulam Deum esse patet ex omnium sanæ mentis philosophorum et auctoritate et ratione simul, qui ostendunt omnem voluntatem eo rectam esse quod Dei voluntati conformatur [4], omnemque legem a lege æterna procedere et pendere [5].

[1] *Syllab.*, n. 56; cf. nn. 57-61.
[2] 1. 2., q. 1-6. Cf. Goudin, *Philos.*, vol. IV, *Ethica.*
[3] 1. 2., q. 9, a. 6; et q. 10, a. 4. Cf. Goudin, *Philos.*, vol. IV, *De Prænot. Physica*
[4] 1. 2., q. 19, aa. 9 et 10.
[5] 1. 2., q. 93, aa. 3-6.

Hinc fit ut lex quæcumque, sive naturalis sive positiva sit, utrinque a Deo tamquam a principe supremo dicatur. Lex enim positiva vel est a Deo ipso immediate legem ferente, tumque Deum cum justitia, bonitate, sapientia, etc. ex se probat, atque theologiam revelatam ingreditur; vel ab hominibus posita est, tumque a lege naturali necessario pendet, tamquam conclusio ex principiis naturalibus ducta, aut determinatio quædam aliquorum communium ipsiusmet legis naturæ [1]: at vero ipsamet lex naturalis, quæcumque sit, a Deo est, atque ad ejus voluntatem refertur, necnon et ad divinam Sapientiam essentias rerum earumque relationes dictantem [2]. Hinc lex naturalis ab omnibus agnoscitur tamquam universalis, immutabilis, æterna.

Ex quibus patet tum legem esse a Deo, indeque Deum probari; tum illam in theologia supponi, atque iterum perfici.

549. — *d*) Adducatur et hæc ratio, scil.: Primum moralis doctrinæ principium est: „ Bonum est faciendum et malum vitandum. „ Etenim, „ sicut ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica est quod fundatur supra rationem boni, quæ est: *Bonum est quod omnia appetunt*. Hoc est ergo primum præceptum legis quod bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum, et super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ [3], „ proindeque aliarum pariter legum ex naturali procedentium.

Atqui principium illud connumerandum est inter prima illa principia quæ a Deo immediate menti humanæ imprimuntur: ergo et Deum probat, et in theologiam revelatam pariter tamquam pars ingreditur. Unde ex morali, tamquam principio illi fundata, arguere quisque in theologia potest.

[1] 1. 2., q. 95, a. 2. Cf. q. 94, a. 2.

[2] 1. 2., q. 91, aa. 1 et 2. Cf. Tull., *De Legibus*, L. II, c. IV; Lactant., *Instit. Div.*, L. VI, c. VIII.

[3] 1. 2., q. 104, a. 2. Cf. Taparelli, *Saggio teoretico del diritto naturale*, vol. I, notand. 28; Liberatore, *Instit. Philos. Ethica*, c. III, art. IV.

550. — Propositio II. *Ex ethica particulari arguere in theologia revelata pariter licet.*

Ethicam particularem dicimus quæ diversa jura singulatim contemplatur, scil. jus *individuale* seu *monasticum*, quo indicantur cuique officia implenda erga Deum, erga seipsum, erga proximum; et jus *sociale*, istudque vel *religiosum*, vel *domesticum*, vel *politicum*, vel *ethnarchicum*, prout leges societatis religiosæ, domesticæ, civilis, vel internationalis constituit.

Probatur assertum:

a) Auctoritate Scripturarum, quæ nobis testantur ibi jus quodcumque deficere ubi Deus deest; jus vero ibidem florere ubi adest Deus: unde moralis naturalis quasi fundamentum supernaturalis supponenda est; præterquam quod exinde immediate asserantur divina sapientia et justitia. Ita enim arguit Apostolus: " Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis incorruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis... Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia [1]. " Ita " revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent [2]. "

Ubi autem Dei jura agnoscuntur, florent simul jura humana, testantibus iisdem Scripturis, ubique. Ergo.

[1] Ad Rom., c. I, 23-31. [2] Ibid., v, 18.

b) Idem probatur ex dictis de ethica generali, siquidem ex ista procedat tota ethica particularis. Hinc Minutius Felix christianum ita describit: " Qui innocentiam colit, Domino supplicat; qui justitiam Deo libat; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum; qui hominem periculo subripit, opimam victimam cædit: hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt; sic apud nos religiosior est ille qui justior [1]. "

551. — c) Probatur ratione. Ethica particularis nobis jura et officia [2] singularia præscribit, quorum omnium et singulorum ratio summa Deus est. Ergo.

Probatur antecedens. Officia enim et jura ex rerum ordine procedunt, sive individuum, sive societatem aliquam respiciant. Porro ille ordo quoad singula prorsus Dei naturæ innititur.

Individuum imprimis, cui pertinet jus individuale, officia implenda habet erga Deum, erga seipsum, erga homines cæteros, et hoc præscribit ordo, qualis ab omnibus agnoscitur et asseritur.

Ordo siquidem necessario præscribit Dei Optimi Maximi cognitionem et amorem [3], et hoc quidem non modo qua auctoris naturalium, sed et supernaturalium, si Deus ista concesserit: licet enim supernaturalia extra naturam sint, attamen officium accipiendi supernaturalia, si velit Deus, non est extra naturam. Ille autem ordo est vel absolute vel hypothetice necessarius, et legem naturalem aliquam constituit. Ergo ex eodem in theologia revelata arguere possumus, imprimis cum gratia naturam non tollat.

[1] *Octav.*, n. XXXII.

[2] In Deo jura dantur, non officia: in homine utraque dantur. De quibus hæc egregie notat Liberatore: " Lex cum aliquid præcipit vel concedit non modo ordini rerum objectivo, prout a Supremo omnium principe, nempe Deo, procedit, humanam voluntatem conformat ac subjicit; verum etiam quoad actionem exserendam vel necessitatem imponit vel potestatem facit. Primum appellatur officium, alterum retinet denominationem juris, propterea quod ipsi e regione respondet præceptio in aliis non turbandi exercitium facultatis, quam lex concessit. Si igitur ad angustiorem hanc et magis vulgatam significationem nomen juris restringamus, tractatio nostra tota versatur in definiendis ac describendis officiis et juribus quæ ex lege naturæ derivantur. Quorum sane inter se tanta est relatio, ut nunquam dissociari quoad existentiam vel etiam cogitationem possint. Nam hoc ipso quod quis officio aliquo adstringitur, jure ornatur implendi ea quæ ad illius executionem requiruntur: nec potest alicui jus conferri quin hoc ipso ceteri officio teneantur non obsistendi exercitio juris illius " (*Instit. Philos. Ethica; Jus naturale, Introd.*).

[3] Cf. Liberatore, *op. cit.*, c. II.

Illud rursus exigit ordo naturalis ut homo nonnulla erga seipsum officia observet, intellectum vero ornet, voluntatem bono confirmet, passiones rationi submittat, vitam corporalem servet (cujus altum dominium habet Deus) etc.: qui ordo iterum a Deo est. Ergo in theologiam iterum induci poterunt hujusmodi officia.

Idem collige quoad officium diligendi cæteros homines, bona eorumdem procurandi vel non lædendi.

Hæc omnia postulat ordo naturæ, qui a Deo solo est; unde remoto Deo, removetur ultima ratio ordinis illius, etsi ejusdem in homine semper remaneant aliqua vestigia. Merito igitur et philosophus et theologus de his agunt.

Haud secus deinde arguimus quoad societatem, seu jus sociale. Societas est unio plurium individuorum ad eumdem finem iisdem mediis conspirantium: qui finis rationem boni sane sortitur.

Bonum autem homini propositum vel est *divinum*, et hoc quærit *societas religiosa;* vel est *humanum*, quod iterum duplex erit: vel scilicet est bonum speciei, et hoc procurat *societas domestica*, cujus scopus est conservatio speciei; vel est bonum individuorum non distributive sed collective sumptorum, et hoc procurat *societas civilis* seu *politica* [1].

Accedit societas non individuis personis, sed populis immediate composita, et dicitur *societas internationalis*.

Atqui harum omnium societatum normas, leges, ordinem ipsamet, qualis a Deo est, natura statuit, ita ut de his pleno jure tractet philosophus.

Cum autem de iisdem et theologia revelata formali suo respectu tractet, hinc patet ex illis in theologiam induci confirmatio posse. Unde non modo jura omnia Deum supponunt ac demonstrant, sed ipsa præterea semel supposita et admissa ex ratione doctrinam theologicam confirmare omnino possunt, ubi ista de iisdem tractet.

Quæ omnia cæterum infra ex dicendis de *Experientia* confirmabuntur.

Ergo ex scientia morali arguere licet in theologia [2].

[1] Cf. Cornoldi, *Trattato della esistenza di Dio*, c. VII, §§ XIII-XV, ubi thesis nostra quoad hanc partem fusius ostenditur.

[2] Cf. Taparelli, *Saggio di diritto naturale;* Liberatore, *Inst. Philos., Ethica;* Zigliara et Gonzales, *Moralis*.

II. Quomodo argui in theologia possit ex scientia de operationibus hominis externis.

552. — Hujusmodi scientia vocatur æsthetica.

Porro, sicut metaphysica *verum* respicit, et moralis seu ethica *bonum;* ita æsthetica *pulchrum.*

Omissis variis interpretationibus, æstheticam dicimus *scientiam pulchri* [1].

A pluribus pulchrum definitum fuit " splendor veri [2]. " Quæ definitio ex omnibus quæ circumferuntur nobis magis placet, dummodo *verum* illud non tam verum logicum, quam verum ontologicum intelligatur.

Verum illud supponit *primo* rei integritatem qua nihil ex debitis rei deest; *secundo*, proportionem qua omnia componentia sibi invicem consonant loco, numero, mensura, etc. Quæ duo ad pulchrum quidem requiruntur tamquam conditiones necessariæ, ipsum tamen non constituunt essentialiter: unde tertio requiritur *splendor* qui pulchri essentiam constituit, remque pulchram facit.

Quæ pulchri notio omnibus omnino convenit quæ pulchritudine donari dicuntur.

Hinc pulchrum ex effectu rursus definitur *quod visum seu intellectum placet*, quia nempe nihil aliud est quam verum splendens.

Est autem vel *spirituale*, vel *physicum*, vel utroque compositum, seu *humanum* [3]. Sed de his omnibus alias fusius ab aliis dicatur: imo et a nobis aliquando forsan dicendum erit.

Sit ergo

[1] De æsthetica plurimi, hisce præsertim ultimis temporibus, scripserunt. Indicare libet Raph. Mengs, *Opp.;* Cousin, *Du Vrai, du Beau et du Bien;* Charles Lévêque, *Science du Beau;* quorum doctrina propius ad scientiam veram pulchri accedere videtur. Cf. *Del Bello*, *questione inedita di S. Tommaso.* Quod tamen S. Thomæ esse nullatenus asserimus, etsi nihil repugnet ea doctrina. Adeas iterum Taparellii S. J. *Saggio sul Bello;* Gonzales, *Philosophia Elem.*, *Ontologia,* c. II, art. V, et *Estudios*, L. II, c. XXVIII; Jungmann *Aesthetik;* Vallet, *L'idée du Beau dans la philosophie de S. Thomas.* Rio, Félix Clément, Ortigue, etc. in suis opp. passim.

[2] Platonis esse hanc definitionem aliqui voluerunt, plurimi negant. Parvi cæterum ad rem nostram refert.

[3] Cf. 1ª, q. 39, a. 8; 2. 2., q. 145, a. 2, etc.

553. — PROPOSITIO. *Ex æsthetica arguere in theologia præstat, et quidem diversimode.*

Probatur:

a) Exemplo doctorum, præsertim SS. Dionysii, Augustini et Thomæ, qui ex pulchris creatis ad pulchrum increatum assurgunt, tamquam ad causam *exemplarem*, *efficientem* et *finalem* [1].

Ita passim catholici doctores omnes [2].

b) Probatur ratione.

Diximus in propositione diversimode argui posse ex æsthetica in re theologica, quod fit dupliciter:

Primo scilicet ex principio causalitatis, ut mox diximus, quum nempe omnis pulchritudo creata ad Deum tamquam ad causam tripliciter intellectam refertur.

Secundo, inductione, quia nempe videmus res creatas eo pulchriores esse quo magis de Deo participant et participare videntur; eoque minus pulchras quo plus abest Deus, et hoc quidem sive quoad pulchritudinem spiritualem, physicam aut humanam, sive quoad pulchritudinem *absolutam* seu cuique rei competentem singulatim; sive quoad pulchritudinem *relativam*, quæ singulis rebus ex ordine ad universa provenit.

Hinc et pulchritudines naturales in pulchritudinibus supernaturalibus supponuntur ac perficiuntur; et utræque simul eumdem Deum testantur et proclamant. Ergo.

ARTICULUS II.

DE EXPERIENTIA QUA LOCO THEOLOGIÆ IMPROPRIO.

554. – Experientiam hic latiori quodam significatu definimus cognitionem ope sensus vel conscientiæ [3] habitam de re aliqua

[1] Textus passim afferuntur. Cf. *Del Bello. Questione inedita di San Tommaso*, cum notis Nuntii Signoriello. Vide Dante, *Parad.* XIII, 58-81.

[2] Immo non dissentiunt et alii plus minusve orthodoxiæ addicti: " L'idéal " recule sans cesse, ait Cousin, à mesure qu'on en approche davantage : son " dernier terme est dans l'infini, c'est-à-dire en Dieu; ou, pour mieux parler, " le vrai et absolu idéal n'est autre que Dieu même. Dieu étant le principe de " toutes choses doit être à ce titre celui de la beauté parfaite, et par consé- " quent de toutes les beautés naturelles qui l'expriment plus ou moins par- " faitement. „ *Du Vrai, du Beau et du Bien,* Lec. VII.

[3] Liquet hic non agi de conscientia morali, seu de synderesi, sed de conscientia psychologica.

nobis per se vel per proprietates præsenti, et hoc quidem sive quoad naturalia sive quoad supernaturalia facta.

De hac tractatione acturus H. Savonarola, hæc habet: " Quia præsentia melius quam præterita (idem dic de quovis modo distantibus) cognoscuntur, faciliusque præteritis quam præsentibus fides abrogari potest, primo rationum fundamenta ponemus in iis quæ cum quotidie in Ecclesia a christianis fieri cernantur, et ad sensum pateant, negare nemo potest.

" Loquor autem non de malorum christianorum operibus, qui potius ab Ecclesia seclusi sunt; sed de iis quæ a bonis fiunt, qui non tantum nomine, sed operibus sunt christiani.

" Deinde rationes adducemus super iis stabilitas quæ gessit Christus, et quæ omnibus exploratissima sunt: præsentia siquidem præteritis fidem adstruent manifestam [1]. "

Idem fere iter secuti, experientiam pro re nostra dividimus in *subjectivam* et *objectivam*, prout facta connotat vel *in ipso experiente* vel *extra* completa.

§ 1.

Quomodo ex experientia subjectiva arguere liceat in theologia.

555. — Experientia subjectiva referri potest vel ad facta apud omnes *communia*, vel ad facta aliquibus *singularia*. Inde duplex propositio.

PROPOSITIO I. *Ex experientia subjectiva, si ad facta in omnibus communia referatur, argui certo potest in theologia.*

Probatur.

a) Ita verbis et exemplo docent theologi omnes, qui plurimas veritates experientia hujusmodi notas in theologiam inducunt, vel ex eis consequentias ad theologiam pertinentes educunt. Sic experimur in nobis existentiam animæ et ejusdem imperfectiones [2], impossibilitatem inveniendi felicitatem in creaturis: unde colligi potest existentia Dei veritatis et bonitatis perfectæ [3]. Ita experimur illam felicitatem nobis aliquatenus in terris concedi, ubi Deo adhæremus, etc.

[1] *Triumphus Crucis,* Lib. II, *Proœm.*
[2] S. Th., Qq. Disp. *De mente*, art. 8 et 9.
[3] 1ª, q. 79, a. 4.

b) Probatur ratione. Experientia namque testimonio vel conscientiæ vel sensus constat, quorum circa objecta propria tanta est certitudo ut criteria veritatis habenda sint, sicut passim demonstrant philosophi.

Atqui dantur facta immediate vel mediate ad theologiam pertinentia, quæ in proprio objecto vel sensuum vel conscientiæ continentur: ergo omnimoda sinceritate ab istis referuntur.

Sed vero huic sensuum et conscientiæ testimonio respondere rem ipsam nullus inficiari potest, cum agatur, ut diximus, de experientia communi, unde et pluralitas testimoniorum, et impossibilitas convenientiæ eorumdem extra veritatem, veritatem istam omnino certam faciunt.

556. — Propositio II. *Ex experientia subjectiva quoad facta privata et particularia, argui per se probabiliter; per accidens autem certo argui potest.*

Probatur utrumque simul.

a) Ex Scripturis utrumque innuentibus, „ Ipse enim Spiritus, ait Paulus, testimonium reddit Spiritui nostro quod sumus filii Dei[1]. „ Et Joannes: „ Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum[2]. „

b) Probatur ratione. Tria requiruntur ut facta illa testimonium certum theologo præbeant, nempe quod sint in se certa, quod certo a Deo sint, et quod certa sit eorumdem significatio.

Atqui hæc tria non *per se*, sed *per accidens* tantum experientiam illam concomitantur, ut patet. Ergo.

Quisque autem facile intelliget tres conditiones illas promptius ipsi experienti quam cæteris dari posse, unde et promptius probabilitatis limites transibit.

§ 2.

Quomodo ex objectiva experientia arguere quis probe possit in theologia.

557. — Cum experientia per præsentiam ipsius rei fiat, hinc habetur experientia de Deo, cum ipse nobis aliquid sui imme-

[1] Rom. VIII, 16.

[2] I. Joan. III, 21. Cf. Natal. Alex., *In Epist. ad Rom.*, VIII, 16, sensus moral. De his legas, si libuerit, Maine de Biran, *Journal;* Ampère, *Correspondance;* Cochin, *Espérances Chrétiennes.*

diate manifestat. *Sapientiam* vero et *potentiam* nobis præsertim ostendit iis signis quæ creaturæ per se nullatenus competere possunt, nisi tamquam instrumento [1]; unde duo credibilitatis motiva præcipua numerantur, *prophetiæ* scilicet et *miracula*, et duplex experientia objectiva distinguenda est.

I. Quomodo ex objectiva experientia quoad ea quæ sunt Dei sapientis argui in theologia possit.

558. — Dei sapientia exinde imprimis manifestatur quod nobis revelentur ea quæ propriis intellectus viribus cognoscere non valemus, vel imperfecte cognoscimus.

Aliqua autem revelatio dupliciter intellectum nostrum superare potest, nempe vel rerum revelatarum distantia tum quoad tempus, tum quoad locum, indeque habetur *prophetia;* vel earumdem excellentia et certitudine, tuncque habetur *doctrina revelata.*

559. — Propositio I. *Ex prophetia effectu comprobata argui certo in theologia potest.*

Prophetia definiri potest *prævisio* et *prænuntiatio futuri contingentis;* diciturque a προφημι, quod est *prædicere*, et vocatur etiam μαντικη, seu *præsagitio*, *præsentio*. Haud secus apud Hebræos utrumque supponebatur significatum, ubi prophetia mox מראה, *visio*, seu חזון, *prospectus*, mox נבואה, *annuntiatio*, dicebatur [2].

Diximus autem *prophetia effectu comprobata*, cum solo effectu comprobetur adæquatio rei cum ipso asserto, indeque ipsius prophetiæ veritas [3], etsi tamen alicujus prophetiæ veritas quasi *a priori* demonstrari possit ex prophetantis cognita cæterum scientia et veracitate.

Probatur:

a) Ex verbis Christi: “ Scrutamini Scripturas, inquit, et

[1] 2. 2., q. 178, a. 1, ad 1^{m}.

[2] Cf. I. Reg. IX, 9, et Basil., *In Is. Præf.* De Prophetia, vide S. Th. 2. 2., qq. 171-175; et loca parallela; Huet, *Demonstr. Evang.*, T. I; Hettinger, *Apologie der Christentums;* Wetzer und Welte, *Kirchenlexicon*, *etc.* — De vario significatu voc. *Propheta*, in Scripturis, cf. Glaire, *Dictionn. des Sciences Ecclés.*, ad voc. *Prophète;* Dupin, *Sur la Prophétie;* Calmet, *Diss. sur les Proph.;* Reinke, *Einleit in die Weissengungen Beiträge;* Monsabrè, *Introd. au dogme*, confér. XI-XX.

[3] Jer. XXVIII, 9; Joan. II, 19-22.

illæ sunt quæ testimonium perhibent de me..... Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis [1]? „

Hinc S. Petrus: " Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco [2]. „

Ita S. Paulus imprimis ex prophetiis Evangelium laudat et prædicat, utpote " quod (Deus) ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis [3]. „

b) De quo Vaticana Synodus: " Ut fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scil. divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis sunt signa certissima et omnium intelligentiæ accommodata [4]. „

c) Haud secus theologi doctoresque omnes, quorum omnium nomine audiatur Tertullianus solus: " Idoneum testimonium veritatis veritas divinationis [5]. „

Concordant ipsi gentiles: " Siquidem, ait Tullius, ista sic reciprocantur ut et si divinatio sit, dii sint; et si dii sint, sit divinatio [6]. „

560. — *d*) Cujus doctrinæ rationem ita exponit H. Savonarola, supposito prophetiam duplici modo, verbis nempe et signis, fieri posse: " De futuris contingentibus, ait [7], non est determinata veritas, de quibus neque ars, neque scientia esse potest.

[1] Joan. v, 39, et 45-47. Alludit Christus ad Gen. III, 15; XXII, 18; XLIX, 10; Deut. XVIII, 15.

[2] II. Petr. I, 19. Lege contextum. Hunc locum authentice interpretata est Vaticana Synodus in Const. *Dei Filius*, c. III.

[3] Rom. I, 2. Cf. Luc. I, 68; XXIV, 27.

[4] Const. *Dei Filius*, c. III.

[5] *Apol.*, cap. XX. Cf. Aug., *Cont. Faust.*, L. XII, c. XLIII et XLIV, etc.

[6] *De Divin.*, L. I, c. V. Cf. *ibid.*, c. I.

[7] Ne quis miretur Savonarolam qua doctorem eximium adduci (nec desunt ignari vel iniqui forsan qui mirabuntur), noto nullum, quod sciam, theologum majori doctrinæ profunditate et perspicuitate demonstrasse veritatem fidei ex effectibus, quam præstitit eximius ille vir in suo *Triumphus Crucis,* Lib. II. Quod opus propriis typis Romæ quondam edidit Congregatio de Propag. Fide; eaque editione et nos hic utimur.

Unde a præclarissimis philosophis determinatum est futura contingentia a nobis cognosci non posse: sed hoc tantum ad proprietatem pertinet. Deus enim cum sit æternus, omnia sua æternitate complectitur, omniaque sunt oculis ejus nuda et aperta. Homines vero nequaquam præscire futura contingentia possunt, nisi ab ipso Deo revelentur. Cum itaque S. Scriptura, cum ubique, tum maxime in veteri Testamento futura contingentia et ad liberum arbitrium spectantia, non modo generaliter, sed particulariter etiam prænuntiaverit, neque solum unius anni, aut decem; sed centum, vel mille, duorum quoque ac trium et quatuor millium annorum vaticinia prodiderit eorum quæ non tantum Hebræis contigerunt, et a Christo ejusque Ecclesia gesta sunt, sed quæ omnibus fere gentibus et regnis, Assyriorum scilicet, Chaldæorum, Persarum, Macedonum, Græcorum, Romanorum ac aliarum nationum vel prospera vel adversa acciderunt: et sicut multo tempore antequam fierent prædicta sunt, ita ad unguem postmodum evenerunt: necesse est confiteri has Scripturas a solo Deo, non ab hominum solertia et ingenio prodiisse. Quæ vero adhuc implenda expectantur, ex argumento præteritorum, in quibus inviolata veritas emicuit, pro certis habenda sunt [1]. Atque inde colligere facile possumus Deum optimum non parvam hominibus curam ac rebus humanis Providentiam adhibere.

" Præterea, cum Deus sit solus futurorum contingentium præsciens, non potest alicujus hominis sagacitas et industria magnorum virorum ac rerum gesta, et bella, variosque hominum casus ita disponere et seriatim ordinare, ut sint signa futurorum, quoniam hominis arbitrio et voluntati non subjiciuntur; sed præter illius spem alios et alios plerumque sortiuntur eventus. Solus ergo Deus statuere potest ut aliqua ab hominibus fiant quæ futurorum temporum gesta prorsus significent. Videmus autem in sacra Pagina quod quæcumque in novo Testamento hactenus tractata vel tractanda sunt, in prisco seu veteri Testamento effigiatim præsignata sint et expressa...

" Quamobrem huic soli Scripturæ allegorica competit expositio... Allegoricum sensum eum appellamus qui hæc tria habet,

[1] Hinc veteres Prophetæ suam missionem confirmabant. Cf. Hieron., *In Is.*, c. XXXVII; Rupertus, *In Oseam*, *Prolog.* Qui probationi et miracula addebant. Adeas Becanum, *Analogia Vet. ac Novi Test.*, cap. VIII, q. III.

ut scil. *primo* juxta vocum significationem historia mera tam dictorum quam gestorum et narratorum absque figmento demonstretur; *secundo*, quod per ea quæ gesta sunt futurorum aliquod aliud significetur; *tertio*, quoad eadem gesta fuerint ad insinuandum optime coagmentata. Ex quibus patet quod talem continentiam et seriem nulla contexere potest disciplina: sed solus Deus, cujus infinita providentia circa futura non fallitur [1]. „

561. — *Corollarium.* Ex dictis colliges veras prophetias nullatenus esse vividioris imaginationis partum, neque ægre a falsis distingui, sed “ (præscientia Dei) tantos habet testes, quantos fecit prophetas [2]. „

[1] *Triumphus Crucis,* L. II, c. VIII.

[2] Tertull., *Adv. Marc.*, L. II, V. — Isti fuerunt præcipui in utroque Testamento prophetæ: Moyses (Num. XII, 6; Deut. XXXIV, 10), Josue (Eccli. XLVI, 1), Samuel (I. Reg. IX, 6), David, Gad (I. Reg. XXII, 7), Nathan (II. Reg. VII, 2; II. Paral. IX, 29), Ahias Silonites (III. Reg. II, 29; II. Paral. IX, 29), Addo (II. Paral. IX, 29), Michæas, filius Jemla (III. Reg. XXII, 8), Elias Thesbites (III. Reg. XVII, 1), Eliseus (III. Reg. XIX, 16), Isaias filius Amos, Jeremias filius Helciæ, Ezechiel filius Busi, Daniel qui et Balthasar (hi quatuor ultimi vocantur *majores*), Ose, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas Morastites, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias (qui duodecim ultimi vocantur *prophetæ minores*), Joannes Baptista (Luc. I, 76), Zacharias pater Joannis Baptistæ (Luc. I, 67), Simeon (Luc. II, 26), Joannes Evangelista (in Apocalypsi), Paulus Apostolus (Act. X, 23; XXVII, 22), Agabus (Act. XI, 27; XXI, 10). — Fuerunt etiam Prophetissæ, scil. Maria soror Moysis (Exod. XV, 20), Debora, uxor Lepidoth (Judic. IV, 4), Holda, uxor Sellum (IV. Reg. XXII, 14), Elisabeth mater Baptistæ (Luc. I, 41), Anna, filia Phanuel (Luc. II, 36), et quatuor filiæ Philippi (Act. XXI, 9). Inter omnes eminuerunt Christus, qui plura de se suaque Ecclesia prædixit; et B. V. Maria quæ et futura de se ipsa prænuntiavit (Luc. I, 48). Hos indicat Becanus in suo eximio opere: *Analogia Vet. ac Novi Testam.* (cap. VIII, qq. I et XI), quibus merito adnumerandos putat et illos qui futura de Christo actionibus factisve suis prænuntiaverunt (Cf. Natal. Alex., *Hist. Eccl.*, T. II). Plura ibidem addit de falsis in utroque Testamento prophetis et prophetissis (qq. VIII, IX, X, XI), quæ et tu lector apud Becanum leges, dum libuerit. Cf. Lamy, *Introd. in S. Script.*, vol. II, cap. XVIII; Reinke, *Einleit in die Weissagungen.*

Christum fuisse imprimis prophetiarum objectum res notior est quam quæ asseratur (Act. III, 24). Cf. cæterum Opstræt, *De Loc. theol.,* Diss. I, q. I, nn. 1, 2; Natal. Alex., *Hist. Eccles.*, T. II, passim, ubi de singulis prophetis; Becanus, *Analogia,* cap. VIII, q. IV; Meignan, *Prophéties Messianiques, etc.* Eadem partim invenies apud theologos, ubi de Christo prænuntiato, in Tractatu de Incarnatione agunt.

En cæterum illustriores de Christo ejusque Ecclesia prophetiæ:

Christus nasciturus de semine Abraham (Gen. XII, 43; XVIII, 18; XXII, 18); de semine Isaac (Gen. XXVI, 4); de semine Jacob (Gen. XXVIII, 12, 14; Num. XXIV, 17); de semine Judæ (Gen. XLIX, 10); de semine Jesse et David (II. Reg. VII,

DIFFICULTATES

562. — *Obj.* 1° Auctores quos prophetas dicunt, utuntur diverso stylo: ergo ex se, non ex Deo loquuntur.

Resp. conc. antec. et neg. conseq. Diximus namque et probavimus non requiri inspirationem, sed sufficere assistentiam quoad verba quibus utuntur auctores sacri ipsique prophetæ. Unde S. Thomas, cum sibi objecisset prophetiam recipi in

vers. 12, 13, seq.; I. Paral. XVII, 11, seq.; Psal. LXXXVIII, 4, seq.; Is. XI, 1, seq.; Jerem. XXIII, 5, 6; XXXIII, 15, seq.); de semine Salomonis (Ps. LXXI, 1 et 7).

Christus nasciturus de virgine (Is. VII, 14; Jer. XXI, 22; Ezech. XLIV, 2, 3).

Nasciturus in Bethleem (Mich. V, 2).

Quando nasciturus (Gen. XLIX, 10; Dan. II, 40, seq.; IX, 24, seq.; Agg. II, 7, seq.; Malach. III, 1, seq.).

Nominandus Jesus (Is. XII, 3; LI, 5; LXII, 1 et 11; LXIII, 8, 9; Habac. III, 18; Zach. IX, 9); et Emmanuel (Is. VII, 14).

Adorandus a Magis (Ps. LXXI, 9, seq.; Is. LX, 6).

In Ægyptum fuga iturus (Os. XI, 1).

Infantium cædes ab Herode perpetrata (Jerem. XXXI, 15).

Moraturus in Nazareth (Is. XI, 1).

Humilis ei vita (Is. LIII, 2, seq.).

Joannes Christi præcursor (Is. XLIX, 3, seq.).

Descensus Spiritus S. et testimonium Patris in Christum (Is. XI, 2, 3; XLII, 1, seq.; LXI, 1).

Christus prædicaturus Evangelium (Is. LV, 4, seq.); in Galilæa et Capharnaum (Is. IX, 1, 2) et quidem utendo parabolis (Ps. LXXVII, 2).

Miracula editurus, ægrosque imprimis sanaturus (Is. XLII, 6, 7; LIII, 4; LXI, 1). Hincque doctrinam confirmabit.

Et tamen humilis erit (Psalm. XXI, 7; XXXIV, 14; LXXXVII, 16; LXXXVIII, 39; Is. LII, 14; LIII, 2; Thren. III, 45).

Imo contemptu et odio habebitur (Ps. XXI, 8; XXXIV, 16; LXVIII, 5; CVIII, 1; Sap. II, 19; Is. LIII, 3; Jer. XXXII, 33; Thren. III, 30, seq.).

Asina vectus Jerosolymam ad patiendum intrabit (Gen. XLIX, 10 et 11; Zach. IX, 9).

Novum sacrificium instituet (Malach. I, 11).

Contra ipsum congregabitur Concilium (Sap. II, 19, 20; Jer. XI, 19).

A Juda prodendus (Ps. XL, 10; LIV, 13).

Triginta argenteis vendendus (Zach. XI, 12, 13).

A suis deserendus (Ps. LXXXVII, 5-9, 19).

Agonia afficiendus (Ps. LIV, 5, 6).

A falsis testibus accusandus (Ps. XXVI, 12; XXXIV, 12).

Sed tamen silentium servaturus (Is. LIII, 7).

A Judæis et Ethnicis condemnandus (Ps. II, 1, 2).

Contumeliis et opprobriis afficiendus (Psalm. XXI, 7; LXVIII, 1; Sap. II, 19; Is. LII, 4); percutiendus in maxilla (Thren. III, 30); vulnerandus (Is. LIII, 5); flagellis cædendus et conspuendus (Is. L, 6); subsannandus (Ps. III, 1).

Cruci affigendus (Gen. XXII, 6, seq.; Num. XXI, 6; Ps. XXI, 17; Zach. XII, 10

propheta secundum dispositionem recipientis, respondet: " Indifferens est ad prophetiam quibuscumque similitudinibus res prophetica exprimatur. Et ideo homo ex operatione divina non immutatur circa prophetiam. Removetur autem divina virtute si quid prophetiæ repugnat [1]. „

563. — *Obj.* 2° In illis quæ apud Christianos jactantur prophetiis, nonnisi verba incerta et plerumque metaphorica habes,

cap. XIII, 16), inter duos latrones (Isaiæ LIII, 12); a prætereuntibus deridendus (Ps. XXI, 7).

Pro tortoribus oraturus (Is. LIII, 12).

Vestimenta ipsius sorte dividenda (Ps. XXI, 19).

Ipse felle et aceto potandus (Ps. LXVIII, 22; Thrèn. III, 5, 15, 19).

Moriturus (Sap. II, 18, seq.; Is. LIII, 7, seq.; Jer. XI, 19; Dan. IX, 26; Zach. XII, vers. 20; XIII, 7).

Moriens Patrem inclamaturus (Ps. III, 2, seq.; XVII, 7, 8; XXI, 1).

Ipso moriente sol defecturus (Ps. XVII, 5; Amos, VIII, 8, seq.).

Christi mortui crura non frangenda (Exod. XII, 46; Num. IX, 12).

Christus in latere perfodiendus (Zach. XII, 10).

Sepeliendus (Is. XI, 10; Thren. III, 53).

Resurrecturus (Ps. III, 6; XV, 9; XXIX, 1; XL, 9; Osea XIII, 14).

In Cœlum ascensurus (Ps. XXIII, 7; XLVI, 6; LXVII, 5, seq.).

Sessurus ad dexteram Patris (Ps. XV, 10; CIX, 1, seq.).

Missurus Spiritum sanctum (Is. LVIII, 21; Ezech. XXXVI, 26, 27; XXXIX, 29; Joel. II, 28, 29; Zach. XII, 10.

Sepulchrum Christi futurum gloriosum (Is. XI, 10).

Ecclesiæ post sterilitatem fecunditas (Is. XLIX, 14; LIV).

Venturæ ad eam omnes gentes (Is. II, 2; Malach. I, 10, 11; Ps. II, 8; XXI, 28; LXXI, 8; XCVII, 4); quia Christus fuerat expectatio gentium (Deut. XXVIII, 43; Gen. XLIX, 10). Abjicientur idola (Is. II, 17; XVII, 7, 8; XIX, 1; XXXI, 7); Reges et nationes servient Ecclesiæ (Is. XLIX, 23; LX, 14; I. Reg. II, 5; Ps. LXXI, 8; Is. II, 2; XI, 10; Osee, I, 10; II, 24).

Ecclesiæ ministri et prædicatores (Is. XL, 9; LII, 7; LXVI, 19; Jer. III, 15; XXIII, vers. 1; XXXIII, 17; Nahum, I, 15).

Ecclesiæ Martyres (Ps. XLIII, 11; LXXVIII, 1; CXXIII, 1; Zach. XIII, 7).

Ecclesia per orbem diffusa (Ps. II, 8; XXI, 28; LXXI, 8; XCVII, 4; Malach. I, vers. 10, 11).

Hinc vero reprobantur Judæi (Deut. XXVIII, 28, 29; XXXII, 21; Is. I, 1; V, 1; XLII, 14; Jer. XXXI, 31, 32; Dan. IX, 26; Os. III, 4; Amos, V, 18; Malach. I, 10, 11).

Illa sunt illustriora Prophetarum testimonia de quibus Zacharias pater Baptistæ: " Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ; et erexit cornu salutis nobis, in Domo David pueri sui: sicut locutus est per os Sanctorum qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus „ (Luc. I, 68-70. Cf. ibid., 55); illa sunt quæ aliquando Christus " incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant „ (Luc. XXIV, 27). — Fusiora invenies apud Knoll, *Theol. Gen.*, Part. II, sec. II, cap. III; Hettinger, *Apologie*, t. I, cap. XVI.

[1] 2. 2., q. 172, a. 3, ad 1m. Ita sentiunt Canus, Contenson, Calmet, Bonfrerius, Bellarminus et alii

ut patet cuique singula ponderanti. Ergo nullæ dantur prophetiæ veræ.

Resp. neg. supp. Falsi enim sunt rationalistæ, dum talia fingunt ac nobis obtrudunt, prout optime probant auctores christiani dum singulas prophetias ponderant. Auctoribus istis lectorem nos remittimus, cum hic omnia agitandi locus non sit [1]. Unum adduxisse exemplum satis sit, quo ostendamus errare adversarios, et veram esse revelationem, siquidem una sufficit certa prophetia ad probandam hujusmodi veritatem. Quod exemplum sumitur ex prophetiis de futuro Christo, cujus nativitatem explicitissime prænuntiaverunt prophetæ, quoad originem, locum, tempus, ita ut nihil clarius unquam dixerit historicus [2].

564. — *Obj.* 3° Prophetia apud Hebræos nullatenus significat futuri contingentis eventum: ergo.

Resp. dist. Vocabulo illo nonnunquam in Scripturis alia quam prædictio futurorum significatur, *concedo;* semper, *nego.* Quandoque enim in Scripturis prophetizare idem est ac signa exteriora furoris prophetici exhibere [3], canere, saltare, instrumentum musicum pulsare [4]; promissionis pignus dare vel remanere [5]; mortuum resuscitare, miraculum facere [6]; Scripturas publico interpretari, prædicare [7]; quia scil. hæc omnia passim præstabant prophetæ. Sed vero sæpe sæpius *prophetare* seu prophetizare nihil aliud est quam inspirari [8], et futurum prænuntiare [9] vel secreta cognoscere [10]. Et de his prophetiis hic nos agimus, easdemque asserimus, et inde arguimus.

565. — *Obj.* 4° Etsi forsan extitissent veræ prophetiæ, nullius tamen quoad nos roboris forent, utpote quæ a falsis discerni nequeunt. Ergo.

Resp. dist. Dari et falsa oracula præter oracula vera nullus est qui dubitet [11], unde *conc.;* falsa autem a veris et *vice versa*,

[1] Cf. Perrone, *Prælectiones Theol.*, *De vera relig. adv. Incred.*, cap. III, art. II, § II, ubi singula fere notantur et solvuntur.

[2] Cf. DD. Lehmann, *La question du Messie.* Quoad tempus nativitatis Christi rem docte et solide tractat Gatti, *Institut. Polem.*, vol. III, cap. I.

[3] I. Reg. XVIII, 10.

[4] I. Reg. X, 5, 6; I. Par. XXV, 1.

[5] Eccli. XIX, 18.

[6] Eccli. XLVIII, 14.

[7] I. Cor. XI, 4, 5; XIV, 1-4.

[8] Exod. VII, 1.

[9] Is. XLIV, 7-9. Cf. Is. VII, 4; XI, 1; XIV, 1; XL, 1; Jer. I, 14; V, 15; XIX, 3, 11, etc.

[10] I. Reg. IX, 19; IV. Reg. V, 25; VI, 12; Dan. II, 26.

[11] Apud Judæos et Christianos extitisse falsos prophetas ipsæ testantur Scripturæ frequentius. Cf. Jer. XXIII, 13; III. Reg. XVIII, 19; XXII, 6; IV. Reg. X, 19;

distingui non posse, *nego*. Criteria enim discernendi sumi poterant vel ex parte Dei, vel ex parte prophetæ, vel ex parte prophetiæ.

Deus autem dupliciter confirmabat prophetarum missionem et oracula. Primo quandoque miracula et prodigia edebat, ut patet in historia Eliæ et Elisei [1]: quod quidem testimonium per se certitudinem pariebat; quandoque oracula effectu comprobabat quæ brevi implenda erant, unde et fidem cæteris eorumdem prophetarum conciliaret [2]. Si autem deessent miracula, deficientibus cæteris criteriis, tunc dubia erat prophetia, expectandusque eventus sane fuit; si autem prophetia aliqua mox implenda effectu suo carebat, tunc ut falsa judicanda prorsus fuit, teste ipsa Scriptura [3].

Ex parte ipsius prophetæ aliqua indicia pariter haberi poterant, non tamen certa omnino, sed probabilia [4].

Dum enim propheta bonus vel malus esset, hinc fiduciam vel diffidentiam merito provocabat; haud secus, prout publico vel secreto vaticinaretur [5], paganorum ariolos detestaretur aut imitaretur [6], compos sui esset, vel pythonissarum more furiosum se præberet [7], aliquam aut nullam haberet prophetias suas emittendi gloriæ vel fortunæ rationem, sese promptum exhiberet ad confirmanda oracula propria etiam periculo vitæ, vel timorem ostenderet, etc., idem sane colligendum erat.

Ex parte demum prophetiæ indicia vel probationes accipi poterant, prout nempe prophetiæ erant claræ et non æquivocæ [8], de futuro contingenti et non de effectu in causis suis necessario contento et prævidendo; prout concordes vel discordes erant cum aliis prophetiis iisdemque certis vel antecedentibus

Jer. xiv, 14; xxiii, 21; xxvii, 15; Ezech. xiii, 6; III. Reg. xxii, 24; xiii, 11; Jer. xxviii, 1; xiv, 13; III. Reg. xxii, 11; Jer. xxix, 21; Num. xii, 5; Matth. vii, 15; xxiv, 11; I. Joan. iv, 1; Act. xiii, 6; II. Tim. ii, 18; Gal. i, 7; Apoc. xix, 20; xx, 10. — Nominantur et falsæ prophetissæ. Deut. xviii, 9; I. Reg. xxviii, 3; IV. Reg. xxi, 6; IV. Reg. xxiii, 24; Is. vi, 19; xix, 3; xxix, 4; Act. xvi, 16. — De Sibyllis, Pythonissis, etc. cf. Petr. Petit, *Diss. de Sibyllis*, et alios quos probe noveris. Cf. Becanus, *Analogia*, cap. viii, qq. viii et x; Glaire, *Introd.*, T. iii, sect. iii.

[1] III. Reg. xviii, 20.

[2] Jer. xxviii, 9; III. Reg. xvii, 1; et xxii, 17; IV. Reg. vii, 1; xxxvii, 30; Jer. cap. xlvi, 13. Cf. Hieron. *In Is.*, c. xxxvii.

[3] Deut. xviii, 21, 22.

[4] Cf. Matth. vii, 22; et S. Th. 2. 2., q. 172, aa. 3 et 4.

[5] Is. viii, 2; xxx, 8; Ezech. i, 1; viii, 1.

[6] Num. xxxiii, 23.

[7] Chrysost., *In I. Cor.*, Hom. xxix.

[8] Cf. Cic., *De Divinit.*, L. ii.

vel consequentibus [1]; prout cum vera doctrina conveniebant, aut ab eadem discrepabant [2]. Patet autem eo pleniorem prophetiis competiisse fidem quo clariores, et de contingentioribus fuerint; quo veris aliis prophetiis verisque doctrinis conformiores [3].

Oracula vero gentilium vel nihil prædixerunt; vel si quid prædixerint, hujusmodi tamen prophetia captum intellectus creati nullatenus prætergrediebatur [4].

566. — *Quæres* hic utrum et quænam oracula prophetica ediderit Christus.

Resp. Christum et prophetam fuisse et prophetias easdemque multas revera edidisse.

Nec tantum enim Christus fuit prophetiarum objectum, in quo omnes summa veritate impletæ sunt; sed et ipse propheta fuit; unde " testimonium Jesu est spiritus prophetiæ [5], " quia Christus prophetiarum et objectum simul et subjectum fuit.

Etsi autem quæ dicta sunt de prophetiis in genere intelligi pariter debeant, et quidem excellentius, de prophetiis Christi ipsius, nonnihil tamen specialius de istis addendum est.

Christum prophetam futurum esse prænuntiaverant antiqui Testamenti vates [6], et agnoverunt ipsi Christo coævi [7], etiam inimici ejus [8]: imo ipse Christus se prophetam esse implicite testatus est [9], nisi quoad se, cum fuerit comprehensor [10], saltem quoad nos.

Illum vero prophetam non modo fuisse qua *Videntem*, sed etiam qua *Vatem*, seu *Prænuntiantem*, comprobant ipsæ prophetiæ

[1] Mich. IV, 1-3; Is. II, 4; XIII, seq.; Jer. XLVI, seq.

[2] Deut. XIII, 1-3, 5; XVIII, 20.

[3] De differentiis quæ veras inter et falsas prophetias occurrunt, cf. Janssens, *Hermen. Sacr.*, T. I, cap. II.

[4] Variis modis locutum esse Deum in prophetis docent S. Paulus (Hebr. I, 1) et S. Th. (2. 2., q. 172, aa. 2, 3). Mox enim fiebat prophetia illuminatione intellectus (Num. XII, 7); mox visione imaginaria, per vigiliam, vel per somnum (Num. XII, 5; Is. VI, 1; Ezech. II, 1; Dan. VIII, 1; Zach. I, 8; Act. X, 10, etc.); quandoque angelorum ministerio (Dan. IX, 21; Luc. I, 26); quandoque voce externa (Exod. III, 4; I. Reg. III, 14; Job. XXXVIII, 1). Propheta autem de sua prophetia certus ubique remanebat (S. Th. 2. 2., q. 171, a. 6).

[5] Apoc. XIX, 10.

[6] Deut. XVIII, 15-18; Act. III, 22.

[7] Matth. XXI, 11, 46; Luc. VII, 16; Joan. VI, 14; VII, 52; IX, 17.

[8] Matth. XXVI, 68; Luc. XXII, 64.

[9] Matth. XIII, 57.

[10] S. Th., 2. 2., q. 174, a. 5.

ab ipso editæ, et postea eventu confirmatæ; hincque novum habetur divinitatis ejus argumentum.

567. — De se ipso imprimis plura prænuntiavit.

Mortem suam prædixit [1]; se tradendum ab uno ex discipulis [2]; se ab altero discipulorum negandum [3]; se diversimode ludibriis et opprobriis afficiendum demumque crucifigendum, et se tertia die resurrecturum prius asseruit [4]; discipulosque iterum ad se convertendos, postquam durante passione fugam omnes arripuissent [5], prius asseruit, et tot talibusque circumstantiarum adjunctis ut discipuli prius increduli plerumque, vel saltem rerum ignari, postea confirmante eventu intellexerint ac crediderint. De futura resurrectione adeo publicum fuit Christi oraculum apud Judæos [6], ut exinde sumpta fuerit ratio excubias ad sepulcrum ponendi [7].

Eadem clara visio ei inerat circa alios, ita ut inimicorum et amicorum cogitationes secretissimas ubique perspectas habuerit [8]. De Apostolis præsertim prædixit plurima, scil. dolores, persecutiones aliaque hujusmodi ipsis imminentia mala [9]. Quæ quam vera evaserint, nullus est qui nesciat.

Urbis Jerusalem et templi ruinam exactissime prænotavit, prout reapse postea evenisse [10] historia constat, una cum iisdem temporis causarumque adjunctis [11].

Gentium vocationem [12], Judæorum reprobationem et dispersionem [13], falsorum Messiarum et prophetarum apparitionem [14] præfatus fuit; Ecclesiam vero suam toto terrarum orbe stabiliendam fore [15] ac perpetuo tempore duraturam prænuntiavit, nec fefellit eventus.

[1] Matth. xvii, 21; xx, 18; Marc. x, 33; Jo. x, 17.
[2] Jo. xiii, 21, 28, 29.
[3] Matth. xxvi, 33.
[4] Matth. xxvi, 32; Marc. xiv, 21; Luc. xviii, 33, etc.
[5] Matth. xxvi, 31; Marc. xiv, 27; Jo. xvi, 32.
[6] Matth. xxvi, 61; xxvii, 40.
[7] Matth. xxvii, 63.
[8] Jo. i, 48-50; vi, 71-72; ii, 24; Matth. ix, 4, etc.
[9] Matth. x, 7, 22; xxiv, 9; Luc. xxi, 12; Jo. xvi, 33.
[10] Matth. xxiv, 2; Marc. xiii, 2; Luc. xix, 42-45; xxi, 6.
[11] Cf. Tacit., *Annal.*, L. v, c. xiii; Jos. Flav., *De bello Judaico*, L. vi; Champagny, *Rome et la Judée;* Bossuet, *Disc. sur l'hist. univ.;* Hettinger, *Apologie der Christentums*, vol. i, cap. xvi.
[12] Matth. xxviii, 19-20; Marc. xvi, 15.
[13] Luc. xxi, 24.
[14] Matth. xxiv, 5, 24; Marc. xiii, 6. Hos fuisse numero novemdecim vult Leusins, *Schediagma de Pseudomessiis;* viginti quinque numerant DD. Lehmann, *Question du Messie.*
[15] Matth. xxiv, 14; Jo. xii, 32.

568. — Multa et alia protulit Christus oracula [1].

De his omnibus hæc tantum notasse hic sufficiat, nempe donum prophetiæ in Christo habituale fuisse et a natura, secus ac in cæteris prophetis [2]; sese ad omnia passim extendisse, et, ut patet ex simplici dicendi modo, non in visione sensibili aut imaginaria, sed intellectuali constitisse [3].

Quæ omnia sane perspecta sunt iis qui Christi divinitatem agnoscunt, sed tamen quasi *a posteriori* eamdem rursus demonstrant.

Ex dictis ergo liceat ista cum S. Augustino colligere: " Omnia ergo hæc, sicut tanto ante prædicta legimus, sic et facta cognoscimus: et quemadmodum primi Christiani, quia nondum ista provenisse videbant, miraculis movebantur ut crederent, sic nos, quia omnia ista completa sunt, sicut ea in libris legimus, qui, longe antequam complerentur, conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur, et præsentia jam videntur, ædificamur ad fidem, ut etiam illa quæ restant, sustinentes et perseverantes in Domino, sine dubitatione ventura credamus. Siquidem adhuc tribulationes futuræ in eisdem Scripturis leguntur, et ipse ultimus judicii dies, ubi omnes cives ambarum illarum civitatum receptis corporibus surrecturi sunt, et rationem vitæ suæ ante tribunal Christi judicis reddituri [4]. „

569. — Propositio II. *Ex doctrinæ christianæ egregiis effectibus argui in theologia potest.*

Probatur:

a) Ex Scripturis, quibus edocemur quod " Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines [5]. „ Hinc " stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus [6]; „ dumque postea prædicaret, exclamat mulier: " Beatus venter qui te portavit et ubera quæ suxisti [7]; „ alii autem confitebantur: " Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo [8]. „ Ex Samaritanis demum " plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. Et mulieri (samaritanæ)

[1] Quæ in Evangelio passim leges.
[2] 2. 2., q. 172, a. 1.
[3] 2. 2., q. 174, aa. 1, 2, 3.
[4] *De Catech. Jud.*, cap. XXIV.
[5] Luc. II, 52.
[6] Luc. II, 47.
[7] Luc. XI, 27.
[8] Jo. VII, 46. Cf. Matth. XIII, 54; Luc. IV, 22; VII, 16; Jo. VII, 15, seq.; VIII, 26, 38, seq., etc.

dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi [1]. „

Rationem ipsæmet adducunt Scripturæ, scilicet Christum esse " Dei sapientiam [2], „ in quo " sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi [3]. „

b) Quapropter Pius papa IX: " Quam multa, quam mira, quam splendida præsto sunt argumenta quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet divinam esse Christi religionem, et " omne dogmatum nostrorum principium, radicem " desuper ex cœlorum Domino accepisse [4]; „ ac propterea nihil fide nostra certius..... Hæc scilicet fides vitæ magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix ac virtutum fœcunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu..... sapientia..... supernæ doctrinæ luce undique refulgens, ac cœlestium divitiarum ditata thesauris [5]. „

c) Ita arguunt theologi ac doctores omnes, dum inde probant doctrinæ revelatæ veritatem, quod nulli veritati certæ, etiam ex iis quæ rationi perviæ sunt, contradicit [6]; quod easdem e contra passim confirmat; quod veritates dubias fulcit ac certas facit [7]; quod veritates ratione altiores, ei tamen nullatenus repugnantes ostendat ac doceat [8]; aliosque characteres præ se ferat.

Confirmatur 1° eo quod viri doctrina et virtute præstantissimi eamdem acceperunt et admirati sunt. " Noster (quippe) intellectus quanto est purgatior, tanto veritatis magis est capax. Hinc excellentissima quæque et purgatissima virorum ingenia, non modo scriptis hanc doctrinam extulerunt; sed prædicatione, vita ac moribus contestati, pro ea defendenda vitam intrepide exposuerunt. Quod profecto minime fecissent, nisi ejus veritatem ipsis pene oculis conspexissent, et quodammodo manibus contrectassent [9], „ eamque eligendam præ cæteris intellexissent [10].

1 Jo. IV, 41, 42.
2 I. Cor. I, 24.
3 Coloss. II, 3.
4 Chrysost. *In Is.*, Hom. I.
5 *Encycl. ad Patriarchas, etc.*, die 9 nov. 1846.
6 Savon., *Triumphus Crucis*, Lib. II, cap. VIII.
7 *Ibid.*, c. XIV.
8 *Ibid.*, c. XIV.
9 Savon., *Triumphus Crucis*, L. II, c. VIII.
10 Viros virtute eximios, ingenio summos doctrinam revelatam et praxi et verbis magnificasse ex historia scientiarum artiumque undique patet. Quod

Confirmatur 2° eo quod impossibile est hujusmodi doctrinam tot tantisque viris persuasam esse nisi in se vera sit [1].

Confirmatur 3° eo quod eo splendidius fulget quo acerbius impugnatur [2].

570. — *d*) Probatur ratione. Doctrina enim revelata sive quoad speculativa sive quoad practica excellentissima dicenda est.

Quoad speculativa, res ex superius dictis patet, ubi argui posse dicebamus ex scientia.

Quoad practica facilius ostenditur. Doctrina enim practica quælibet inde excellit quod excellentiorem finem excellentioraque media proponit. Atqui nulla doctrina sic excellit sicut doctrina christiana : quin imo ista cæteris omnibus eminet ; unde perfectissima dicenda est tum relative tum absolute. Ergo.

Probatur minor, primo quoad finem. Etenim vitæ finis, juxta revelatam doctrinam, est ipsemet Deus in se ipso visus, ita ut sit simul et *finis cujus* et *finis quo*, res in quam tenditur et ejusdem fruitio. Quo fine nihil melius dari potest, ut patet ; nihil rationabilius, ut facili negotio probant theologi ac philosophi [3].

Excellentius vero esse medium quo ad hujusmodi finem pervenitur patet, siquidem ex parte Dei est vel ipsa fides qua Deus intellectum illuminat, vel gratia qua voluntates movet ; ex parte autem hominis est vel puritas cordis, qua Deus videtur facilius (cum ipse spiritus sit [4]), vel cultus exterior quo facilius ad hujusmodi puritatem pervenitur [5]. Unde medio illo nullum vel certius vel efficacius haberi potest [6]. Ergo [7].

argumentum evolutum apud *Apologetas* require. Cf. Moigno, *Splendeurs de la Foi*, passim ; Hettinger, *Apol. der Christentums*, Part. II, cap. XXI.

[1] Savon., *Triumphus Crucis*, Lib. II, cap. XIV.

[2] *Ibid.*, c. VIII.

[3] 1. 2., qq. 1, 2, 3 ; Savon., *Triumphus Crucis*, L. II, c. IV.

[4] Savon., *Triumph. Crucis*, L. II, cap. III et V.

[5] *Ibid.*, cap. X.

[6] *Ibid.*, cap. VI.

[7] Idem assertum variis modis comprobari posset. Imprimis exponendo quasi compendium hujus doctrinæ, quod tibi præbet Knoll (*Theol. Gen.*, P. II, sect. II, cap. IV) ; vel exponendo compendia quæ Deus ipse tradidit, scil. *Symbolum*, quo fides resumitur (2. 2., q. 1, aa. 8, 9) ; *Orationem Dominicam*, qua spes nostra ejusque conditiones exprimuntur (2. 2., q. 83, a. 9) ; *Decalogum*, quo resumitur charitas ejusque munus varium (1. 2., q. 100, aa. 4-7). Cf. *Catech. Rom.* ; S. Th., *Compendium theol.* ; Natal. Alex., *Theologia*.

Confirmatur. Ex harmonia quæ doctrinæ revelatæ, etsi diversis temporibus et a diversis auctoribus traditæ, partes omnes mire unit et colligat: quæ nonnisi a Veritate una esse potest.

DIFFICULTAS

571. — *Obj*. Experientia constat mentes hominum fide turpius deprimi. Ergo.

Resp. neg. supp., siquidem tum summi ingenii viri eamdem amplexati sunt; tum probatum est veritatem revelatam per se veritati naturali repugnare non posse [1].

II. Quomodo ex objectiva experientia quoad Dei potentiam in re religionis comprobanda argui possit in theologia.

572. — Dupliciter manifestatur effectibus externis divina potentia erga homines, si de manifestatione extraordinaria quæstio sit; *primo* scil. ea operando quæ sola Dei virtus efficere potest, et quibus humana facultas concurrere nequit, nisi qua merum instrumentum; *secundo*, ea producendo quæ humana virtus, sibi relicta, non exequeretur, quæ tamen exequitur quasi appropriata sibi Dei potentia.

Illa quidem effectus *absolute præternaturales* dici merito possunt; ista *relative supernaturales:* illa *miracula*, ista *effectus mirabiles*.

573. — Propositio I. *Possumus ex miraculis certis certo arguere in re theologiæ.*

Diversimode nominantur miracula, pro vario ipsorum respectu: mox enim dicuntur גבירות, δυνάμεις, *virtutes* [2], si in se ipsis considerentur, qua summæ potentiæ effectus; mox כפלאות, τέρατα, θαυμάσια, *portenta*, *prodigia*, si ratione effectus in animabus excitati; mox אותות, σημεῖα, *signa*, si ratione finis ipsorum [3]. Definiuntur autem " Ea quæ divinitus fiunt præter ordinem communiter servatum in rebus [4]. "

[1] Objectiunculas alias require apud Perrone, *Prælect. theol. de Vera Religione adv. Incredulos*, cap. IV.

[2] Ps. CXVII, 16; Marc. V, 30; VI, 5.

[3] 2. 2., q. 178, a. 1 ad 3m. S. Aug., *De Civit. Dei*, L. XXI, c. VIII.

[4] 1., q. 105, a. 7; III, *Cont. Gent.* c. CI; et II Sent., Dist. XVIII, q. 1, a. 3.

Tria ad miraculum requiruntur, nempe primum ut sit quid arduum vel quoad substantiam facti, vel quoad subjectum in quo producitur, vel quoad modum quo fit [1]; alterum ut sit quid insolitum; tertium, ut sit præter naturæ virtutem.

Miraculorum divisio ex primo requisito habetur, quod nempe sit vel quid mirum *ratione substantiæ facti*, cui producendo impar sit omnino natura, v. gr. hominis corpus glorificari; vel quid mirum *ratione subjecti*, ut puta restitutio vitæ in cadaver; etsi enim natura vitam conferre possit, non tamen in cadaver potest; vel demum quid mirum *ratione modi* seu *ordinis* quo fit, v. gr. sanatio instantanea alicujus morbi gravis, a quo æger nonnisi lente sanari natura posset [2].

Miracula possibilia esse constat *primo* auctoritate generis humani; *secundo*, ratione, eo quod scilicet etsi legibus particularibus contraria sint, conformia tamen esse possunt universaliori legi, quæ a Dei voluntate omnino pendet [3]; *tertio*, quia testatur historia, præsertim sacra.

De his vero fusius tractandis pertinet ad philosophos et apologetas [4].

Ad probationem vero propositionis nostræ, duo requiruntur et sufficiunt, scilicet extitisse vera miracula in negotio religionis seu revelationis; et præterea in istis vim probandi inesse.

574. — *A*. Probatur prima pars.

a) Quia supernaturalis revelationis veritas præsertim miraculis innotescit [5]: hinc, supposita revelationis congruentia, patet extemplo congruentia miraculorum: congruentia scilicet hypothetica.

b) Quia tamen miracula non nisi facta libera sunt, et quidem extra naturæ leges et vires vagantia, hinc sequitur ipsa non nisi historice demonstrari posse. Historicam vero dari hujusmodi probationem patet ex Scripturis aliisque historiæ,

[1] 1., q. 105, a. 7, ad 2[m] et a. 8. Cf. Richard et Giraud, *Dictionn.*, art. *Miracles;* Welte, *Kirchenlexicon;* D. Calmet, *Diss. sur les vrais et les faux miracles, etc.*

[2] Aliter dividuntur miracula in *supra*, *præter* et *contra naturam*. 1., q. 105, a. 8; *Cont. Gent.*, Lib. III, c. CI.; II., Dist. XVIII, q. 1, a. 3.

[3] *Cont. Gent.*, L. III, c. XCVIII; S. Aug. *In Gen. ad litt.*, L. VI, c. XIII.

[4] Cf. Gonzales, *Phil. elem.*, *Cosmologia*, cap. IV et Liberat., *Instit. Philos.*, *Cosmologia*, c. IV; Zigliara, *Cosmol.*, L. III, c. II; Hettinger, *Apologie des Christentums*, c. XIII; Monsabré, *Introd. au dogme*, confér. XXI-XXX.

[5] 3[a], q. 43, a. 1.

etiam profanæ, documentis, quod docent ac ostendunt sacræ Scripturæ professores, ubi ejusdem veritatem demonstrant: quibus sane hic lectorem remittimus. Insipientiæ autem, vel malæ fidei damnandi omnino sunt illi recentiores, qui stupida superbia miraculorum possibilitatem *a priori* negantes, historiam inde præconceptis judiciis inflectunt.

575. — Diversimode autem distribuuntur miracula pro diverso respectu ad Christum qui est " finis legis [1]: „ alia scilicet *antecedentia*, alia *concomitantia*, alia demum *subsequentia* dici possunt, prout Christi existentiam vel antecesserunt, vel comitata sunt, vel subsequuta fuerunt.

Miracula *antecedentia* narrantur in veteri Testamento. Ista autem referri ad Christum exinde patet quod Christus prophetiarum V. Testamenti, imo totius antiquæ revelationis objectum ultimum est: quia autem miracula illa ad confirmationem revelationis illius edita sunt, hinc ad Christum *mediate* referuntur, ejusdemque divinitatem, doctrinam, etc. comprobant eximie.

576. — Miracula vero *concomitantia* in novo Testamento referuntur, et ab ipsomet Christo patrata sunt; de quibus lege ea quæ eximie tractat S. Thomas ubi de miraculis Christi [2], atque ostendit illa non absque ratione, sed ad probandam sufficienter et doctrinam [3] et divinitatem, facta esse circa spirituales substantias, circa cœlestia corpora; circa homines, circa creaturas irrationales [4].

Hoc vero de Christi miraculis notandum est, ea scil. effecta esse a Christo ipso et quidem proprio nomine, non orando, sed jubendo auctoritate sua, et quidem ad confirmandam sui doctrinam de divinitate propria [5]. His adde ipsam Christi indolem aliquod miraculum esse [6].

577. — Miracula demum *subsequentia* narrantur in *Actibus Apostolorum* et historia ecclesiastica, atque diversi sunt generis.

Primum ex his miraculum est ipsa Apostolorum transformatio. Isti enim cum ignorantes ac debiles in fide essent, mox

[1] Rom. x, 4.
[2] 3ª, qq. 43 et 44.
[3] 3ª, q. 43, aa. 1-4.
[4] 3ª, q. 44.
[5] 3ª, q. 43, a. 4.
[6] Cf. Landriot, *Le Christ de la Tradition*, Conf. x et xi; Du Voisin J. B., *Démonstrations Evangél.*, ch. iii; D. Aymé, *Les fondements de la foi*, T. i, P. ii; Hettinger, *Apol. des Christentums*, P. i, c. xviii.

tamen adeo in eadem firmati sunt, ut et ipsi mundum converterint universum summa fide, summaque virtute [1].

Aliud est quod et ipsi Apostoli miracula multa ediderint in nomine Christi.

Tertium est quod mediis adeo humilibus mundum ita repugnantem ad sublimem Christi fidem traxerint [2], ex omni hominum conditione, ex omni terrarum regione [3].

Quartum miraculum est Sanctorum virtus ac Martyrum constantia, quæ vim humanam prorsus superant, ita ut *Martyrologium Romanum* ac *Bollandiana Collectio* divinitatem Christi ejusque religionis omnino demonstrent [4].

Quintum miraculum est conservatio religionis Christi, ejusdemque unitatis, non obstante aut locorum aut temporum distantia [5].

Sextum miraculum est efficacia continua orationis apud Christifideles. Quo facto nihil certius, nihil constantius.

Inde ergo multifariam multisque modis apparet religionem ac revelationem veras esse [6].

Dari ergo in religione Christi miracula certo certius ex dictis, aliisque innumeris quæ dici possunt constat.

578. — *B.* Probatur altera pars, nempe miraculis inesse quamdam probandi vim, ita ut miraculum simul demonstret et Deum ipsum adesse, et veram fore doctrinam illam in cujus testimonium inducitur.

a) Ex Scripturis imprimis patet assertum:

Nicodemus enim ad Christum dicebat: " Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere

[1] Savonarola, *Triumph. Crucis*, L. II, c. XIV.

[2] *Ibid.*, cc. XIII et XIV. Cf. Chrysost., *Oratio V contra Gentiles;* Tertull., *Apol.*, c. XXXVII. De his omnibus lege Hettinger, *Apol. des Christentums*, P. I, cap. XVII quoad facta; et Savon., *Triumph. Crucis*, L. II, c. XIII, quoad doctrinam. Vide Bened. XIV, *De Serv. Dei Beatif.*

[3] Cf. Ansaldi, Diss., *Multitudo maxima eorum qui prioribus Ecclesiæ sæculis Christianam Relig. professi sunt vindicata;* Mamachi, *Antiq.*, T. I; Zaccaria, *Diss. di Storia Eccl.*, T. XI, P. I, etc.; Martigny, *Dictionn.*, art. *Nombre des Martyrs.*

[4] Cf. Perrone, *Præl. Theol.*, *De Vera Relig. adv. incred.*, c. IV. Plura de hoc argumento et quidem egregia invenies apud Reginald, *De mente Concil. Trident.;* Gerdil, *Disc. sur la divinité de la Religion Chrétienne.*

[5] Perrone, *loc. cit.;* cf. Adr. Gretsch, *Rede vom stähen Siege der Varheit in der Cath. Kirche*, t. I.

[6] Hoc argumentum evolvit Savonarola, *Triumphus Crucis*, Lib. II, c. IX.

quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo [1]. „ Haud absimiliter arguebat cœcus ille cui visum Christus restituerat: “ Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam [2]. „ Unde “ stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non sicut scribæ [3]. „

Ratio est quia vero miraculo ostenditur *digitum Dei adesse* [4]. Hinc in monumentis archæologicis miraculum manu Dei apparenti significatur.

b) Unde “ gloria Dei ostenditur ex mirabilibus illis quæ fiunt supra naturam [5]. „ Quapropter theologi ac doctores omnes miracula adducunt qua credendi motiva.

c) Quid et quomodo probet miraculum, supposito ac probato istud a Deo solo esse posse [6], ita explanat Angelicus: “ Divinitus conceditur homini miracula facere propter duo. Primo quidem et principaliter ad confirmandam veritatem quam aliquis docet: quia enim ea quæ sunt fidei humanam rationem excedunt, nec possunt per rationes humanas probari; sed oportet quod probentur per argumentum divinæ virtutis, ut dum aliquis facit opera quæ solus Deus facere potest, credantur ea quæ dicuntur esse a Deo: sicut cum quis defert litteras annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse quod in illis continetur. Secundo ad ostendendam præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritus sancti, ut dum scil. homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam. Unde dicitur Galat. III: “ Qui tribuit nobis Spiritum sanctum, operatur virtutes in nobis [7]. „

DIFFICULTATES

579. – *Obj.* 1° Leges naturæ immutabiles sunt: ergo.

Resp. cum S. Thoma: “ Ordinem universalem, secundum quem omnia ex divina Providentia ordinantur, possumus considerare dupliciter, scilicet quantum ad res quæ subduntur ordini, et quantum ad ordinis rationem, quæ ex principio or-

[1] Joan. III, 2.
[2] Joan. IX, 33. Lege totum textum. Cf. Joan. V, 36; X, 38; XI, 42.
[3] Marc. I, 22. Cf. Marc. XVI, 20; Matth. VII, 28; Luc. IV, 32.
[4] Exod. VIII, 19.
[5] Theod. Heracl., *In Joan.*, XI, 40.
[6] *Cont. Gent.*, L. III, c. CII.
[7] 3[a], q. 43, a. 1. Cf. Hettinger, *Apol. des Christent.*, P. I, c. XIII.

dinis dependet. Ostensum est autem... quod res ipsæ quæ a Deo sub ordine ponuntur proveniunt ab ipso non sicut ab agente per necessitatem naturæ, vel cujuscumque alterius, sed ex simplici voluntate, maxime quantum ad primam rerum institutionem. Relinquitur ergo quod præter ea quæ sub ordine divinæ Providentiæ cadunt, Deus aliqua facere potest; non autem est ejus virtus ad has vel illas res obligata. Si autem consideremus prædictum ordinem quantum ad rationem a principio dependentem, sic præter ordinem illum Deus facere non potest: ordo enim ille procedit ex scientia et voluntate Dei... Non est autem possibile quod Deus aliquid faciat quod non sit ab eo volitum [1]. „ Deus ergo est summa rerum lex, contra quam nihil fieri potest; aliæ autem leges nonnisi secundariæ sunt, et ab illa pendent: unde non est incongruum si contra istas aliquid fiat [2].

Obj. 2° Nihil miraculi asseri potest, quia non novimus naturæ vires omnes. Id namque miraculum plerumque dicunt quod viribus naturæ incognitis producitur: ergo.

Resp. dist. Opus est ut aliquas naturæ leges probe cognoscamus ad asserendum miraculum, *conc.;* ut cognoscamus omnes, *nego.* Sufficit enim aliquam innotescere legem, v. gr. cadaver vere mortui nunquam viribus naturæ ad vitam restitui, ut asseratur miraculum, v. gr. si vita cadaveri illi restituatur.

580. — PROPOSITIO II. *Possumus ex effectibus religionis mirabilibus arguere in theologia.*

Præter effectus illos mirabiles prius descriptos, tamquam *per se* ad religionem spectantes, alii dantur qui ex eadem *per accidens*, etiam in rerum ordine mundano, fluunt, e quibus argumenta sumere licet quoad veritatem religionis vel certo, vel probabiliter confirmandam.

Probatur propositio.

a) Ex Scripturis. Dixit enim Christus: “ Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis [3]. „ Ubi innuit Christus quædam fidelibus suis concedi speciatim, quæ cæteris vel nullatenus vel minus conce-

[1] *Cont. Gent.*, L. III, c. XCVIII; cf. cap. XCIX et c.

[2] Cf. Leibnitz, *Theodic.* III.

[3] Matth. VI, 33.

duntur: ex his igitur, tamquam ex aliquo signo colligi argumentum potest. Hinc ipse Christus alias: " In hoc cognoscunt omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem [1]. " Ex his ergo et similibus argui potest.

b) Ita Patres, ex quibus Augustinus hisce verbis religionem alloquitur: " Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi ætas est, exerces et doces; tu feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem casta et fideli obedientia subjicis; tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis; tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis; parentes filiis pia dominatione præponis; tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore quam sanguinis nectis; tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitatem, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutua charitate constringis; tu dominis servos non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhærere; tu dominos servis summi Dei, communis Domini, consideratione placabiles et ad consulendum quam ad coercendum propensiores facis; tu cives civibus; tu gentes gentibus; ac prorsus homines hominibus primorum parentum recordatione non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis... ostendens quemadmodum et nos omnibus omnia et omnibus charitas et nulli debeatur injuria [2]. "

581. — *c*) Probatur ratione et quidem multiplici respectu.

Effectus namque illi vel *interni* sunt, vel *externi.*

Effectus interni ad *intellectum* et ad *voluntatem* referuntur; externi autem vel ad *vitam individualem*, vel ad *vitam socialem*, seu *domesticam* aut *civilem.*

Atqui effectus illi hujusmodi sunt ut non nisi ad causam divinam reducendi omnino sint.

Imprimis enim constat quoad intellectum, scientias et artes ibi summo splendore floruisse ubi floruit et religio; ibi defe-

[1] Joan. XII, 35.

[2] *De Morib. Eccl.,* Lib. I, cap. XXX, n. 63. Cf. *De vera Relig.*, c. III et seqq. Quod confirmat tota Ecclesiæ historia. De recentioribus factis non inutiliter leges Baunard: *Victimes du doute; Victoires de la foi;* Rosenthal, *Convertitenbilder aus dem neunzehnten Jahrhundert.*

cisse, ubi religio defuit, ut supra notavimus, faciliusque probari potest [1].

Religionis effectus interni duo potiores sunt ex voluntatis parte, scilicet dispositio ad virtutem; et gaudium intimum, quod utrumque non nisi a Deo esse potest [2]; cui iterum omnino tribuendus pariter est ille virtutum splendor in ipso Sanctorum adspectu connotatus [3].

Vitam vero tum individualem tum socialem eo perfectiorem esse quo religione christiana plenius imbibitur, nullus, nisi protervus aut ignarus, in dubium vocare potest [4], cum experientia vetus ac recentior illud invictissime doceat.

Quæ omnia hic evolvere longioris esset laboris, etsi gravitatis ac utilitatis maximæ sit hujusmodi argumentum. De quo igitur adeas probatos hisce de rebus auctores.

582. – Liceat ergo tractationem hanc de locis theologiæ impropriis quæ argumenta aut evidentia aut quasi evidentia continent, istis Pii papæ IX verbis concludere: " Quam multa, quam mira, quam splendida præsto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem,..... ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius extare et quod firmioribus innitatur principiis. Hæc scilicet fides vitæ magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fœcunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, vaticinationibus confirmata, supernæ doctrinæ undique refulgens, ac cœlestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum prædictionibus, tot miraculorum splendore, tot Martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges, ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu

[1] Cf. Hettinger, *Apologie des Christent.*, P. I, c. XXI; Savonarola, *Triumphus Crucis*, L. II, c. XIV, ubi argumentum egregie proponitur.

[2] Cf. Savon., *op. cit.*, L. II, c. XI. [3] *Ibid.*, c. XII.

[4] Cf. Savon., *op. cit.*, L. II, c. II et VII. Quoad vitam socialem, lege opera Lacordaire, *Conférences;* Le Play, *Réforme Sociale; Ouvriers européens, etc.;* Perin, *Richesses, Lois, etc.* Quod argumentum summi momenti hisce temporibus evasit, ac theologi et philosophi christiani studium imprimis sibi promeretur, unde efficacissimas, nisi in se ipsis, saltem quoad nostrates, eliciant probationes religionis.

usque ad occasum, uno crucis vexillo pervasit; atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcumque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinæ cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quæ certe omnia tanto divinæ sapientiæ ac potentiæ fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce æque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens, Deum ejusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit; sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium præbeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit [1]. „

583. — Rem ita ad oculos pinxit Savonarola: “ Ante ora constituamus currum quatuor vectum rotis, et super eum, more triumphantis, Christum spinis coronatum, innumeris probris et contumeliis, atque atrocissimo et turpissimo supplicii ac mortis genere superatis, plagarum livorem totiusque cruentati corporis cicatrices et vulnera ostendentem; quibus, non aliis, armis cuncta subegit, et captivam in altum duxit captivitatem. Ejusque vertici micantibus radiis lucidissimus immineat globus trina facie Trinitatem effingens, qui totum ipsum Christum ejusque Ecclesiam inenarrabili circumfuso splendore prorsus illustret; Christus vero læva crucem teneat, cum cæteris passionis suæ aculeis et instrumentis; utriusque Testamenti volumen dextra complectens. Juxta pedes, cum superposita hostia stet calix, et circa ipsum distincta vasa aquæ, vini, olei et balsami, cum reliquis Sacramentorum Ecclesiæ signis. Mox infra gradum Christi sedeat piissima ejus mater Virgo Maria. Ad hæc, infra ipsius Virginis gradum circumquaque disposita sint aurea, argentea et crystallina vasa, cælaturis et gemmis ornata pretiosis, nonnisi ossibus et cineribus referta mortuorum.

[1] Encycl. ad Patriarchas, etc., die IX nov. 1846. Quæ hic a Pontifice enumerantur e Patrum doctrinis singulatim educta sunt, testimoniaque invenies apud Klée, *Hist. Dogm.*, P. I, c. II; qui de prædictis et aliis egregiis legendus videtur omnino.

Ante currum statim Apostoli et prædicatores, omnes quasi vehiculum trahentes assistant, præeuntibus patriarchis et prophetis veteris Testamenti, cum innumera virorum et mulierum caterva.

"Currum circumstent amplissima utriusque sexus et cujuslibet conditionis agmina Martyrum, circa quos sint universi doctores sacri, libros apertos utraque manu gestantes. Currum dehinc sequatur infinita multitudo utriusque sexus, et omnis generis et sortis hominum, Judæorum scilicet, Græcorum, Latinorum ac Barbarorum, tam divitum quam pauperum, sapientum, eruditorum, idiotarum cujuslibet ætatis plaudentium. In circuitu autem horum omnium tam præcedentium quam sequentium triumphalis pompam currus ponamus innumeras hostium turmas, Ecclesiam totis viribus oppugnantes, imperatores scilicet, reges, principes et potentes hujus sæculi, sapientes quoque et philosophos et hæreticos, ac ex omnium gentium et linguarum populis, servis et liberis, maribus ac fœminis infinitam sortis cujuscumque frequentiam. Juxta hos profana deorum simulacra et idola constrata et diruta et comminuta describantur; necnon libri hæreticorum combusti, confutataque cæterarum sectarum dogmata, cultus denique omnis aliarum religionum dejectus et eversus.

" Hujusmodi ergo currus ante oculos nostros descriptus et constitutus, erit quasi quoddam universum unde novam philosophiam elicere valeamus [1]. „

Quæ omnia egregie confirmabuntur dum experientia constiterit cæteras religiones non nisi debilibus paucisque ac insufficientibus effectibus excellere, prout idem auctor ibidem fusius demonstrat [2].

Quod *a fortiori* colligendum erit si liqueat illas pravis effectibus donari.

[1] *Triumphus Crucis*, L. I, c. II. Hic notatum volo hanc triumphi descriptionem delineatam fuisse a celeberrimo Titiano, ut asserunt, istamque delineationem, quam rursus editam videas apud Veuillot: *Vie de Jésus-Christ*, *illustrée* immerito prorsus primo auctori non assignari.

[2] *Ibid.*, L. IV.

LIBER SECUNDUS

De Locis Theologiæ impropriis unde per auctoritatem depromuntur argumenta.

—

584. — Cum religio supernaturalis nihil aliud sit quam factum ex parte Dei liberum ac contingens, hinc summum ejusdem probandi argumentum ex auctoritate prorsus desumendum est. Quod in Scripturis ac traditionibus, ab Ecclesia propositis, inclusum esse sat superque jam ostensum est.

Sed vero præter illam summam solemnemque auctoritatem, alia dari probe potest ex qua nonnunquam argumentum vel certum vel probabile desumendum rursus erit in re theologica. Hæc autem alia auctoritas erit vel *Dei privatim revelantis*, vel *angelorum*, vel *hominum*.

De his singulatim agi necesse est.

CAPUT I.

De auctoritate Dei privatim revelantis.

585. — De revelationibus privatis nonnihil nobis tractandum est tum pro rei utilitate, tum pro ejusdem aucta hisce nostris temporibus opportunitate.

Revelationem vero privatam dicimus manifestationem cœlitus factam rei naturaliter incognitæ, nobisque vel auctoritate particulari, non publica, innotescentem, vel ad bonum alicujus privati pertinentem. Unde revelatio dicitur particularis tum *ratione personæ* cui fit, tum *ratione objecti* de quo fit.

Sit igitur

586. — PROPOSITIO. *Dantur quandoque revelationes privatæ vel certæ vel probabiles, ex quibus certo aut probabiliter arguendum nonnunquam forte erit in theologia, et quidem diversimode.*

A. Probatur prima pars, nempe dari revelationes privatas quæ erunt vel certæ vel probabiles, omissa quæstione de hujusmodi revelationum possibilitate cum cuivis sobrio hanc neque ex parte Dei, neque ex parte hominis, neque ex parte objecti impossibilem fore constet.

a) Testantur imprimis Scripturæ revelationes privatas aliquando factas esse, etiam mulieribus, et apud fideles creditas. Satis sit prophetissarum exemplum adduxisse, quæ fuerunt in veteri Testamento Maria soror Moysis, Debora uxor Lepidoth, Holda uxor Sellum; in novo autem, Elisabeth mater Baptistæ, Anna filia Phanuel, quatuor filiæ Philippi, præsertimque B. V. Maria Deipara. Haud secus et viris nonnullis factas esse privatas revelationes ex Scripturis constat, v. gr. Agabo, Ananiæ, etc. [1].

b) Haud secus Ecclesia passim asseri consentit revelationes plurimis Sanctis factas esse, prout ex Bollandianis aliisve hagiographis ubique apparet.

c) Idcirco doctorum catholicorum nomine ita monet antiquus auctor: " Viderint qui unam virtutem Spiritus unius Sancti pro ætatibus judicent temporum, quum majora reputanda sint novitiora quæque, ut novissimiora, secundum exuberationem gratiæ in ultima sæculi spatia decreta: " In no-
" vissimis enim diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo
" super omnem carnem, et prophetabunt filii filiæque eorum.
" Et super servos et ancillas meas de meo spiritu effundam;
" et juvenes visiones videbunt, et senes somnia somniabunt [2]. "
Itaque et nos qui sicut prophetias, ita et visiones novas pariter repromissas et agnoscimus et honoramus, cæterasque virtutes Spiritus sancti ad instrumentum Ecclesiæ deputamus, cui et missus est idem omnia donativa administrans in omnibus,

[1] Cf. I. Thess. v, 19-21. Quem textum plures de prophetiis privatis interpretantur.

[2] Joel II, 28, 29; Act. II, 17-18.

prout unicuique distribuit Dominus, necessario et digerimus et ad gloriam Dei lectione celebramus [1]. „

587. — *d*) Probatur ratione, siquidem non desunt signa quibus revelationum privatarum et existentia et indoles dignosci optime possit. Quæ ita dilucide ac docte proposuit card. Turrecremata, in defensionem revelationum S. Birgittæ.

“ Primum signum et primum argumentum, inquit, discernendi revelationes divinas a diabolicis deceptionibus (est)..... quando graves et experti sapientes spirituales viri ita judicant. Sane si eorum judicio approbantur tales, signum est quod tales verisimiliter a Deo inspiratæ sint, licet ab insipientibus et carnalibus, qui nonnisi carnalia sapiunt, aliter judicentur.

“ Secundum signum et secundum argumentum quo discerni possunt revelationes divinæ a revelationibus diabolicis, sumitur ex parte effectus, quem revelatio in animo cui fit revelatio, efficit et operatur. Revelatio quidem divina hominem efficit humilem, flexibilem et disciplinatum..... Spiritus vero diabolicus superbum reddit animum, tumidum, præsumptuosum et pertinacem.

“ Tertium signum et tertium argumentum quo revelationes Spiritus sancti a revelationibus spiritus diabolici distinguuntur, est puritas et integritas veritatis eorum quæ revelantur. Quando enim revelationes per totum continent veritatem, sine admixtione alicujus falsitatis, non dubium quin sint a Spiritu sancto, qui doctor et inspirator est veritatis. Quando vero habent falsitatem, aut errores admixtos, non a Spiritu Dei, sed diabolico procedere dignoscuntur. Diabolus autem qui pater mendacii et doctor errorum est, in illusionibus suis interdum dicit vera, ut decipiat; et aliquando falsa: sed Spiritus sanctus semper vera et nunquam falsa prædicit [2].

[1] *Prol. in Acta SS. Perpetuæ et Felicitatis.* Cf. Card. Orsi, *Dissert. apolog. in eadem Acta*, cap. IV (apud Migne, *Patrol. Lat.*, T. III); Gravina, *Lapis Lydius;* Bened. XIV, *De Beatif. Serv. Dei*, L. III, c. LIII; Bona, *De Discret. Spirit., etc.* Huc vero præsertim faciunt quæ habet S. Thomas de Prophetia 2. 2., q. 171-176 et in locis parallelis.

[2] Unde ut erronea habenda est revelatio non solum quæ fidei aut Scripturis contradicit; sed quæ doctrinæ cuilibet, vel historicæ, certo contradicit, cum vero verum contradicere nequeat.

Nonnunquam vero evenit illum cui fit revelatio aliquod ex privato spiritu, seu ex præconceptis cogitationibus, doctrinis aut phantasiis, etiam bona fide

" Quartum signum quo discernitur revelatio Spiritus Dei a revelationibus spiritus mali est conformitas ad Scripturam et Sanctorum doctrinam. Cum enim revelatio conformis reperitur divinis Scripturis et Sanctorum sententiis et exemplis, arguitur esse revelatio Spiritus Dei. Si autem dissonat et discordat ab eis, suspecta merito habenda talis est..... (quæ conformitas est) in tribus.....: *Primo,* in genere visionis seu revelationis..... Pro quo notandum quod Augustinus in lib. XII *sup. Gen. ad Litt.*, et Hieronymus in *Prolog.* Apocal., tria principalia genera visionum describunt, et totidem etiam genera revelationum; scilicet corporale, spirituale (seu imaginarium) et intellectuale..... *Secundo*, in modo revelationum est conformitas istarum revelationum ad S. Scripturam et exempla Sanctorum. Pro quo notandum quod revelationes in Scriptura aliquando leguntur factæ per vocem et verba expressa....., aliquando per somnium....., aliquando per spiritum angelicum....., aliquando per Spiritum sanctum interius in mente..... *Tertio*, quando hujusmodi revelationes conformes (sunt) in sententiis et dictis S. Scripturæ, dictis et exemplis Sanctorum et doctorum Ecclesiæ.

" Quintum signum et quintum argumentum..... (quibus) discernuntur revelationes quæ a Spiritu Dei procedunt a revelationibus quæ ab illusione diabolica procurantur non parvæ virtutis esse videtur, quod persona cui revelationes factæ leguntur approbatæ sanctitatis est in Ecclesia Dei, quæ in canonizatione Sanctorum, sicut nec in doctrina fidei errare non potest [1]. "

Hæ sunt quinque cardinalis Turrecremata regulæ passim apud theologos receptæ ad discernendas privatas revelationes.

Quibus ad ampliationem aliquam sequentia addere poteris, scil.: eo certiorem evadere aliquam revelationem, *primo*, quo plenius habentur prædictæ conditiones; *secundo*, quo pluribus aliis revelationibus conformis fuerit; *tertio*, quo a sensibus remotior est revelatio [2], etc.

addere. Nec tamen idcirco rejiciendæ statim sunt revelationes, sed artis criticæ ope discernendum est verum a falso, certum a dubio, etc.

[1] *Prolog. in Revel. S. Birgittæ.*

[2] Hinc sibi majorem *per se* merentur fidem revelationes viris quam mulieribus factæ, utpote difficilius a phantasia pendentibus, quum in mulieribus et

588. — *B.* Probatur secunda pars propositionis, nempe revelationibus illis, certis aut probabilibus, certo vel probabiliter credendum fore, indeque arguendum, sed diversimode.

A. Illis credendum esse vel certo vel probabiliter, si certæ vel probabiles fuerint, per se patet, nisi quis rationem respuat. Ea enim rationis lex est, ut quis veritati credat pro gradu probabilitatis aut certitudinis, indeque promantur argumenta.

B. Diversimode autem credendum esse, res quasi per se ex dictis liquet.

Etenim revelationes illæ vel quid *temporale* referunt et pertinent ad prophetiam; vel quid *æternum* et ad fidem pertinent [1], non quidem *catholicam*, sive definitam, sive non definitam; sed *privatam*. In utroque autem supposito habetur revelatio divina eademque variis mediis et criteriis certa vel probabilis facta. Media enim illa et criteria non eadem sunt et illis quibus fit revelatio, et illis quibus transmittitur, dum aliquis *subjective* vel certitudinem vel probabilitatem alicujus revelationis habere potest, quin tamen eam exterius seu *objective* manifestare et probare idcirco possit; immo, etsi poterit, hæc tamen remanebit diversitas quod illi *immediate* a Deo revelationem accipiant; isti autem *mediate*, i. e. mediantibus illis quibus revelatio facta est; illi certitudinem vel probabilitatem habere queant tum rationibus subjectivis, seu experientiis propriis; tum rationibus objectivis et extrinsecis: isti autem non nisi objectivis et extrinsecis. Unde patet illos quandoque cum certitudine vel probabilitate tenere posse quod isti nullatenus poterunt.

589. — *Quæres* 1° Quænam sint rationes revelationi privatæ fidem adhibendi?

Resp. Rationes subjectivæ sunt ipsæmet subjectivæ experientiæ de illuminatione divinitus immissa. De quibus summa prudentia agendum est, præsertim in asserendo.

Rationes vero objectivæ petuntur tum ex evidentia vel probabilitate intrinseca assertæ quæstionis, tum ex certitudine

infirmior generatim ratio, et vividior imaginatio existat. Cf. Gravina, *Op. cit.*; et Barth. Sybilla, O. P., *Specul. Peregr. Qq.*, I Decade, c. III.

Ex tribus autem prophetiarum seu revelationum modis, potior est intellectualis imaginaria; potior imaginaria sensibili (2. 2., q. 174, a. 2, etc.).

Quibus omnibus aliisque attendat oportet theologus, imo quicumque de his prudenter judicare voluerit: qua in re prudentia nunquam satis commendata fuerit.

[1] S. Th., III, Dist. 34, q. 1, a. 1. Quæstiunc. 1. ad 3.

extrinseca vel probabilitate; quæ desumitur iterum mox ex auctoritate illius cui revelationes factæ sunt, mox ex approbatione doctorum virorum, vel Ecclesiæ, etc.

590. — *Quæres* 2° Quænam sit auctoritas approbationis ecclesiasticæ revelationibus privatis collatæ.

Resp. Approbatio illa vel hujusmodi revelationes tamquam pias declarat, vel easdem prætermittit tamquam innocuas.

Porro illa Ecclesiæ approbatio rerum essentiam non mutat, sed tantum probat nihil in hujusmodi revelationibus occurrere quod veritati catholicæ repugnet. Unde ex illa approbatione constat quidem nullum sublatere errorem in revelationibus illis, non tamen istas a Deo auctore esse.

Quin immo etsi in genere dicat Ecclesia plura alicui sancto divinitus revelata fuisse, nihil tamen circa aliquam particularem revelationem determinat; quia igitur supernis revelationibus sibi factis potest aliquis, etiam inscius, nonnihil de propriis cogitationibus admiscere, hinc sequitur illa Ecclesiæ declaratione revelationes singulas fuisse pias, non autem divinas [1].

Quapropter *primo* reprehendendus omnino foret qui fidem catholicam hisce revelationibus adhiberet, tum quia id vetat Ecclesia, vel non jubet; tum quia revelatio illa non nititur evidenti Dei auctoritati. Non parum proinde in *Theotocologia* errarunt qui nonnullas revelationes privatas invexerunt, v. g. de Immaculata Conceptione, tamquam fidei regulas, et sufficientem et unam causam cur instituta fuerit Immaculatæ Conceptionis festivitas, immo principium traditionis catholicæ de dogmate prædicto. Non immerito hisce doctrinæ phantasiis, immo insaniis restiterunt theologi saniores.

Secundo, nullatenus a fide catholica errat qui privatas revelationes non accipit, nec hæreticus exinde censendus est, etsi forsan aliunde peccare possit, quia ad Ecclesiam spectat proponere credendas doctrinas, neque quis tenetur regulariter alteri auctoritati immediate credere.

[1] Cf. Bened. XIV, *De Beatif. Serv. Dei*, L. II, c. XXXII. Cf. Canus, *Loc. theol.* L. XII, c. III. Hinc Card. Turrecremata hæc tantum de Revelationibus S. Birgittæ pronuntiabat, scil. eas " posse legi in Ecclesia eo modo quo aliorum doctorum libri et Sanctorum historiæ et legendæ licentiantur legi fidelibus. " *Prol. in Rev. S. Birgittæ.* Cf. Muratori, *De Ingen. Moder.*, L. I, c. XVII.

591. — *Quæres* 3° Utrum revelationibus hujusmodi solum credendum sit propter intrinsecam argumenti revelati probabilitatem, ut volunt plures.

Resp. neg. Revelationes enim illæ habent quidem intrinsecam argumenti probabilitatem; sed præterea probabilitatem extrinsecam ex aliis rationibus, ut supra dictum est.

592. — *Quæres* 4° Utrum ex revelationibus privatis elici possit actus fidei.

Priusquam respondeatur, notandum est *primo* quæstionem moveri non posse de actu fidei *catholicæ*, cum non proponat Ecclesia, nec proinde fides ulla sit pro omnibus fidelibus, nisi quæ fundatur " super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu [1]. „ Unde quæstio est de fidei *privatæ* et quidem *theologicæ* actu.

Prænotandum *secundo* est objectum revelationis privatæ, cui inniti debet actus ille, esse vel quid supernaturale, vel quid ad supernaturalia pertinens, siquidem objectum fidei non est quid naturale qua tale, ut docent theologi [2]. His notatis

Resp. ex revelationibus privatis, iisdemque certis elici posse actum fidei privatæ et quidem theologicæ, sive ab eo cui fit, sive ab eo cui transmittitur revelatio.

A. Elici imprimis posse ab illo cui revelatio fit probatur:

a) Ex Scripturis, quibus narrantur credidisse Angeli, primi homines, Patriarchæ et Prophetæ, Apostoli, Magdalena, quin credenda proponeret Ecclesia; reprehenduntur tamquam incredulitatis rei qui revelatis sive privatim, sive ab Ecclesia propositis, non crederent [3].

b) Ita docet S. Thomas: " Sciendum est quod duplex est modus credendi. Aliquando quidem per instructionem alterius, et hic est communis modus credendi; Rom. x, 17: " Fides ex " auditu; „ aliquando autem per revelationem divinam, et hic est singularis modus de quo Apostolus dicit, Gal. I, 12: " Neque ab homine didici illud (Evangelium), neque accepi; sed " per revelationem Jesu Christi [4]. „

[1] Eph. II, 20. Cf. 2. 2., q. 1, a. 8, ad 2., et q. 5. a. 3.

[2] 2. 2., q. 1, a. 1.

[3] Cf. Bellarm., *De Justif.*, L. I, c. VI et VIII; Sylvius, 2. 2., q. 1, a. 1, quær. I.

[4] *In Joan.* cap. XII, lect. VII. Cf. Billuart, *De Fide*, Diss. I, art. II; Gonet, *De Fide*, Disp. I, a. III. Nec dissentit Bañez in 2. 2., q. 1, a. 1, si recte intelligatur.

593. — *c*) Ratio hæc est, scil.: ubicumque habetur eadem formalis ratio objecti, ibi et idem habitus datur: atqui ille cui fit revelatio privata eademque certa, eamdem habet formalem objecti rationem: scil. auctoritatem Dei revelantis: ergo.

Patet major.

Minor certa videtur, dum certo de aliqua revelatione privata constare sane potest.

594. — *B*. Elici posse fidei theologicæ actum ab illo cui revelatio aliqua privata eademque certa certo constat, sic probat recentior theologus: " Ut actus fidei divinæ eliciatur, in hypothesi quoque quod Deus immediate non revelet, opus per se non est ut ab auctoritate humano-divina infallibili, quæ vi sui muneris infallibilitate gaudeat, veritas credenda proponatur. Distinguimus auctoritatem quæ vi sui muneris sit prædita infallibilitate, et auctoritatem quæ non erret, et aliquo certo signo constet non errare. Hoc enim altero in casu, potius habetur infallibilitas doctrinæ quæ hic et nunc traditur quam infallibilitas magistri docentis. Jam vero fac hypothesim quod doctrinam quam quis prædicat Deus miraculis evidentibus confirmet, licet ille non gaudeat auctoritate infallibili, ita ut ex sola ejus affirmatione nulla vel ex lege naturæ oriatur obligatio credendi, tamen propter intercedens testimonium Dei constat esse infallibiliter verum quod traditur, etsi traditur simul infallibilitas magistri, constabit hæc quoque. Ita Apostoli suam missionem suamque infallibilitatem probarunt. Rursus quemadmodum præsentibus certa esse potest veritas miraculi, ita eodem testimonio historico posteris certa esse potest, ac certitudine habente eamdem specie firmitatem qua gaudet certitudo videntium miraculum.

" Ergo et istis certum fieri potest Deum auctoritate sua testificari quod prædicatur: Atqui cum id constat, jam est possibilis fides divina [1]. „

Neque obstat S. Thomas asserens istud: " Innititur fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit, aliis doctoribus factæ [2]. „ Hic enim loquitur S. Doctor de objecto fidei omnibus communis et quidem catholicæ [3].

[1] Palmieri, *De Rom. Pont., Proleg.*, § XXII. [2] 1ª, q. 1, a. 8, ad 2m.

[3] Cf. cæterum Sylv., 2. 2., q. 1, a. 1. Concl. 3ª, Quær. I.

CAPUT II.

De auctoritate angelorum.

595. — Angeli sunt *boni* vel *mali:* de utrorumque igitur auctoritate dicendum occurrit.

ARTICULUS I.

DE AUCTORITATE BONORUM ANGELORUM.

De angelorum fidelium testimonio sit:

596. — PROPOSITIO. *Angelorum bonorum testimonia certa certitudinem pariunt.*

Dixi testimonia certa, de quibus nempe nobis certo constat, notatis nempe notandis, juxta theologos [1].

Probatur:

a) Eo quod perpetuo in Scripturis jubeantur homines angelis credere asserentibus [2].

b) Ex eo facto quod nullus homo unquam revelationem divinam immediate a Deo acceperit, sed angelis mediantibus [3]; et angeli proinde vocentur *nuntii* (αγγελοι), quasi antonomastice, a Deo ad homines. Dum ergo fides revelationi christianæ adhibetur, et angelorum veracitati simul credendum est.

597. — *c*) Probatur ratione. Duo requiruntur ad testimonii alicujus validitatem, scilicet cognitio et dictio veritatis, seu veritas et veracitas in teste.

Atqui utrumque habetur apud angelos.

Veracitatem inesse patet, cum angeli boni mendacium admittere nullatenus queant.

Veritatem inesse sic probat Angelicus: " Angelus non intelligit componendo et dividendo, sed intelligendo quod quid

[1] Advertatur oportet qua ratione angeli hominum intellectum et voluntatem aliasque facultates moveant. De quo cf. S. Th., 1ª, qq. 111, 112.

[2] Cf. Luc. I, 11-20; et 31-38; 45.

[3] 1ª, q. 98, a. 3; 2. 2., q. 2, a. 6, etc.

est. Intellectus autem circa quod quid est, semper verus est, sicut et sensus circa proprium objectum..... Sed per accidens in nobis accidit deceptio et falsitas intelligendo quod quid est, scilicet secundum rationem alicujus compositionis; vel cum diffinitionem unius rei accipimus ut diffinitionem alterius; vel cum partes diffinitionis sibi non cohærent. Sicut si accipiatur pro diffinitione alicujus rei animal quadrupes volatile. Nullum enim animal tale est. Et hoc quidem accidit in compositis, quorum diffinitio ex diversis sumitur, quorum unum est materiale ad aliud. Sed intelligendo quidditates simplices non est falsitas, quia vel totaliter non attinguntur, et nihil intelligimus de eis; vel cognoscuntur ut sunt. Sic igitur per se non potest esse falsitas, aut error, aut deceptio in intellectu alicujus angeli. Sed per accidens contingit, alio tamen modo quam in nobis. Nam nos componendo et dividendo quandoque ad intellectum quidditatis pervenimus, sicut cum dividendo et demonstrando diffinitionem investigamus. Quod quidem in angelis non contingit; sed per quod quid est rei cognoscunt omnes enuntiationes ad illam rem pertinentes. Manifestum est autem quod quidditas rei potest esse principium cognoscendi, respectu eorum quæ naturaliter conveniunt rei, vel ab ea removentur; non autem eorum quæ a supernaturali Dei ordinatione dependent. Angeli igitur boni habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis rei non judicant de his quæ supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salva ordinatione divina. Unde in eis non potest esse falsitas aut error. Dæmones vero per voluntatem perversam subducentes intellectum a divina sapientia, absolute interdum de rebus judicant, secundum naturalem conditionem. Et in his quæ naturaliter ad rem pertinent non decipiuntur. Sed decipi possunt quantum ad ea quæ supernaturalia sunt. Sicut si considerans hominem mortuum, judicet eum non resurrecturum; et si videns hominem Christum, judicet eum non esse Deum [1]. „

598. — *Quæres* quomodo angeli hominibus sese manifestent?

Resp. eos sese duplici modo manifestare, scil. tum exterius, dum vel assumpto corpore vel alio signo sensibus externis hominum sese manifestant; tum interius, dum vel illuminant

[1] 1ª, q. 58, a. 5.

intellectum sensibiles similitudines phantasiæ offerendo; vel movent voluntatem, suadendo aut passiones concitando; vel immutant imaginationem, imo et sensus, species inducendo, etc.[1].

DIFFICULTAS

599. — *Obj.* Dari nescientia potest in angelis circa illa quæ ab ejusdem voluntate libera pendunt: ergo et error.

Resp. neg. conseq. quia angeli non asserunt vel negant nisi illud quod asserendum vel negandum sciunt.

Advertendum præterea est angelos hominibus nonnisi ex parte Dei generatim loqui: unde semel probato ipsos a Deo mitti, nihil prorsus erroris timendum occurrit.

ARTICULUS II.

DE AUCTORITATE MALORUM ANGELORUM.

600. — Angelos malos, seu dæmones, sese hominibus manifestare, atque eis diversimode loqui tota historia sive sacra sive profana constat [2]. Sit ergo

PROPOSITIO. *Possumus aliquando nonnihil veri a dæmonibus discere, et ex eorumdem dictis arguere.*

Probatur:

a) Ex Scripturis. Etenim " *Numer.* XXII, dicit quædam glossa quod Balaam divinus erat, dæmonum scilicet ministerio et arte magica nonnunquam futura præcognoscebat. Sed ipse multa prænuntiavit vera, sicut est id quod habetur *Num.* XXIV: " Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel. „ Ergo etiam prophetæ dæmonum prænuntiant vera [3]. „ Ita S. Thomas in argumento aliquo *Sed contra.*

b) Confirmatur ex factis. Constat enim ipsos dæmones

[1] Cf. S. Th., 1ª, qq. 111, 112.

[2] Psellus: *De Dæmonibus.* Cf. Mirville, *Les esprits;* W. Scott, *Hist. de la Démonologie;* Gougenot Des Mousseaux, *Mœurs des démons;* Gaume, *Traité du Saint Esprit, etc.;* Goerres, *Mystique.* Innumeris fere modis sese manifestant dæmones: de quo vide imprimis Collin de Plancy, *Dictionnaire infernal.* Sed præ cæteris omnibus commendandus hodie est Méric: *Le merveilleux et la Science,* pro eximiis critices regulis, atque factorum recensione. Cf. Opp. D. Constantini James, et PP. De Bonniot et Franco.

[3] 2. 2., q. 172, a. 6, in arg. *Sed contra.*

nonnunquam ita vi evocantium cogi, ut verum inviti confiteantur [1].

601. — c) Accedit ratio. " Sicut se habet bonum in rebus, ita verum in cognitione. Impossibile est autem inveniri aliquid in rebus quod totaliter bono privetur. Unde etiam impossibile est esse aliquam cognitionem quæ totaliter sit falsa, absque admixtione alicujus veritatis. Unde et Beda dicit quod nulla est falsa doctrina quæ non aliquando aliqua vera falsis intermisceat. Unde et ipsa doctrina dæmonum, qua suos prophetas instruunt, aliqua vera continet, per quæ receptibilis redditur. Sic enim intellectus ad falsum deducitur per apparentiam veritatis, sicut voluntas ad malum per apparentiam bonitatis. Unde et Chrysostomus dicit *sup. Matth.*: " Concessum est dia-
" bolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veri-
" tate commendet [2]. "

Quapropter dæmones nonnulla ex iis quæ humanum captum per se superant cognoscentes, eademque sive propriæ naturæ virtute, sive bonorum spirituum doctrina discentes, possunt ea hominibus revelare sive eo fine ut illos in aliis decipiant, sive jussi a Deo ut verum fateantur.

In quibus tamen discernendis summo criterio opus est [3].

602. — Supposita autem ac historice demonstrata angelorum manifestatione, bonorum scilicet vel malorum, argui theologo licet non tantum ex verbis aut signis ipsorum, sed etiam ex factis, imo ex ipsa sola manifestatione. Multa namque exinde colligi possunt circa angelorum existentiam, naturam, potentiam in homines ac corpora materialia, vim intelligendi et volendi, etc.

Quæ omnia sane plurimum inserviunt *Pneumatologiæ* studiosis, ut patet.

DIFFICULTAS

603. — *Obj.* Dixit Christus de diabolo: " Ille..... in veritate non stetit, quia veritas non est in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est [4]. " Ergo.

[1] Cf. Gougenot Des Mousseaux, *Mœurs et pratiques des Démons*, cap. XXIII, et alibi.

[2] 2. 2., q. 172, a. 6. Vide responsiones ad objecta. Cf. *Cont. Gent.*, III, c. 154, etc.

[3] Cf. Schram, *Theologia Mystica, etc.;* Goerres, *Mystic.*

[4] Jo. VIII, 44.

Resp. cum S. Thoma: " Propria dæmonum dicuntur esse illa quæ habent a seipsis, scil. mendacia et peccata. Quæ autem pertinent ad propriam naturam non habent a seipsis, sed a Deo. Per virtutem autem propriæ naturæ quandoque vera prænuntiant, ut dictum est. Utitur etiam eis Deus ad veritatis manifestationem per ipsos fiendam, dum divina mysteria eis per angelos revelantur, ut dictum est [1]. "

604. — *Quæres* quid sentiendum sit de auctoritate animarum separatarum post mortem vivis, ut ajunt, apparentium, atque nonnulla revelantium.

Resp. Illud quod de angelis dictum est, de animabus separatis dicendum pariter videri, servatis tamen servandis, præsertim circa illa quæ de auctoritate animarum non beatarum referuntur.

Animæ enim illæ vel tamquam beatæ ac Dei amicitia gaudentes apparent aut loquuntur; vel tamquam non beatæ, imo et damnatæ. Omnes namque animas miraculo aliquo e locis suis exire posse ac vivis apparere ratione constat [2]; ac revera aliquando apparuisse historia sacra et profana asseritur.

Hanc tamen notant theologi intercedere utriusque apparitionum generis differentiam, quod animæ bonæ apparere possunt quandocumque voluerint; non autem animæ damnatæ, nisi permittantur [3].

A. Ubi autem constiterit animam sanctam apparuisse, patet ipsi adhibendam esse fidem. Etenim

a) Ex Scripturis constat animam Samuelis vera dixisse, imo et prædixisse [4].

b) Ita sentit Ecclesia dum passim vel supponit vel supponi permittit animarum sanctarum apparitiones vivis factas, necnon et earumdem veras passim fuisse prophetias ac doctrinas.

c) Patet demum ratione superius allata de testimonio angelorum fidelium.

605. — B. Neque fides facilius deneganda erit animabus reprobis, si eas apparuisse ac locutas esse certum aliquando fuerit. Etenim:

[1] 2. 2., q. 172, a. 6, ad 3m.
[2] 1a, q. 87, a. 8, ad 2m; IV, Dist. 45; q. 1, a. 1, q. 3, etc.
[3] IV, Dist. 45, q. 1, a. 1, q. 3.
[4] I. Reg. XXVIII, 11-20; Eccli. XLVI, 23.

a) Quod statuit Doctor Angelicus, apparitiones animarum vel bonarum vel malarum, sicut et angelorum, sunt ad utilitatem nostram [1].

b) Quod iterum comprobari videtur ex historia, qua generatim constat certiores hujusmodi apparitiones animarum reprobarum, etsi quandoque terribiliores, nihil tamen vel inutile vel ridiculum præ se ferre, quod in plerisque dæmonum apparitionibus evenit; sed plerumque ad viventium instructionem institutionemve fieri.

606. — *c*) Ratione demum confirmatur, siquidem animæ reprobæ non nisi speciali Dei permissu ac voluntate sese nobis manifestant: ergo colligendum est illas nonnisi utilia nobis allaturas esse.

Dixi tamen: Si certum fuerit istiusmodi animas aliquando locutas fuisse: quod diligentissimo severissimoque rerum examine solum admittendum erit, neque facilius credendum.

Illa vero artium magicarum, spiritismi, magnetismi animalis, hypnotismi, etc. phœnomena innumera, quotidie nobis undique enarrata, neutiquam separatis quibuscumque animabus tribuenda sunt, prout optime notant theologi ac philosophi, et hoc quidem variis rationibus, præsertim quia animæ separatæ nullum vi propria corpus movere possunt [2]; et quia animæ sanctæ operibus impiis vel ridendis cooperari nequeunt; animæ autem reprobæ non permittuntur rebus nostris sese immiscere, nisi ratione nobis proficua, ut dictum est [3].

De quorum omnium fusiori explanatione auctores probatos consulat prudens lector.

CAPUT III.

De auctoritate hominum.

607. — De auctoritate hominum postea dicendum est, et quidem fusius, propter argumenti necessitatem et amplitudinem.

Qui locus et *Historia* dicitur. De cujus generaliori commen-

[1] II, Dist. 6, 3, 5m. [2] 1a, q. 117, a. 4; Mal., q. 16, a. 10, ad 2m.

[3] Cf. Scavini, *Theol. Mor.*, et J. Nyder, Taillegried, Leloyer, Calmet, Dufremoy, Goerres, etc.

datione nihil addendum est, cum ipsius encomia tibi omnes undique præbeant.

Hoc autem argumentum sive in *genere*, sive in *specie* tractandum occurrit [1].

ARTICULUS I.

DE AUCTORITATE HUMANA, SEU HISTORIA IN GENERE.

608. — De qua tria dicenda hic sunt, nempe cujusnam sit *amplitudinis*, cujusnam *certitudinis*, cujus *necessitatis*.

§ 1.

Cujusnam amplitudinis sit historia.

PROPOSITIO. *Historia omnia quæ sub cœlo sunt et fiunt amplectitur.*

Probatur. Res vel æternæ vel temporales sunt.

Res æternæ, quales sunt Deus, ejusdem attributa, rerum metaphysica principia, etc., ad historiam quidem pertinere non possunt ratione æternitatis suæ; sed possunt tamen ratione manifestationis propriæ in ratione humana, et hoc pacto historiæ subjacent per accidens.

Res vero temporaneæ, seu quæ in tempore eveniunt, sive facta, sive dicta, *per se* proprie ad historiam pertinent.

Hinc cætera omnia theologiæ Loca, quaqua late patent, ejusdem aliquo modo constituunt dominium, ita ut Scriptura, traditio, Ecclesiæ auctoritas, etc., tamquam argumenta historica haberi queant atque historiæ sint objectum.

Quæ omnia ita ex se patent ut alia explanatione nullatenus indigeant.

§ 2.

Cujusnam certitudinis sit historia.

609. — PROPOSITIO. *Historia argumentum in rebus theologicis quandoque certum, quandoque probabile præstare potest.*

A. Probatur prima pars.

a) Facto constat veritates religiosas sive antiquitus sive recentius historia transmissas fuisse.

[1] Cf. Canus, *De Loc. theol.*, L. XI.

b) Ita Innocentius papa I: " Si neque in libris canonicis invenias veritatem, canones Apostolicæ Sedis intuere; si nec in illis, ad catholicæ Ecclesiæ historias catholicas a doctoribus catholicis scriptas manum mitte [1]. " Quod pariter, servatis tamen servandis, de cæteris historiis intelligendum est.

c) Ita sentiunt theologi, quorum omnium nomine unus referatur Canus, qui colligit " certum argumentum " aliquando depromi exinde posse, " ut theologiæ dogmata, firma etiam ratione constituantur [2]. "

Confirmatur ex omnium consensu in admittenda historiæ profanæ possibili auctoritate tamquam certa.

610. — *d*) Idem ratione ostenditur. Illi namque testi adhibenda fides est, qui certo nec erravit nec fefellit; cujus testimonium ab interpolationibus et mutilationibus integrum remanet; cumque demum istud recte intelligitur. Hanc hisce conditionibus certitudinem dari nullus nisi mente captus in dubium vocare potest.

Atqui de his omnibus aliquando certo constare potest, quod facili negotio ostenditur, supposito aliunde factum narratum nec contradictionem involvere, nec factis aliis iisdemque certis opponi.

Testem enim aliquem non errasse constabit, si mente ac sensibus sanum fuisse, si phantasiæ et passionibus nimium non indulsisse appareat; si facto proximum ita extitisse, ut visu vel auditu illud cognoscere, datis locorum ac temporum circumstantiis, potuerit, etc.; illum non mentitum esse, dum nulla dabitur mentiendi causa. Prioris asserti ratio est quia homo naturam rerum inquirit et amat [3]; posterioris vero, quia " nemo gratis malus [4]. "

De testium sive singillatim, sive simul sumptorum, auctoritate, sequentes statuuntur regulæ:

[1] xx Dist., cap. *De quibus*. [2] *Loc. theol.*, L. xi, c. iv.

[3] Cf. Cicer., *De Off.*, L. i, c. vi.

[4] Hic summum Baronium audiisse præstat: " Non parum certe interest in veritate historica disquirenda auctorum qui res gestas scripserunt, quo vixerint tempore, cujusve fuerint eruditionis atque existimationis habere rationem; potissimumque si hujusmodi scriptores rerum perspectarum, ac eorum ætate editarum, pietatem et virtutem cum doctrina et veritate conjunxerint, ut plane digni sint quibus fides integra adhibeatur; soli sint quibus cæteri assentiantur; soli denique sint quibus reliqui quæ sciverint vel scripserint tamquam ab iis accepta referant. " *Annal.* ad an. 34, n. 173. Cf. Canum, *Loc. theol.*, L. xi, c. vi et alibi passim.

Prima est: “ Præter auctores sacros, nullus historicus certus esse potest, i. e. idoneus ad faciendam certam in theologia fidem, „ nisi tamen et rei gravitas, et fictionis aut erroris impossibilitas, et narrantis omni exceptione major auctoritas, aliave circumstantia certitudinem pariat.

Altera hæc est: “ Historici graves ac fide digni, quales nonnulli sine dubio et in ecclesiasticis et in sæcularibus fuere, probabile (imo certum pro adjunctis prædictis) argumentum theologo suppeditant, tum ad ea quæ sua sunt corroboranda, tum ad falsas adversariorum opiniones refellendas. „

Tertia est: “ Si omnes probati ac graves historici in eamdem rem gestam concurrant, hinc ex horum auctoritate certum argumentum promitur, ut theologiæ dogmata firma etiam ratione constituantur [1]. „

Testimonium vero authenticum esse, i. e. incorruptum, colliges, si indicia habeantur tum *interna*, tum *externa* communiter a Logicis tradita [2]: utrum scilicet quæ scribuntur, tempori, loco, personis conveniant; utrum cum auctoris stylo, doctrina, moribus (servatis tamen hac in re servandis) concordent; utrum narrationis partes inter se conveniant; utrum traditione aliqua, aliunde orta, confirmentur; utrum consentiant codices; utrum asserventur autographa; vel integra apographa, etc.

Illud demum testimonium probe intellexeris si *philologiam*, *palæographiam*, ut infra dicetur, apprime calleas.

611. — *B.* Probatur altera pars, et quidem ex antea dictis. Dum enim ex prædictis conditionibus vel aliquæ deficient, vel nonnullæ quasi imminutæ habebuntur, hinc non certitudo quidem, sed tamen probabilitas gignetur.

Viri autem catholici historicæ scientiæ incumbentis indolem et officium ita graphice perstringit Leo papa XIII: “ Viri probi in hoc disciplinarum genere scienter versati, animum adjiciant oportet ad scribendam historiam (imo et ad discendam) hoc proposito et hac ratione ut quid verum sincerumque sit appareat, et quæ congeruntur jam nimium diu in Pontifices Romanos injuriosa crimina docte opportuneque diluantur. Jejunæ narrationi opponatur investigationis labor et mora;

[1] Canus, *Loc. theol*, L. XI, c. IV.

[2] Cf. Philosophos scholasticos, inter quos indicandos putamus Sanseverino, Liberatore, Gonzales. Cf. Daunou, *Cours d'études historiques*.

temeritati sententiarum, prudentia judicii; opinionum levitati scita rerum selectio. Enitendum magnopere ut omnia ementita et falsa adeundis rerum fontibus, refutentur; et illud imprimis scribentium obversetur animo *primam esse historiæ legem ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis*[1]. „

DIFFICULTATES

612. — *Obj.* 1° Historia est ad narrandum, non ad probandum. Ergo.

Resp. dist. antec. Historia est ad narrandum, et quidem cum probationibus et non temere, *conc.;* secus, *nego;* unde ex ipsius testimonio mox necessario, mox probabiliter argui potest.

Obj. 2° Multa apud historicos tamquam certa aliquando narrata sunt, et ab eis tamquam certa vulgo accepta, quæ tamen postea dubia evaserunt, imo falsa agnita sunt. Ergo.

Resp. dist. ant. Multa quæ prius tamquam certa habita sunt, deinde dubia, imo et falsa, agnita sunt, quæ ab historicis levioris ingenii et prudentiæ tradita fuerant, *conc.;* quæ prædictis in thesi conditionibus et tradita et accepta fuerint, *nego.*

613. — *Quæres:* Quidnam auctoritatis accedat historiæ ex approbatione ecclesiastica vel pontificia?

Respondeat Canus: " Si cui historico auctoritatem Ecclesia tribuit, hic dubio procul dignus est cui nos etiam auctoritatem adjungamus; contra vero cui Ecclesia derogavit fidem, ei quoque nos fidem jure ac merito derogabimus[2]. „ Quod tamen intelligendum est de auctoritate asserenda vel neganda in theologicis conclusionibus per se eruendis, siquidem ex documentis prædictis argui saltem potest non minus quam ex legendis et apocryphis, ut infra dicetur.

Cæterum " in maximo illi errore versantur qui rerum gestarum memorias tamquam Ecclesiæ oracula accipiunt, si eas in Epistolis et Decretis suis Pontifices aliquando usurparint. Non est idem, mihi crede, historiæ approbatio et usurpatio. Utitur quidem interdum Pontifex, si quicquam suadere cupit, receptis opinionibus, sententiis, rebusque vulgatis: at non continuo quæcumque in hunc usum attulerit, ex Sedis Apostolicæ ju-

[1] Epist. *Sæpenumero*, data die 18 aug. 1883. Verba litteris italicis Tullii sunt.
[2] *Loc. theol.*, L. XI, c. VI. Lege locum et probationes.

dicio probat. Aliud quippe est suadentis munus, aliud diffinientis. Qui pronunciat, res veras ille affert; qui suadet, nonnunquam verosimiles. Audiebam de præceptore meo [1] puer nullum omnino argumentum esse negligendum, in quo aliqua significatio veritatis appareat. Amplectendum autem esse ita unumquodque maxime ut quodque ad faciendam fidem erit aptissimum. Ad cujus præcepti formam non modo dialectici et oratores, sed veteres etiam theologi suas disputationes effinxerunt. Nam in causam suam quisque et quibuslibet argumentis quandoque abusi sunt, et vulgi etiam credulitate. Itaque imprudentium hominum erit historias quasvis, obiter etiam et ad præsentem causam a Pontifice adductas, non aliter amplecti atque eas quæ sint Ecclesiæ certo judicio comprobatæ [2]. „

§ 3.

Cujusnam necessitatis sit historia.

614. — Propositio. *Historia summæ utilitatis, imo et quandoque necessitatis theologo est.*

Probatur paucis inter multa argumentis:

a) Ex dictis de historiæ amplitudine ac certitudine; et ex infra dicendis de ejusdem usu vario in rebus theologicis.

b) Ex omnium consensu: “ Etenim viri omnes docti consentiunt rudes omnino theologos illos esse in quorum lucubrationibus historia muta est. Mihi quidem non theologi solum, sed nulli satis eruditi videntur quibus res olim gestæ ignotæ sunt. Multa enim nobis e thesauris suis historia suppeditat, quibus si careamus, et in theologia et in quacumque ferme alia facultate inopes sæpenumero et indocti reperiemur. Cum vero pateat quandoque in re quondam gesta theologicæ disputationis cardinem verti, quis est hic qui neget interdum etiam in scholastica disputatione opus esse ex annalium monumentis testes excitare clarissimos veritatis? „ Ita Canus [3], qui præter alia exempla liberationem illam Trajani ab inferno refert.

615. — *c*) Probatur ratione. Religio, præsertim revelata ac su-

[1] Qui præceptor P. Victoria fuit, vir summi ingenii, quo sane digna fuit prædicta sententia.

[2] *Loc. theol.*, L. xi, c. v.

[3] *Loc. theol.*, L. xi, c. ii.

pernaturalis est aliquod factum, quod ex parte sacrum, ex parte profanum est: ergo historiæ tum sacræ tum profanæ innititur.

Recte ergo gravibus hisce verbis concludit Canus : " Non historia solum ecclesiastica, sed etiam quæ est ab ethnicis auctoribus (seu profanis quibuscumque) scripta, theologo contra adversarios fidei utilissima est. Quapropter rudem esse omnino in historiis Gentilium aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi. Enimvero quod commode ac prudenter non in concionibus dico, sed etiam in disputationibus theologus exempla proferat, dum quidpiam vel justum esse suadet vel injustum, quoniam a viris aut probis aut improbis usurpatum est, Tertullianus, Hieronymus aliique viri gravissimi satis ostendunt, qui non raro hujusmodi persuasionis genere delectantur. At exempla probabilia sine historiæ cognitione proferre qui possunt? Quam late igitur historiæ utilitas fusa sit, apparet: siquidem quacumque theologi ingredimur, sive concionando, sive disputando, seu sacras Litteras exponendo, in aliquam historiam vestigium ponimus. Itaque cum ad has multas res theologo perutiles sint historiarum libri, studiose profecto ab eo legendi sunt, ne turpiter in rebus ad se maxime pertinentibus erret, eaque ignoret, quæ ignorari non sine imprudentia modo, sed ne sine imperitia quidem possunt. Historia quippe, ut Cicero verissime dixit, cum magistra vitæ est, tum lux etiam veritatis [1]. "

DIFFICULTAS

616. — *Obj.* Theologus sicut et philosophus scholasticus de omni re scibili, *et quibusdam aliis*, quasi *a priori* et ex principiis metaphysicis disserere et judicare potest ac debet. Ergo inutilis historia.

Resp. neg. supp. Qui enim philosophus aut theologus disserit ita et judicat, male officio suo perfungitur, si quidem *primo* principia metaphysica, etsi in se certa, non tamen nobis indubia semper sunt, unde ex factis ipsis lucem accipiunt; *deinde* principiorum illorum realis *explicatio* seu applicatio contingens plerumque est, præsertim in rebus humanis: unde utroque titulo necessaria dicenda est historia [2].

[1] *Loc. theol.*, L. XI, c. II.
[2] Cf. Bossuet, *Discours sur l'Hist. Univ.*, *Disc. prélim.*

ARTICULUS II.

DE HUMANA AUCTORITATE, SEU DE HISTORIA IN SPECIE.

617. — In historia, seu auctoritate humana, quatenus præ manibus habemus et ab antiquis accipimus, duo considerari congruit, scilicet *documentum ipsum* seu *signum*, quo transmittitur factum, et *factum* seu *significatum*, i. e. rem nobis exinde cognitam. Quod utrumque separatim pensandum theologo est, ita ut de signo discamus cujusnam fidei et auctoritatis sit; de significato autem, quomodo ex eodem in theologia argui liceat. Haud secus apud doctos distinguuntur invicem et *crisis textuum* et *crisis factorum.*

§ 1.

De signo testimonii humani.

Homo sensus proprios aut *verbis* seu ore, aut *documentis* transmittere potest.

De singulis singulatim tractandum est, ita ut dicenda et ad historiam sacram et ad historiam profanam referantur.

I. De signo orali testimonii humani, seu de traditione humana.

618. — Propositio. *Signum orale esse potest veritatis testimonium quandoque certum, quandoque probabile.*

A. Probatur prima pars.

a) Ita sentiunt theologi, apologistæ et historici omnes, dum ex quibusdam traditionibus nonnulla dogmata vel facta probant, v. gr. hominis lapsum originalem, remunerationem in altera vita hominibus tribuendam fore, Incarnationem Christi, etc.

b) Idem probant plures ex allatis supra rationibus de traditionis divinæ auctoritate.

c) Hæc addatur ratio altera: " Traditio est testium continuata successio memoriam facti non scriptis sed ore transmittentium. Hæc si characteres habeat ad auctoritatem plenam necessarios, indubiam parit fidem, propterea quod ejus causa

nec testantium error, nec conspiratio in mendacium, sed facti dumtaxat veritas esse potest.

" Ut autem traditio id præstet, exquirit primum ut sit *continua,* nempe talis ut ab ultima linea ascendat revera ad ipsum initium in testibus facto coævis et oculatis situm.

" Deinde ut sit *ampla*, plures nimirum testes amplectens in singulis lineis suæ seriei.

" Tertio ut sit *illustris*, quatenus nempe versetur circa factum ita publicum, ut a pluribus cognosci potuerit, et plurium attentionem excitaverit.

" Denique ut sit *uniformis;* nimirum ejusmodi ut testimonia unde coalescit consentiant inter se, saltem quoad facti substantiam et adjuncta præcipua, licet fortasse dissentiant in adjunctis secundariis, quæ ad facti substantiam minime pertinent.

" Quod si ejusdem facti memoria apud diversas gentes, vel saltem integram nationem vigeat; si solemnibus cæremoniis, ritibus, diebus festis, aut publicis ludis celebretur; si denique in ipsis nominibus urbium, fluminum, montium et similium, seu veluti vestigia impresserit, mirum in modum vis oralis traditionis augescit; maxime vero si dicta traditio narrationi etiam historicæ scriptorum, vel monumentis quæ supersunt, concordet [1]. "

Hoc vero animadverte, scil. impossibile esse traditionem apud varios populos loco et tempore dissitos vigentem, veritate non pollere, seu non pertinere ad veritates illas quæ ante populorum dispersionem communes vel ex revelatione, vel ex aliquo facto publico fuerunt; aut ad illa dictamina quæ humana ratio necessario invenit et exprimit: utrinque igitur habetur certitudo.

619. — *B.* Probatur propositionis pars altera, et quidem ex iis quæ mox diximus, cum ubi minores fuerint illæ dotes, ibi minor quoque ac mere probabilis evadet traditionis auctoritas.

DIFFICULTAS

620. — *Obj.* Experientia et ratione omnino constat traditionem per se mutabilem esse, nisi adsit illa Dei providentia specialis qua superius Traditionem in Ecclesia donavimus: ergo.

[1] Liberatore, *Instit. Philos.*, *Log.*, Part. II. App. *De arte critica.*

Resp. Transeat antec. et *neg. conseq.* Etsi enim detur traditionem humanam per se labilem esse, non inde sequitur eamdem continuo ac semper reipsa labi, nec quatenus immutatam demonstrari non posse.

Atqui immutata demonstrari aliquando potest, ut ostendimus: Ergo stat propositio.

Diximus tamen: *Transeat antecedens:* quia falsum prorsus est traditionem in quibusdam rerum adjunctis, ut puta, si agatur de facto publico et magni momenti, adeo labilem dicendam esse.

II. De signo documentali auctoritatis humanæ.

621. — Auctoritatis seu testimonii humani signum documentale est vel *scriptura*, vel *figura*. De singulis agendum.

1. De scriptura, seu signo scripto testimonii humani.

Homo facta veritatesque manifestare scripto potest, seu scripturæ signo; quæ *ideographica* dicitur, si imaginibus aut symbolis ideam significet; vel *phonetica*, si illam sonis aut vocibus menti revocet [1]. Illa oculis, ista auribus est; nec aliud signum *per se* dari posse videtur, quo homo a longe sensum manifestare valeat, licet alio signo *per accidens* uti possit: ratio est quia visus et auditus soli inter sensus exteriores cognitionis rationem sortiuntur.

622. — Propositio. *Scriptura per se est signum certum auctoritatis humanæ, nec nisi per accidens incertum evadit.*

A. Probatur prima pars hac sola ac sufficienti ratione.

In hujusmodi signo duo attendantur oportet, nempe ejusdem genuinitas et stabilitas ex parte materiæ; et ejus interpretatio ex parte formæ.

Atqui scriptura *per se* est signum stabile atque duraturum, nec nisi materiæ fragilitate, vel malitia aut negligentia hominum, aut temporis usura in deterius mutatur.

Ejusdem vero interpretatio certa iterum esse prorsus potest. Ad hanc enim certitudinem comparandam duo requiruntur et sufficiunt, scilicet cognitio linguæ seu idiomatis, quod scri-

[1] Cf. De Rosny: *Recherches historiques sur l'écriture des différents peuples;* et auctores ab ipso relatos.

ptura refertur; et cognitio certa characterum quibus exprimitur scriptura, et materialium quibus continetur.

Illa porro cognitio linguæ acquiritur tum *scientiis linguisticis*, quibus edocemur leges phonicas, vocum formationes ac transformationes, radices, etymologias, idiomatum affinitates, etc.; tum *philologia*, qua discimus grammaticales leges et conditiones, etc. Harum necessitatem atque utilitatem ita describit Hieronymus, vir hisce in rebus versatissimus: „ Difficile est alienas linguas insequentem non alicubi excidere; arduum ut quæ in aliena lingua bene dicta sunt, eumdem decorem in translatione conservent; significatum est aliquid unius verbi proprietate, non habeo meum quo id efferam; et dum quæro implere sententiam, longo ambitu vix brevia spatia consumo. Accedit hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varietates figurarum, ipsum postremo suum, et, ut ita dicam, vernaculum linguæ genus. Si ad verbum interpretor, absurde resonat; si ob necessitatem aliquid in ordine aut in sermone mutavero, ab interpretis videbor officio recessisse [1]. „

Cognitio autem characterum et materialium, seu documentorum quibus exprimitur signum scriptum, duobus perficitur istaque duo requirit. Vel enim documenta illa, characteres, etc. habentur non quidem in fontibus primævis et originariis, sed in recentioribus editionibus, i. e. in libris, et in his discernendis prodest *bibliographia* imprimis *materialis*, qua discernuntur purgatiores editiones a mendacioribus, recentiores ab antiquis, accuratiores a minus curatis, etc.; vel illa habentur et considerantur in vetustioribus atque originariis monumentis, tuncque ista aut sunt levioris materiæ, v. gr. chartæ, panni, pergamenæ, pellis, etc., et discernuntur ope scientiæ *diplomaticæ*, cui pertinet rursus chronologiam, abbreviationem, sigilla, etc. examinare; aut sunt materiæ durioris ac stabilioris, v. gr. marmoris, æris, ferri etc., proindeque breviora sunt, ac *inscriptiones* dicuntur, tuncque *epigraphiæ* ope discernuntur et judicantur. Quibus datis omnibus, certo innotescit signum scriptum, proindeque et certo innotescit significatum.

Quas omnes scientias enixe theologo commendandas censemus, quasi egregia theologicæ scientiæ instrumenta [2].

[1] *Præfat. in Euseb. Chron.* Cf. *Epist ad Pamm., De optimo genere interpretandi.*
[2] En nonnullos quibus uti poteris libros, de Philologia, cf. Pezzi, *Introd.*

623. — *B.* Ex dictis probatur rursus altera pars propositionis: quia nisi integræ dentur prædictæ conditiones, non nisi ad probabilitatem pervenietur, ut patet.

APPENDIX

DE EPIGRAPHIÆ SPECIALI UTILITATE.

624. — Nonnulla de Epigraphia (ab ἐπι-γράφω) addimus propter ejusdem utilitatem eximiam.

Epigraphia est scientia inscriptionum. Quas ab antiquitate cum sacra tum profana innumeras haberi nullus est qui nesciat, e quibus intelliguntur leges, ritus, memoriæ, dogmata, etc. Scientiæ hujus utilitas in theologia in conservanda veritate, multipliciter probatur:

a) Exemplo S. Pauli, qui coram Atheniensibus disseruit ex hac inscriptione profana: *Ignoto Deo!* quam in ara quadam urbem intrans legerat [1].

b) Ita sentiunt theologi qui jamdiu epigraphiam Locis theologicis adnexuerunt, inter quos Mamachi [2] et Zaccaria [3]. Unde recentior: " Magni faciendam esse veterum inscriptionum christianarum (idem dic de inscriptionibus profanis, ex quibus nonnullam theologus accipit utilitatem indirecte) auctoritatem ex eo facile colligitur quod antiqui fideles summo cum animi candore lapidibus ad perennem memoriam consueverint fidem suam exhibere. Luculentissima proinde traditionis ac fidei tunc temporis receptæ cum ejusmodi inscriptiones prodierunt, testimonia sunt, et eo pretiosiora quod pauca om-

à l'étude de la science du langage; Max Müller, *Lectures of the science of Languages;* Sayce, *The principles of comparative Phylology;* Lersch, *Spracht philosophie.* De Bibliographia, innumera extant opera conscripta a tempore quo Photius suum *Myriobiblion* edidit, usque ad hanc recentiorem ætatem, qua imprimis prodierunt libri doctissimorum virorum Brunet, *Manuel du libraire;* Ebert, *Allgemeines bibliographisches Lexicon, etc.* Quoad Palæographiam et Diplomaticam, cf. Mabillon, *Palæographia Græca; De re diplomatica;* Champollion Figeac, *Paléographie universelle;* L. Gauthier, *De l'étude de la Paléographie et de la Diplomatique.* De Epigraphia, cf. Maffei, *Ars critica lapidaria;* Oudenbourg, *De veteribus inscriptionibus;* Sainte-Croix, *Essai sur les inscriptions antiques;* Le Bas, *Sur l'utilité que l'on peut tirer de l'épigraphie pour l'intelligence des auteurs anciens, etc.*

[1] Act. XVII, 23. [2] *Antiquit. Christ.*

[3] *Diss. de veterum Inscriptionum Christianarum in rebus theologicis usu.*

nino ex primis Ecclesiæ sæculis Patrum scripta ad nos usque pervenerint. Quare ejusmodi inscriptiones tamquam supplementum spectari debent librorum inopiæ, quos vel vulgare Patres tot pressi ethnicorum insectationibus non potuerunt, aut tempus edax nobis eripuit [1]. „

625. — *c*) Probatur præterea hacce ratione. Inscriptiones magnæ erunt auctoritatis ad referenda nobis præterita, si (dum authenticæ supponuntur) probe et legantur et intelligantur [2]. Atqui innumeræ dantur inscriptiones authenticæ, eædemque rite et leguntur et intelliguntur. Quod non difficilius apparebit si perpenderis sequentia, nempe: *primo*, utrum scriptæ sint vel incisæ; *secundo*, utrum in monumentis publicis, v. gr. templis, sepulchris, monetis, dypticis, etc.; vel privatis, v. g. in calicibus, vasis, numismatibus, annulis, eucolpiis; utrum proinde sint religiosæ, votivæ, historicæ, honorariæ, monumentales, juridicæ, sepulchrales, mixtæ, etc.; *tertio*, quonam metallo inscribantur, v. gr. ferro, plumbo, terra, cera, calce, etc.; *quarto*, utrum stylo libero vel metrico; *quinto*, quanam litterarum forma; *sexto*, cum quanam punctatione; *septimo*, cum qua orthographia; *octavo*, cum quibusnam abbreviationibus; *nono*, cum quibusnam siglis; *decimo*, cum quibus ornamentis; *undecimo*, in quonam reponantur loco; *duodecimo*, quo tempore scriptæ fuerint, quod perspicies ex indicatione consulatuum, indictionum, ex collatione cum aliis documentis, ex notitia nominum, factorum, etc.; ex forma litterarum, etc., etc. De quibus omnibus consule doctiores [3].

Hoc tantum adverte tibi melius profuturam esse epigraphiam, si inscriptiones disposueris non quidem ordine alphabetico, ut in *dictionnariis*, sed vel ordine chronologico, vel ordine geographico, vel ordine analytico, seu juxta objecti varietatem, vel imprimis ordine mixto [4].

[1] Perrone, *Loc. theol.*, Part. II, sec. II, c. III, § I.

[2] Hisce duabus conditionibus contineri videntur sequentes a P. Zaccaria requisitæ, scil.: 1° Lapidum quibus referuntur inscriptiones ætas constare debet; 2° Inscriptiones ipsæ accuratissime legendæ sunt; 3° Curandum ut recto ac genuino sensu intelligantur; 4° Cavendum ne phrases quædam perperam accipiantur; 5° Una cum aliis conferenda est; 6° Conferendæ sunt cum aliis ejusdem ætatis certis documentis; 7° Earumdem ornamenta et adjuncta perpendenda sunt. (*Diss. de usu Vet. Inscr. in Theol.*).

[3] Cf. De Rossi, *Inscriptiones, Præf.*

[4] De Epigraphia Christiana innumeros consulere poteris auctores, inter

2. De signo figurato seu monumentali auctoritatis humanæ.

626. — Homines non verbo tantum vel scripto, sed etiam monumentis variis veritatem aut errorem significare ac posteris transmittere possunt. Hinc habetur *archæologia* (ἀρχαῖος-λόγος), i. e. notitia seu scientia rerum antiquarum et monumentorum veterum, eorumdemque sive sacrorum sive profanorum.

Monumenta autem illa varii multiplicisque sunt generis, quæ tamen ad quinque genera reduci posse videntur.

Prima namque pertinent ad *architecturam*, suntque ædificia profana vel sacra; istaque vel religiosa vel funeralia; vel super terram erecta, vel subterranea, ut templa, basilicæ, baptisteria, altaria, sepulchra, cubicula, cryptæ, capellæ, catacumbæ, confessiones, martyria, etc.

Altera ad *sculpturam* spectant, qualia sunt statuæ, sarcophaga, ornamenta glyptica, vasa, diptyca, instrumenta, etc. ebore, metallo, marmore aliisve materiis confecta.

Tertia ad *picturam* referuntur, et sunt picturæ murales, in catacumbis, sepulchris, templis; picturæ musivæ, picturæ in vitris, etc.

Quarta ad *glypticam*, referuntque personas, facta, etc. in petris, margaritis aliisve metallis insculpta. Huc spectat imprimis *numismatica*, qua comprehenduntur *monetæ*, *medalia* [1], etc.

Pro numismaticorum monumentorum frequentia et usu notamus inspicienda esse in singulis metallum, modulum, grossitiem, partem anticam, partem posticam, legendam, inscriptionem, campum, exergon, monogrammata, ætatem, valorem [2].

Quinta sunt *mobilia* et *utensilia*, vel *sacra*, ut vasa, martyrii instrumenta, reliquiaria, reliquiæ; vel *profana*, seu domestica

quos eminent J. B. De Rossi *Inscriptiones Christ. Urbis Romæ VII sæculo antiquiores;* Le Blant, *Inscription Chrétiennes de toute la Gaule, antérieures au VIII siècle.* Cæteros tibi præbebunt Martigny, *Dictionn.*, art. *Inscriptions;* Krauss, *Real-Encycl.*, art. *Inschriften.* De epigraphia profana cf. Gruterum, Grævium, Gronovium, Muratori, etc., etc.; imprimis inter recentiores Franz, *Corpus Inscriptionum Græcarum;* Mommsen, *Corpus Inscriptionum Latinarum;* Baillie, *Inscriptions Asiatiques;* De Wal, *Inscriptions Mythologiques du Nord*, etc., etc.

[1] Cf. Kraus, *Real-Encycl.;* Martigny, *Dict.*, art. *Numismat.;* Bouillet, art. *Numismat.*, qui tibi auctores præcipue hic consulendos indicabunt.

[2] Cf. A. Barthélemy, *Manuel de Numismatique ancienne et moderne, etc.*

et civilia, qualia sunt jocalia, vestimenta, etc.; *mixta* demum, ut lampades, etc. [1].

Hisce præhabitis, sit:

627. — PROPOSITIO. *Archæologiæ monumenta, seu auctoritatis humanæ figurata signa, certo vel probabiliter verum præbent, pro vario adjunctorum statu et natura.*

A. Probatur prima pars:

a) Exemplo historicorum omnium qui non recentius modo, sed et antiquitus ad monumentorum hujusmodi fidem appellaverunt. Unde et Tullius: " Exempla ex veteri memoria et monumentis ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis. Hæc plurimum solent et auctoritatis habere ad probandum, et jucunditatis ad audiendum [2]. "

b) Haud secus rem sese habere in theologia confitentur omnes, hisce præsertim temporibus, unde alii *theotocologiam* [3], alii tractatum de Missa [4], alii alias theologiæ partes ex archæologicis monumentis illustrarunt eximia scientia atque utilitate [5].

Haud secus plures Scripturam sacram ex monumentis illustrare non sine maximo proventu tentarunt [6].

628. — *c*) Ratio est quia hujusmodi monumenta per se immutabiliora ipsis scriptis sunt, ut sponte cuique patet, præsertim ante typographicæ artis inventionem, et facilius necnon et vividius intelliguntur, juxta illud:

> Segnius irritant animos demissa per aurem
> Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus [7].

Quod utrumque nullus sanæ mentis in dubium unquam vocabit. Ergo ex archæologia desumi certo potest indubium auctoritatis humanæ signum.

[1] Prædicta monumenta pleraque invenies excisa apud Garrucci, *Storia dell'Arte;* ejusve antecessorem, D. D'Agincourt, *Histoire de l'Art par les Monuments.*

[2] *In Verr.*, Act. II, L. III, c. XC.

[3] Rohault de Fleury, Melia, Lehner, etc.

[4] Rohault de Fleury.

[5] Hic imprimis commendanda sunt illa virorum Martigny et Kraus toties laudata opera.

[6] Hic inter alios nominare libet: Gainet, *La Bible sans la Bible ;* Vigouroux, *Etudes Bibliques;* Jahn, Schegg, Anfossi, Fillon, Smith, Moigno, Lenormant, Vogué, etc. De archæologia profana, cf., prætermissis fusioribus libris, Dictionnaria DD. W. Smith, Rich., etc.

[7] Horat., *De Arte Poet.*, v. 180-181.

B. Probatur tamen altera pars propositionis, scilicet probabile signum tantummodo exinde habendum esse, si imminuantur prædictæ conditiones.

629. — Quo autem monumentorum illorum authentia, antiquitas et interpretatio certiores habeantur, aliqua methodo in iis inspiciendis opus est.

Tria autem hæc sufficere videntur, nempe monumentorum *autopsis*, *crisis* et *hermeneia*.

Autopsis est inspectio monumenti externaque descriptio quoad materiam, conservationem, locum, stylum, ideam, ejusdem apud doctos celebritatem, ipsius ætatem, etc.

Crisis est judicium de dignitate, antiquitate, etc. monumenti propositi, ex materia, stylo, objecto repræsentato, etc. desumptum et prolatum.

Hermeneia sensum ejusdem præbet juxta materiam, collocationem, stylum, ideam, comparationem, inscriptiones, effigies, etc.

Quæ omnia præcepta si præ oculo habueris, atque in praxim reduxeris sedulo, utile dulci probe miscebis.

DIFFICULTAS

630. — *Obj.* Per tot sæcula ignotæ quasi fuerunt hujusmodi disciplinæ, præsertim sæculis medii ævi, cum tamen eximii undequaque floruerunt theologi. Ergo theologis inutiles.

Resp. 1° *Transeat antec.* et *neg. conseq.* Etsi enim daretur absque hujusmodi disciplinis aliquem eximium theologum evadere posse, non tamen inde colligendum foret illas inutiles esse, cum eximiæ utilitatis esse possint, nisi *per se*, saltem *per accidens*, i. e. ad refellendos adversarios, qui iis uti possunt ad impugnandam fidem nostram; vel ad accipienda inde arma contra novatores quoscumque.

Resp. 2° *Dist. antec.* Retroactis sæculis, quibus ignotæ prorsus fuerunt hujusmodi disciplinæ, extiterunt theologi eximii quibusdam titulis, v. gr. quoad intelligentiam et explanationem *metaphysicam* (absit invidia verbo!) dogmatis christiani, *conc.*; omnibus titulis, præsertim quoad theologiam quam positivam dicunt, *nego.* Quapropter, dum sumus laudatores temporis acti, cavendum ne cœcutiamus, sicut senioribus accidit.

Cæterum concedendum non est disciplinas illas antiquis prorsus ignotas fuisse. Etsi enim ista cum sua scientifica forma et evolutione nondum existerent, attamen multa illarum theoremata et quasi semina accipiebantur ac servabantur, unde quandoque argumenta et ipsi veteres in re theologica sumebant.

Probationi sit v. gr. vulgatum illud effatum apud Patres, scil. imagines in Ecclesiis poni ad erudiendum populum de veritatibus quas e libris haurire impar foret, vel minus aptus.

APPENDIX

DE ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM AMPLITUDINE.

631. — Quia prius de *archæologia*, etsi breviter, actum est, hinc videtur quid addendum esse de antiquitatum christianarum amplitudine, quo magis pateat archæologiæ, affiniumque scientiarum eximia utilitas.

Diversimode antiquitates christianas dividunt auctores; frequentius tamen istas, tamquam earumdem partes integrales, indicant, videlicet illas quæ referuntur *primo* ad constitutionem, administrationem et jurisprudentiam Ecclesiæ; *secundo* ad cultum; *tertio* ad vitam privatam; *quarto* ad artes; *quinto* ad litteras; *sexto* ad dogmata.

Quæ rerum propositarum divisio incertior videtur, atque ratione logica et amplitudine nimium destituta: quapropter Mamachianam [1] afferimus, unde melius appareant et viri illius scientia et archæologiæ simul et historiæ christianæ dignitas. " Cum diu, inquit, multumque mecum cogitassem, accessi ad eam opinionem ut, quamvis secus nonnulli statuerunt, ad omnia tamen quæ propria veterum Christianorum fuissent colligenda, plus viginti libris opus non esse arbitrarer. Nam ejus generis universa cum partim nominibus, partim rebus continerentur, essetque jam vetere scriptorum illustrium more constitutum, ut a vocibus scribendi initium duceretur, explicatus est is locus priore libro, ut quibus ipsi se appellare, quibus ab ethnicis vocari nominibus Christiani consuessent, perspiceretur. Cumque appellationes quas inimici nostris hominibus tribue-

[1] Mamachio ex Prædicatoribus addendi sunt inter primores archæologos Fr. Giocondo († 1517), Fr. Marmochini († 1545), Fr. Ciacconio († 1601), etc.

bant, nisi cognitis calumniis ex quibus essent profectæ, intelligi vix posse viderentur, adjuncta est de calumniis earumque caussis disputatio; tertioque ejusdem libri capite demonstratum quibus eas rationum momentis Patres depulissent [1]. Quibus rebus perfectis, sequutus est de origine et propagatione christianæ religionis liber. Non enim probare illorum sententiam poteram, qui, missis originalibus progressibusque religionis, neglectaque illa quæ est de majorum nostrorum moribus quæstione, post absolutum de nominibus librum, de forma christianæ civitatis agendum sibi esse judicarent. Sed quia latius genus hoc argumenti patere animadverteram, dividendus is liber fuit in partes duas, quarum prima generatim quibus modis orta ac propagata; altera ut introducta in varias provincias, in iisque disseminata religio fuerit, explicarem.

632. — " His autem perfectis, tertius addetur liber, de moribus, quibus Christiani veteres vivebant. Nisi enim propositis eorum virtutibus, informari in animis nostris notio sanctissimæ illius qua conjuncti fuissent, societatis vix potest. Atque ubi constiterit quorumnam hominum labore, qua vitæ institutione, quibus præsidiis, doctrina ac disciplina nostra in universum terrarum orbem manaverit, quartus liber sequetur de ratione christianæ reipublicæ, quam vocare hierarchiam ecclesiasticam possumus. Magnus namque locus, atque a viris doctissimis tractatus uberrime, a me quidem certe, qui origines antiquitatesque christianas investigaram, omittendus non erat. Arbitrabar enim nostris hominibus inutile minime esse futurum, si mea quoque opera intelligerent, quis in Ecclesia universa primas jam usque ab initio partes teneret, qui Patriarchæ, qui Primates regionum quarumdam, qui Metropolitæ, qui Hexarchi, qui Episcopi, qui Archipresbyteri, Presbyteri, Archidiaconi, Diaconi, etc.; a quo instituti essent, qua auctoritate quibusque opibus valerent, quamque late eorum ditiones extenderentur. Nam de clericis cæteris, de monachis, de populo denique quid dicam, quorum quidem graduum institutorumque cognitio satis constat quanti ad eorum commoda intersit, qui

[1] Quod argumentum summi momenti theologo esse debet, siquidem vix inveniet aliquod dogma quod in illis nominibus propriis, vel in calumniis non inculcetur. Cf. Martigny, *Dictionn.*, art. *Noms des premiers Chrétiens*, ubi res summa doctrina et methodo tractatur; Kraus, *Real-Encycl.*, art. *Nome.*

se præsertim huic studiorum generi dediderunt? Potestatem autem celebrandorum conciliorum ferendarumque legum, quæ inest Ecclesiæ, sexcentaque alia quorum est insignis cum iis rebus conjunctio, et quæ continentur eodem libro, si perspecta atque explorata sint, quis nesciat conferre plurimum ad utilitatem posse?

633. — " Quintus erit liber de locis sacris. Cum enim in quaque societate id sit præcipuum quod pertinet ad religionem, loca vero sacra eo consilio instituta sint ut in iis summo rerum auctori Deo sacrificium, cultus, honores, preces adhibeantur, absoluto eo qui est de societatis reipublicæque christianæ ratione libro, de templis, de eorum partibus, deque iis rebus agatur necesse est, quarum magnam esse intelligimus cum ædibus sacris affinitatem. Itaque subsequentur libri sextus de vasis, septimus de vestibus, octavus de imaginibus ac reliquis ornamentis sacris ecclesiarum; quibus accedat nonus, qui erit de organis, de aliis instrumentis musicis, deque campanis, quarum rerum omnium neque tam est recens, ut quidam putant, neque est negligendus usus; quod fecerunt hi qui cum novitati studerent, a nostris sacris institutisque, conflato schismate, desciverunt. Et quoniam in locis sacris congregari Christiani, in iisque orare, hymnos psalmosque canere, stationes habere, remque divinam facere consueverant, tractabitur locus de sacris conventibus libro decimo adeo diligenter, ut eorum quæ ad agapas, synaxes, stationes, etc. veterum Christianorum spectant, nihil quod grave utileque sit, prætermissum esse videatur. Cumque majores nostri, dum statis temporibus convenirent, aut jejuniis darent operam, aut festos dies agere solerent, post absolutam de conventibus sacris disputationem, edatur undecimus liber oportet, qui est de sacris temporibus. Quoniam vero sacris omnibus interesse nemini, nisi qui nostris mysteriis initiatus esset, licebat, estque in mysteriis primum Baptisma, quod sane qui suscepturi sunt, ii catechumeni vocantur, duodecimus erit liber de institutione et gradibus catechumenorum. Quo quidem in libro de symbolis, imprimisque de illo quod dicitur Apostolorum agam, ut ratio postulaverit, accurate. Nam quæ de ritibus disciplinaque Ecclesiæ in administrando Baptismate sunt, ea tertius decimus liber omnia complectetur. Descendam mox ad decimum quar-

tum, quo ritus, cæremoniæ, rationesque conferendi sacramenti Confirmationis explicantur. Quintus deinde ac decimus de ratione, ritibus, disciplinaque celebrandæ atque administrandæ Eucharistiæ succedet liber, quo omnis illius loci quæstio continebitur. Quæ ut fuerit plene cumulateque perfecta, veniam ad sacramenti pœnitentiæ administrationem, ac numeratis explicatisque iis quæ ad varios pœnitentium ordines, pœnasque iis inflictas attinent, cætera quæ propria ejus sacramenti sunt, copiosissime persequar, iisque rebus aperiendis decimus et sextus impendetur liber. Septimus autem ac decimus, quia veterem Ecclesiæ in Sacramentis disponendis numerandisque rationem consector, modum quo effici administrarique Extremæ Unctionis sacramentum debet, illustrabit; quem octavus et decimus sequetur, qui erit de sacris ordinationibus, in iisque dandis Ecclesiæ disciplina. Quo sane libro tota quanta est de Beneficiis deque privilegiis, quibus gaudere clerici consueverant, disputatio expedietur. Nam decimus nonus erit de Matrimonio ejusque ministro, atque iis omnibus quæ aut impediunt ne perfici possit, aut in eodem perficiendo adhiberi debent. Extremus earum rerum tractationem complectetur quæ de cœmeteriis, sepulchris rituque sepeliendi sunt: itaque omnia illustrabuntur quæ sunt propria originum et antiquitatum christianarum. Nulla enim res vetus in Ecclesia est quæ ad ea quæ numeravi capita, referri commode non possit [1]. „

Quod opus infectum remansisse quisque sane dolebit. Dolendum autem est vix hujus argumenti aliquid hucusque in paucis gymnasiis aut academiis sacris fuisse tractatum, dum omnes sacerdotes illud partim saltem callere deberent, ne tot tantaque antiquitatis monumenta ubique in regionibus christianis dispersa, quasi muta remanerent, imo perirent.

§ 2.

De significato seu objecto testimonii humani.

634. — Postquam de testimonii humani signo diximus, seu de ejusdem veracitate, nunc pro rei nostræ necessitate ac

[1] Fr. Th. Mamachii *Orig. et Antiq. Christ.*, Vol. I, *Præfat.*

complemento, de testimonii illius significato, i. e. de ejus veritate tractandum.

Atqui cum omnia quæ sub cœlis sunt et accidunt objectum testimonii humani evadere possint, nec proinde nobis de singulis tractare liceat, summa rerum capita nobis consideranda accipimus, nihil cæterum omittentes, quod, ut videtur, rei nostræ necessarium sit.

Porro omnia quæ narrantur *vel vera* sunt, *vel falsa.* Quærendum igitur est utrum et quomodo ex veritatum nec non et errorum historia argui in theologia possit.

I. Utrum arguere in theologia liceat ex veritatum historia.

635. — Hic duplicis generis veritates nobis occurrunt; aliæ quippe *revelatæ sunt*, ac qua tales considerantur; aliæ autem *non sunt revelatæ.*

Ex ambarum historia arguere probe theologo licet.

PROPOSITIO I. *Arguere theologo licet ex historia veritatum revelatarum seu dogmatum.*

Quæ propositio non tantum de veritatibus supernaturalibus, iisdemque proinde revelatis intelligenda est; sed etiam de veritatibus ad ordinem naturalem pertinentibus, quæ simul tamen divinitus revelatæ fuerint.

Probatur sive de *facto* sive de *scientia* revelationis.

In revelatis autem veritatibus, sive res sive dogmata sint, considerari duo possunt, i. e. *origo* et *evolutio.* Revelatio quippe non tota simul, nec tota a principio facta est [1], nec totum simul incrementum accepit: ita ut nempe quædam prius, quædam posterius; alia primum implicita, alia vero explicatiora deinde divinitus innotuerint.

Hinc ergo te docebit historia quanam temporum ætate revelationes et factæ sint et incrementum proprium acceperint; quænam sit earumdem origo et explicatio tum *verbalis*, seu quoad verba, tum *realis*, seu quoad res verbis significatas.

Quapropter non male quidam ordine historico et chronolo-

[1] 2. 2., q. 1, a. 7; III, Dist. 25, q. 2, a. 2, q. 1.

gico theologiam exponere tentarunt [1], ita ut successive innotescat quid de Deo, de Christo, de angelis [2], de Ecclesia homines didicerint, ac professi fuerint; quænam in praxim deducere singulis temporibus debuerint, pro varia Dei manifestatione.

636. — Haud aliter ex revelationis scientia colligitur quantum in theologia prosit historia.

Hinc enim disces quænam fuerit dogmatum et probationum varia apud theologos explanatio et demonstratio : mox scil. magis auctoritati, mox rationi magis, mox utrique pariter innixa ; quænam fuerit dogmatum diversa coordinatio : mox nempe liberior, ut apud Patres doctoresque antiquos ; mox strictior, ut apud scholasticos ; quænam singularum theologiæ partium distinctio et progressus, i. e. *Theologiæ theoreticæ*, sive *dogmatica* sit, sive *polemica; Theologiæ practicæ*, quoad utramque partem, scil. primo *ethicam* tum *generalem*, tum *casuisticam*, deinde *mysticam; Theologiæ hierarchicæ*, cum singulis partibus, i. e. *Jure canonico* et *Theologia pastorali :* et hæc equidem cum tribus suis membris, nempe cum theologia *didactica*, quæ erit *concionatoria*, *homiletica* vel *catechetica ;* cum *liturgica* et *exemplarica.*

Quæ omnia cuique theologo summi momenti esse debent, ne in turpiori ignorantia jaceat atque marcescat [3].

[1] Martinet, *Institutiones theologicæ.*

[2] Cf. Opstræt, *De Loc. theol.*, Diss. VII, § I.

[3] Hic commendandæ forent variæ Dogmatum historiæ. Unam tantum nominamus, scil. D. Henrici Klée, quæ doctrina, perspicuitate ac sermonis gratia cæteris præcellere videtur. Hujus aliunde argumenti expositionem sufficientem apud Historicos Ecclesiasticos invenies, quorum isti sunt principes, scil. Baronius cum critica Pagii, Rainaldi et Mansi ; Fleury, cum critica Marchetti ; Orsi cum Becchetti ; Rohrbacher, Blanc, Alzog, Kraus, Hergenröther... At vero " Historia Natalis Alexandri theologis præ cæteris utilis est. Omnes enim enumeratas partes copiose exhibet. Etenim non modo historiæ synopsim per sæcula singula continet, quæ satis sit ad rerum Ecclesiasticarum cognitionem sibi comparandam : sed præterea eruditissimis dissertationibus referta est, criticis et polemicis, quæ iisdem usui esse possunt, et ex quibus rerum segetem uberrimam quisque haurire potest, dummodo tamen legatur cum animadversionibus Roncaglia et annotationibus Mansi " (Perrone, *De Loc. theol.*, P. II, sec. II, c. II, § IX, *nota*). Historiam Theologiæ in *patristicam, scholasticam* et *recentiorem* seu *mixtam* distributæ, scripserunt plures, imprimis Car. Zamler, Gregorius Mayer, Kuhn..... Synopsim ejusdem tibi præbent in suis Theologiis J. B. Gener, Kilber, Perrone, Knoll et alii. Alios auctores, et quidem quamplurimos et egregios omittimus, cum cuique studioso prostent.

637. — PROPOSITIO II. *Arguere theologo licet ex veritatum non revelatarum historia.*

Propositio nostra est de omnibus ordinis naturalis veritatibus, et qua naturalibus habitis, etsi aliunde forsan revelatione confirmatæ quondam fuerint.

Probatur.

Veritates enim non revelatæ vel *per se* pertinent ad religionem naturalem; vel eidem *per se* sunt extraneæ.

Si ad religionem naturalem pertinent veritates hujusmodi, patet exinde argui posse plurimum a theologo, sive ad explananda et confirmanda dogmata supernaturalia, siquidem omnia quæ vere a natura procedunt, in se vera sunt; nec gratia naturalia evacuat, sed supponit et perficit; sive ad confutandos errores contrarios.

Hinc ne quis insulse timorem concipiat ex illa disciplina quam vernaculi *historiam religionum* vocant, nobisque tamquam inimicam faciunt. Eo enim certius apparebit christianum dogma quo profundius clariusque et ipsum in dogmatibus certis naturalis religionis innitetur. Cui quæstioni investigandæ non parum proderit doctrina illa.

Hinc antiqui Patres religionem veram ex veritatibus apud gentilium religiones acceptis passim confirmare consueverunt.

Huic scientiæ hodiernis hisce temporibus maxime præstat incumbere, tum ad hauriendas undique veritates, tum ad refellendos adversariorum insultus [1].

Si autem veritates historia contentæ per se ad religionem non pertinent, illis tamen uti poterit theologus, ad arguendum indirecte in re scientiæ divinæ, sive exinde explanando veritates illas ad religionem non pertinentes, quæ tamen in revelatione continentur, ut sunt innumeræ in Scripturis sacris; sive ad inquirendum quomodo antiquitus acceptæ illæ fuerint, indeque colligendum quinam fuerit aliquorum decretorum vel dogmatum sensus, v. gr. ad explanandam plurium theologorum sententiam de immaculato Conceptu; vel intelligendam concilii

[1] Plurimi extant hac de re consulendi auctores: istos nominasse satis sit, nempe: D. Abb. Bertrand, *Dictionnaire universel de toutes les religions du monde*; Bonetty, *Annales de Philosophie Chrétienne* (dummodo a Traditionalismo caveas); De Maizières, *Cod. Sac. de toutes les religions.*

Viennensis sententiam de materia prima et forma substantiali, etc.

Innumera hujusmodi exempla tibi præbebit historia tum philosophiæ, tum generatim theologiæ.

II. Utrum arguere in theologia liceat ex historia errorum.

638. — Errores occurrere potuerunt vel *circa religionem*, vel *circa alia*: hinc duplici propositione quæsito respondetur.

Propositio I. *Ex errorum historia circa religionem tum revelatam, tum naturalem arguere theologus potest.*

A. Probatur prima pars.

Errores namque circa religionem revelatam vel procedunt ex falsa interpretatione veræ revelationis, ut sunt hæreses, schismata, superstitiones; vel ex falsis revelationibus, v. gr. Evangeliis apocryphis, oraculis sibyllinis, Thalmudicis libris, Alcorano, Legendis, Indorum libris, etc.

Atqui ex his omnibus theologo arguere prorsus licet.

Si enim orti fuerint errores illi ex falsa veræ revelationis interpretatione, tunc multipliciter arguere theologus potest. In illis namque erroribus universim sumptis duo attendenda sunt, scilicet ipsum falsum, et ipsum verum quod falso subjicitur, quandoquidem " sicut omnis privatio fundatur in subjecto quod est ens, ita omne malum fundatur in aliquo bono, et omne falsum in aliquo vero [1]. "

Imprimis ergo ex ipso falso quod propugnant hæretici, schismatici, superstitiosi, etc. arguere probe theologus potest, et quidem tripliciter:

Primum, ex *propugnationis facto*: nisi enim doctrina opposita communiter in Ecclesia recepta fuisset, vel explicite vel implicite, falsitates suas illi propugnare contra omnes alios coacti non fuissent.

Secundo, ex *propugnationis modo*, quia nempe ex doctrinæ nostræ, ejusdemque ab ipsis impugnatæ, expositionibus quas tradunt; ex difficultatibus quas contra Ecclesiam solvendas

[1] 1a, q. 17, a. 4, ad 2m.

vel suscipiunt, vel proponunt, dignosci passim potest quænam fuerit tunc temporis doctrina Ecclesiæ [1].

Tertio, ex *propugnationis consequentia*, quia nempe inde *primo*, ab Ecclesia rejecti sunt, nec tamen rejecti fuissent, nisi illa firmiter doctrinam oppositam tenuisset; *postea* hæretici illi vel schismatici, in omnes incertitudines mutationesque prolapsi sunt, quod non evenisset, si verum præ se certo habuissent, nec proinde vera esset derelicta ab ipsis et impugnata doctrina.

Quartum quandoque inducere poteris argumentum pro veritate aliqua theologica, ductum scilicet ex *motivo impugnationis*, ut puta ex inhonesta causa cur Lutherus et Henricus VIII doctrinam Ecclesiæ, præsertim de matrimonio, turpiter aggressi fuerint, unde veritatis nostræ et honestatem et veritatem asserere poteris [2].

Deinde ex ipso vero cui falsum innititur confirmationem veritatis accipere poterit theologus. Dogmata enim illa quæ nobiscum tenent hæretici et schismatici erroribus sane vetustiora sunt, nec illi retinuerunt nisi quia a nobis furati sunt, et firmis rationibus fulciuntur: unde melius elucescit dogmatum illorum et antiquitas et firmitas.

639. — Si autem errores circa religionem revelatam orti sint ex falsis revelationibus, hic iterum diversimode arguere licet. Vel enim revelationes illæ censentur factæ absque ulla connexione cum revelationibus veris, vel secus. Dum censentur factæ absque ulla connexione cum revelationibus veris, ut sunt oracula antiqua, aliquas tamen conclusiones theologo non negligendas præbent, v. gr. de agnita apud antiquos possibilitate revelationis divinitus factæ; de agnita ejusdem convenientia, necessitate, ad cognoscendam veritatem religiosam, ad confirmandas ethicæ disciplinas, in condendis legibus, in civitatibus construendis, etc.

Dum vero censentur revelationes illæ factæ cum aliqua ad revelationes veras habitudine et connexione, quales sunt libri apocryphi utriusque Testamenti, Carmina sibyllina, etc., quibus

[1] Cujus exemplum habes apud Rosminii asseclas, qui postquam contra omnes jamdiu doctrinam studuerint propugnare, quadraginta sententias suas recentius damnatas dolent. *Ex decret. Congr. S. Off. die* XIV *dec. 1887.*

[2] Cf. Bossuet, *Hist. des Variations*; Moehler, *Symbolique.*

adde Legendas, aliqua Patrum spuria opera, Alcoranum, etc.; tunc rursus argumentandi ansam theologo præbent, tum ex ipsarummet existentia, tum ex iis quæ continent. Ex ipsarum quidem existentia, quia hujusmodi fictiones non eduntur, nisi ad commemoranda et amplianda aliqua facta jam prius communia, sive ista doctrinæ aliquæ sint, sive narrationes historicæ. Unde theologus exinde conclusiones colligere quandoque poterit probabiles, imo et certas, pro variis circumstantiis. Haud secus, v. gr. ex plurimorum apocryphorum testimonio de B. V. vita, miraculis, etc., etsi forsan plurima ibidem narrata falsitate laborent, non immerito tamen colligeret exinde aliquis cultum ejusdem Virginis certo fuisse prioribus Ecclesiæ sæculis et publicum et communem, cum apocrypha illa secus nullam habuissent prodeundi rationem.

640. — Ex iis autem quæ hujusmodi documentis continentur arguere iterum licet. Vel enim illa sunt manifeste erronea, et tunc de iisdem quandoque arguere licet, sicut et diximus de erroribus hæreticorum, schismaticorum, etc.; vel sunt verosimilia, et tunc admitti possunt pro sua verisimilitudine; imo et quandoque ad certitudinem accedere, conclusionesque certas parere, v. g. si plura hujusmodi monumenta diversæ originis, loci et temporis in aliquid negandum aut asserendum conveniant et conspirent, quum impossibilis videatur hujusmodi conspiratio dari, nisi veritati facti nitatur [1].

641. — *B.* Probatur altera pars propositionis, scil. ex erroribus qui circa ipsam naturalem religionem exorti sunt, aliquatenus argui theologo licere.

Imprimis argui poterit ex illo vero quod falso subjacet, ut supra de hæreticorum erroribus diximus.

Deinde ex ipso errore, et quidem indirecte, dum v. gr. ex eodem colligitur necessitas revelationis, etiam quoad ea quæ

[1] Cum hic locus non sit fusius de hisce documentis tractandi, en consulendos auctores, si libuerit. Recole quæ supra diximus, adeasque auctores ibidem relatos, quibus addas Migne, *Dictionnaire des Apocryphes.*

De Sibyllinis carminibus, Alexandre, Χρησμοὶ Σιβυλλικοὶ; Clausen, *Enæas und Penaten;* Natal. Alex., *Hist. Eccl.* sæc. I, Diss. I, Prop. I; Frepel, *Les Apologistes Chrétiens au deuxième siècle,* Lec. XIV, et XV. Carmina Sibyllina a gentilibus originem ducunt, etsi postea ab aliquibus aut Judæis aut Christianis interpolata fuerint. Utrum veras prophetias contineant, decidant alii: continere posse asserimus, saltem ex absoluta rerum natura.

rationem per se non superant; vel necessitas alicujus magisterii divini pro conservanda ipsa naturalis religionis veritate. Ita S. Paulus [1], sanctus Thomas [2], aliique in divinitate doctores omnes.

642. — PROPOSITIO II. *Ex errorum historia in iis quæ ad religionem non pertinent argui quandoque potest in theologia.*

Argui, inquam, potest non *per se*, sed *per accidens*.

Primo ex eadem errorum historia rationem habebis cur aliqui Patres aut Doctores antiqui nonnulla erronee tenuerint non quidem quoad ipsum dogma, sed quoad illa quæ *circa dogmata* sunt; cur v. gr. circa cosmogoniam, cosmologiam, etc. erraverint cum coævis suis omnibus, unde facilius eosdem et excusatos et explanatos habebis [3]; haud secus disces quomodo aliqui admiserint Trajani animam ex inferno eductam fuisse, et alia hujusmodi plurima [4].

Secundo ex eadem melius nonnumquam patebit quænam fuerint ipsorum sententiæ circa hujusmodi doctrinas; quid sui sensu, quid sensu aliorum dixerint, etc.

APPENDIX.

DE PRÆCIPUIS CRITICES HISTORICÆ REGULIS.

643. — Quia, ut diximus, summi momenti theologo esse debet historia, præcipuas critices historicæ regulas hic tradere visum est, etsi alibi passim nonnullas ex hujusmodi regulis jamdiu retulerimus.

Quæ referuntur vel ad *conditiones criticæ prærequisitas*, vel *ad ejusdem usum*.

[1] Rom. I, 21...

[2] 1a, q. 1, a. 1, *Contra Gentiles*, L. I, c. IV. Cf. De Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions;* Jouve, *Dieu dans l'histoire*, etc. De quo argumento innumera habes apud Bonetty, *Annales de Philos.* Neque nisi insulse et inique e *doctorum* numero, ubi de historia religionum agitur, expunguntur *missionarii* apud gentes barbaras, qui cum testes oculati eximie sint, magis sunt audiendi. Lege ergo *Lettres édifiantes, Ann. de la Propag. de la foi; Bulletin des Missions Catholiques*, etc.

[3] Cf. Letronne, *Opinions cosmographiques des PP.*

[4] Adeas v. gr., cum cautela tamen, Barth. Saint-Hilaire, in suis comment. in Aristotelis libros.

I.

Conditiones prærequisitæ sunt primo *dispositiones animi*, secundo *ejusdem præparatio*.

644. — I. Dispositiones animi tres numero dici possunt, scilicet: *Amor veri*, *judicium sanum*, *judicium liberum*.

1. Amor veri imprimis requiritur; quisquis enim verum vel dimittit vel minuit aut pervertit, ille ignorans ac mendax dicendus est, neque inter historicos reponendus.

Hoc vero notandum est, scilicet expostulandam esse in historia *certitudinem moralem*, non physicam; huic nempe facto innixam quod homo naturaliter verum et quærit et dicit, unde, nisi obstet ratio, ipsi asserenti aut neganti credendum est. Quod tamen non impedit quominus certitudo illa dici absoluta quandoque possit, ubi v. g. plures testes moribus, natione, aliisque diversi, idem asseruerint, nullo prius admisso condicto;

2. Judicium sanum habueris neque credulitati neque incredulitati nimium indulseris, dummodo supponas et veritates dari quibus adhærendum sit, et falsitates a quibus abhorreas.

3. Judicium tibi liberum erit si a præjudiciis expers sit, ita ut

a) Neque causa proprii boni, v. gr. superbiæ, unde facta pervertuntur in pejus aut in melius; unde novitati non veritati studetur, etc., vel cupiditatis aut passionum aliarum;

b) Neque causa boni socialis, ut puta propinquorum, concivium, eamdem religionem participantium, nonnihil veritati detrahere ausus fueris.

645. — II. Præparatio circa aliquod factum indagandum requisita in hoc imprimis consistit ut quis de re proposita non ignoret libros et opera prius facta: pauca enim, imo paucissima occurrunt quæ sub cælo inaudita remaneant.

Memento tamen, ubi præsertim de rebus historicis agitur,

Nullius addictus jurare in verba magistri;

sed documentis ipsis innitendum primo esse.

II.

646. — Usus critices consistit in hoc ut recte adhibeas argumenta quæ dicuntur vel *a priori* vel *a posteriori.*

I. Argumenta *a priori* apud Germanos eorumque asseclas usitatiora, cum summa prudentia adhibenda sunt; neque ut axioma admittendum est nisi illud quod reapse axioma est. Dantur equidem in theologia et in philosophia hujusmodi axiomata quibus reapse facta opponi nequeunt, non quod *ab actu ad posse non valeat consecutio*, sed quod facta illa incerta omnino demonstrentur ex certitudine oppositorum axiomatum. Hoc igitur advertendum est ut non nisi veri nominis axiomata admittantur.

647. — II. Argumenta a posteriori considerari possunt vel in *sui natura*, vel in *sui utilitate.*

1. Si considerentur in sui natura, sunt vel *positiva*, vel *negativa*.

A. Argumenta positiva sunt vel testimonia *documentis suis fulcita*, ut supra diximus, vel *oralia* tantum.

A) Argumenta documentis suis fulcita sunt vel *scripta* vel *monumenta*.

a) Scripta, postquam attente et ex integro legeris, considerentur tum *in se*, tum *in sui auctore.*

Ubi primo *in se* considerentur, tibi inquirendum erit:

Utrum existant in primigenia lingua, an in translatione;

Cujusnam sint temporis;

Cujus regionis;

Utrum sint authentica vel dubia; utrum integra vel corrupta;

Quænam in eisdem advertantur indicia vel *palæographica;* vel *diplomatica*, seu de formulis, titulis, usibus, subscriptionibus admissis; vel *philologica*, seu de idiomate;

Utrum a coævis admissa auctoritas eorumdem fuerit;

Utrum privata sint vel publica, etc.

Si secundo considerentur in *sui auctore*, utrum extiterit capax qui verum intellexerit et dixerit; utrum res narratas viderit vel audiverit;

Utrum rei narratæ testis proximior remotiorve sit;

Utrum partibus nonnullis addictus fuerit, vel ab iis qui alicui parti adhærerent didicerit, necne;

Utrum judicium sanum et æquum passim ostendat, animi motum in rebus æstimandis frænet, etc.;

Utrum res sibi suisve minus gratas aut faustas narret;

Utrum facta narrata cum aliis factis iisdemque certis conveniant, hoc tamen notato, scil. convenientiam quoad essentialia primo argumentum veritatis existere; discrepantiam rursus quoad accidentalia habendam esse argumentum asserti et confirmationem, siquidem inde colligi licet assertum illud e variis fontibus haustum;

Utrum res narratæ a coævis, supparibusve admissæ fuerint.

Ex his collige dubia fide admittenda esse memorialia de victoriis relatis, memorialia secreta, polemica, etc., utpote quæ superbia, luxuria, etc. plerumque dictantur.

b) De monumentis figuratis, seu archæologicis, quæ, ut supra innuimus, et varia et summe utilia sunt in rebus historicis investigandis, hic adnotasse satis sit easdem fere adhibendas esse cautiones quæ de scriptis documentis servandæ sunt. Recole cæterum quæ supra de his diximus.

B) Documentum vero orale seu traditio, etsi variationibus obnoxium, nullatenus tamen historico prætermittendum erit:

Primo enim traditio a testibus æquis plerumque refertur, utpote quæ a multitudine, et per longa quandoque tempora, pacatis jamdiu animis, de rebus anteactis admittitur;

Secundo autem majoris illa erit ponderis, si de facto egregio et publico fuerit; si apud multos et per multos annos acceptata fuerit; si neque negata, neque in dubium revocata fuerit ab hominibus qui et jus, imo forsan et causam haberent negandi aut in dubium revocandi, qui tamen de rerum veritate certiores evadere nullo vel minimo labore possent.

648. — *B.* Si considerentur in sui utilitate, tunc diversimode ex eisdem arguere potest historicus, siquidem

Vel analysi dividit composita in partes: quod *investigandi methodus* audit;

Vel synthesi componit divisa; quod est *methodus docendi.*

Vel ex assertis nonnulla deducit, arguendo scil. sive *ex analogia*, sive *a contrario*, sive *hypothetice* et conjectando.

Quæ omnia sane præcepta et augeri et melius evolvi pos-

sent: ab his tamen supersedemus, rati satis esse eadem theologo significasse, ut doctiores de his adeat [1].

Memineris iterum illa omnia critices adjumenta in rebus ad Historiam ecclesiasticam pertinentibus præsertim adhibenda fore. Quæ siquidem non curiositate modo, sed et veneratione summa tractanda est: proindeque ab eadem removenda ignorantia imprimis est; removendum imprimis mendacium.

649. — Hoc præterea addatur, quod omnes intelligant theologiæ studiosi, scilicet arctissimam esse atque individuam cognationem illam quæ theologiam inter et Historiam ecclesiasticam intercedit, ita ut " earum nulla ad fastigium sine alterius ope possit pervenire: imo actum profecto de theologia esset, si Ecclesiasticæ Historiæ adjumentum excluderes..... " Etenim " jure optimo extra omnem dubitationis aleam dicere possumus theologiam totam esse in Historia Ecclesiastica, et quidem necessario ac dependenter; non secus ac tota lux solis in toto universo est in ipsomet sole, quippe quæ statim cesset ad retractionem suorum radiorum: et pariter totam Historiam ecclesiasticam esse in theologia, et quidem necessario ac dependenter, non secus ac corpus solare totum est in universo per suam lucem, cum non ab alio lux illa sit, vel possit esse, nisi ab ipsomet sole, fonte totius lucis.....

" Ad concludendum ergo propero talem esse nexum theologiam inter Historiamque ecclesiasticam ut ambo penitus abeant in nihilum sine tali nexu; omnem vero stare perfectionem earumdem, tali stante nexu; et nonnisi qui utramque ignorat illum non intueri, eoque non vehementer oblectari; vel illum negare, nonnisi, cum Augustino, " summæ impietatis " erit aut " præcipitis arrogantiæ. "

" Et cum una sit causa ambarum facultatum relate ad veritatem doctrinæ Christi, sine qua neque ipsa veritas historiæ ut talis subsistat, et cum eadem doctrina ut sustineri possit propter nostram infirmitatem, indigeat utroque præsidio ac

[1] Inter omnes benemeriti Maurini de re historica, ut diximus, ridendique videntur nonnulli recentiores qui se jactant de inventa ab ipsis critices arte. Adeas de arte critices Balmes, *l'Art d'arriver au vrai;* De Smedt, *Introductio generalis ad Historiam ecclesiasticam critice tractandam; Principes de critique historique*, etc. Adeas iterum *Dissertationes*, quæ nonnullis Bollandianorum voluminibus præmittuntur.

fulcimento, nempe et ratiocinatione theologica et veritate historica per artem criticam propugnata, hinc in historia ecclesiastica requiruntur præsidia quoque theologica ad opus, juxta opportunitatem; et pariter in theologia arma ac præsidia Historiæ Ecclesiasticæ ad usum data necessitate, ne callens seu profitens unam deficiat cum damno ipsius facultatis, propter ignorantiam præsidii alterius, et sit aliis scandalum et defectionis occasio.....

" Consulite igitur vobis, theologiæ candidati,..... prospicite Ecclesiæ bono; illa arma sumite quibus Ecclesiæ inservire, et fidei hostes retundere ac vincere possitis; neque eos imitemini qui adhuc barbariem mordicus retinere, siccis quæstionibus indulgere, et in antiquitatis totius ignoratione versari volunt; digni profecto qui Tullianis verbis arguantur, veluti qui " per- " verse post inventas fruges glandi vesci perseverant. „ Sed ad utramque facultatem fortiter una incumbite: nedum enim ambo simul ad revincendos nostri temporis novatores; et ad dogmata fidei eruenda et confirmanda; atque ad sensus sacrarum Litterarum declarandos; verum etiam ad alia maxima in auctoritatis Ecclesiæ famulatum perutiles sunt ac pernecessariæ [1]. „

CONCLUSIO

650. — Hic igitur gradum sistimus, toto Locorum theologiæ omnium perlustrato campo.

Ex dictis sane patet quam vere dixerint antiqui scientias omnes theologiæ famulari, proindeque qua cura, quo conatu omnes acquirere debet theologus [2].

Ex dictis utique patere videtur hanc nobis admissam fuisse methodum ut in prima hujus operis parte, quasi actus fidei elementa enucleantes, significaremus ea ad fidem proprie pertinere quæ in sola revelatione Dei, Scripturis quidem et traditionibus contenta, comprehenduntur, et ab Ecclesia nobis ut

[1] Fr. Th. Maria Borgetti O. P. *De nexu theologiam inter Historiamque Ecclesiasticam;* Maceratæ, 1830. Quod argumentum, ait, " tentavit forte nemo. „

[2] De omnibus passim in hac altera Parte delibatis eximia undequaque documenta invenies apud Migne, *Première*, *Seconde et Troisième encyclopédie catholique.*

credenda proponuntur: fidei etenim virtute credimus ea quæ revelavit Deus, quæque fidei nostræ proponit Ecclesia [1]; in altera autem parte quasi scientias omnes quasi cursim adduximus, quibus utendum theologo est, unde clarius rectiusque, intrinsece simul et extrinsece discat et intelligat tum ipsam revelationem, tum Ecclesiæ propositionem.

Rebus ita se habentibus, quasi sponte patet qualis futurus sit Locorum sive essentialium, sive juvantium in re fidei usus. De quo duo hic proinde adnotasse satis erit pro animarum et veritatis bono.

Primo distinguendum sedulo erit illa inter quæ credenda proponit Ecclesia et illa quæ libere vel disputanda vel dimittenda relinquit. Multi enim sunt, etiam pii cæterum viri, qui omnia promiscue et contemplantes et tradentes de fide et religione, omnibus opiniones proprias, imo et phantasias fidei divinæ ingerunt, non sine gravi veritatis et animarum damno, hisce nostris præsertim temporibus cum undique contra nos exsurgant innumera præjudicia. Unde totum et solum dicas illud fide credendum, vel fidei attinens quod qua tale proponit Ecclesia, et eo gradu et sensu quo proposuerit [2].

Secundo istud rursus suadebit quisque, scil. ut recte, præcise et clare constituto ac definito quæstionum statu et sensu, causa fidei nostræ omnibus simul prædictis armis tutanda suscipiatur.

His instructus descendat in agonem theologus veritatem propugnaturus, erroresque fortiter impugnaturus pari vi, virtute ac prudentia.

Meminerit idem ille theologiam, etsi in se mutari nequeat, mutationis tamen extrinsecæ incapacem nullatenus esse, seu quoad modum se habendi in ratione humana; nec ipsam progredientibus undique scientiis aliis, in sua, ut ajunt, vetustate marcescere; sed vero ipsi vires quotidie augeri posse, nisi debilitate nostra et ipsa debilitetur.

“ Laborem suscepimus lectoribus, ut arbitror, haud inutilem; quamobrem eos qui sine labore laborum nostrorum fructum

[1] Adeas Scholasticos, præsertim Billuart et Gotti, ubi de Fide.

[2] Quum de re gravissima hic nobis agi videatur, istos suademus legendos auctores, scil.: Franc. Véron, *De Regula Fidei Catholicæ, seu de Fide Catholica;* Phil. Ner. Chrismann, *Regula Fidei Catholicæ et Collectio Dogmatum credendorum;* Bossuet, *Exposition de la Foi catholique.*

semel percepturi, rogatos volumus, ut nobis pro laboribus nostris orationes impertiant suas. Quod si minus accurata videbitur explicatio, laborem saltem boni consulant, et quæ desunt ipsi doceant [1]. „

Sed imprimis doceat sancta mater Ecclesia. Etenim " nullum primum nisi Christum sequens, Cathedræ Petri consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est [2]. „


[1] *Præfat. in Psalm.*
[2] Hier., *Epist.* XIV, *ad Damasum.*

J. M. J. D. J.

Tolosæ apud Prædicatores,
die XXV Martii, an. Dom. MDCCCLXXXVIII.

Quo clarius pateat illud quod in Præfatione ajebamus, nempe huic nos incubuisse ut Loca theologica logico ordine complecteremur; plenius autem faciliusque lector rem totam uno conspectu perspiciat: hic subnectimus schema unum, etsi quinque paginis dispersum, quibus totum continetur opus.


Numeri arabici singulis rerum capitibus appositi alii non sunt quam numeri arabici quibus totus liber continue a principio ad finem usque divisus apparet.



Schema II. Loca propria quibus continentur veritates revelatæ

- I. Traditiones *quarum statuitur*
  - I. Definitio (6-8)
  - II. Existentia quoad
    - I. Certitudinem (9-27)
    - II. Amplitudinem (28-45)
  - III. Transmissio quoad ipsius
    - I. Necessitatem (46-54)
    - II. Media
      - I. Necessaria (55-62)
      - II. Utilia (63-68)
    - III. Modum
      - I. Explicite (69-70)
      - II. Implicite (71-73)
  - IV. Discretio quæ fit
    - I. Judicio authentico Ecclesiæ (74-75)
    - II. Judicio doctrinali privatorum (76-83)
  - V. Vis probandi (84-85)
- II. Scripturæ *quarum statuitur*
  - I. Definitio (86-89)
  - II. Natura *quatenus considerantur*
    - I. Materialiter, *et quæritur quænam sit earum*
      - I. Origo *ut sunt*
        - I. A Deo, *et quæritur*
          - I. Quid inspiratio (90-110)
          - II. Qui libri inspirati (111-124)
        - II. Ab homine, *et quæritur*
          - I. Qua vi scribat auctor sacer (125-128)
          - II. Quinam auctores sacri (129-132)
      - II. Conservatio
        - I. In testibus primigeniis
          - I. Quoad V. T. (133-142)
          - II. Quoad N. T. (143-158)
        - II. In versionibus
          - I. Quoad V. T. (159-162)
          - II. Quoad utrumque Test. (163-169)
    - II. Formaliter, *et quæritur quænam sint earum*
      - I. Sensus
        - I. Quoad auctoris mentem
          - I. In genere (170-172)
          - II. In specie, *et habetur sensus*
            - I. Explicitus (173-186)
            - II. Implicitus (187-188)
            - III. Neque implicitus neque explicitus (189-191)
        - II. Quoad objectum (192-194)
        - III. Quoad terminos (195 196)
      - II. Explanatio, *et quæritur quomodo*
        - I. Invenitur sensus
          - I. Removendo obstacula (197-201)
          - II. Adhibendo media (202-236)
        - II. Profertur sensus (237-248)
      - III. Vis probandi per
        - I. Sensum explicitum (249-255)
        - II. Sensum implicitum (256)
        - III. Sensum neq. explicit. neq. implicit. (257-269)

Schema III.



Locus proprius, ubi indicantur veritates revelatæ, id est Auctoritas Ecclesiæ, *quæ*

- I. Jus habet credenda proponendi, *et ostenditur*
  - I. Quam certum sit jus illud (270-277)
  - II. Quale sit jus illud, *scil.*
    - I. Supremum (278 287)
    - II. Infallibile (288-293)
- II. Credenda proponit
  - I. Docendo, *scil.* magisterio
    - I. Authentico, *et quidem*
      - I. Ordinario, *scil.*
        - I. Adæquato, *id est*
          - II. Auctoritate S. Pontificis (294-354)
          - II. Auctoritate Concilii œcumenici (355 367)
        - II. Inadæquato, *id est*
          - I. Auctoritate episcoporum singularium (368-384)
          - II. Conciliorum particularium (385-394)
      - II. Delegato, *scil.* per Congregationes Romanas (395-403)
    - II. Doctrinali, *scil.*
      - I. Per theologos, *scil.*
        - I. Patres (404-427)
        - II. Scholasticos (428-438)
      - II. Per Juristas, *et quæritur cujus sint auctoritatis*
        - I. Decreta (439-445)
        - II. Interpretationes (446-450)
  - II. Credendo *et quæritur*
    - I. Quid probet Ecclesiæ credentiæ (451-458)
    - II. Quomodo innotescat Ecclesiæ credentia (459-483)

Schema IV.

Loca impropria quæ sunt per evidentiam, *et quæritur*

- I. In genere, *quomodo habeatur demonstratio*
  - I. Directa (484-500)
  - II. Indirecta (501-521)
- II. In specie, *quid præstet in re theologica*
  - I. Scientia *seu*
    - I. Philosophia prima (522-525)
    - II. Philosophia secunda, *quæ est*
      - I. De his quæ cognoscit homo et non facit
        - I. Physica (526-534)
        - II. Physico-metaphysica (535-538)
        - III. Metaphysica (539-542)
      - II. De his quæ cognoscit homo et facit
        - I. Interius
          - I. Logica (526-546)
          - II. Æthica (547-551)
        - II. Exterius - Æsthetica (552-553
  - II. Experientia
    - I. Subjectiva (554-556)
    - II. Objectiva, *quoad ea quæ sunt*
      - I. Dei sapientis, *scil.*
        - I. Prophetias (557-568)
        - II. Egregiam doctrinam (569-571)
      - II. Dei potentis, *scil.*
        - I. Miracula (572-579)
        - II. Effectus mirabiles (580-583)

Schema V.

Loca impropria quæ sunt per auctoritatem, et *quæritur de auctoritate*

- I. Dei privatim revelantis (584-594)
- II. Angelorum
  - I. Bonorum (595-599)
  - II. Malorum (600-606)
- III. Hominum
  - I. In genere, *seu de Historia*, *et quæritur quænam sit ejus*
    - I. Amplitudo (607-608)
    - II. Certitudo (609-613)
    - III. Necessitas (614-616)
  - II. In specie, *scil. quoad*
    - I. Signum
      - I. Orale (617-620)
      - II. Documentale, *scil.*
        - I. Scriptum (621-625)
        - II. Figuratum (626-634)
    - II. Significatum, *quod est*
      - I. Veritas (635-637)
      - II. Error (638-650)

NB. Nonnulla inter corrigenda mihi exciderunt errata; v. gr. " Joannem Turrecremata, „ pro " Joannem Roccaberti: „ (p. 319); " usus..... optimæ legum interpretes „ pro " usus..... optimi legum interpretes. „ — Hæc et similia condonet et corrigat lector benignus, donec aliquando corrigere nobis, si Deus dederit, liceat.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM



* Lector hic iterum remittitur ad numeros quibus distinguitur tractatus totus.



INDEX TRACTATUS

PARS PRIMA

DE LOCIS THEOLOGIÆ PROPRIIS

LIBER PRIMUS

DE LOCIS QUIBUS VERITATES REVELATÆ CONTINENTUR.

LIBER SECUNDUS

DE LOCO UBI INDICANTUR VERITATES REVELATÆ, SEU DE ECCLESIÆ MAGISTERIO

PARS ALTERA

DE LOCIS THEOLOGIÆ IMPROPRIIS

LIBER PRIMUS

DE LOCIS THEOLOGIÆ IMPROPRIIS UNDE PER EVIDENTIAM PROMUNTUR ARGUMENTA

LIBER SECUNDUS

DE LOCIS THEOLOGIÆ IMPROPRIIS UNDE PER AUCTORITATEM DEPROMUNTUR ARGUMENTA

V° per delegazione Arcivescovile.
Giudico si possa permettere la stampa di tutto il volume.

Torino, 19 Maggio 1888.

Can. PEYRETTI.

Viso judicio Revisoris Archiepiscopalis, imprimatur.

Taurini, die 6 Junii 1888.

Can. BARTH. ROETTI *Prov. Gen.*